



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
13 K
12


14
3-F
4

AVGVSTINI HVNNÆI

DIALECTICA,

SEV

GENERALIA LOGICES

PRÆCEPTA OMNIA;


QVÆCVNQVE EX TOTO ARISTOTELIS ORGANO, PHILOSOPHIÆ TIRONIBVS AD EDISCENDVM PROPONI CONSVEVERVNT.

Ad Latinas definitiones, diuisionésque ex eodem Organo sumptas, Græcis simul adiunctis, vt harum cum Latinis collatione puram genuinámque Aristotelis sententiam iuuentus faciliùs certiúsque percipere queat.

Præceptionum quoque vsus diligenter est commonstratus.
Cætera ex noua Auctoris ad Lectorem præfatione cognosces.







ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXXXV.

Privilegiorvm svmma.

Concessvm est per patentes Reg. Maiest. literas clarissimo viro, sacræ Theologiæ doctori, & suæ Reg. Maiest. in academia Louaniensi litterarū sacrarum professori, D. Avgvstino Hvnnaeo, vt libros suos (*prima nimirum Logices Rudimēta*, seu Prodidagmata *de Dialecticis vocum affectionibus & proprietatibus*, & ipsam Dialecticam, seu *Generalia Logices ex Aristotele precepta*) ante annos duodecim editos, & posteà diligenter castigatos, cui velit iurato typographo tradat imprimendos ac distrahendos. Interdictum quoque est aliis omnibus, quicunque demum illi sint, ne eos imprimant, aut alibi impressos, in ditiones Regiæ Maiest. distrahendos importare tentent, spatio decem annorum proximè sequentium, sub grauibus pœnis, quas litteræ exprimunt, datæ Bruxellis die xviii. mensis Septembris, Anno M. D. LXV.

Signatæ

Mesdach.

Idem aliis quoque patētibus litteris pro totidem annorum spatio cautum est, & concessum in concilio Brabantiæ, die 8. Octobris eiusdem anni, & signatum

De Witte.


Præterea vtriusque concilij priuilegio omnibus ludimagistris, tam in triuialibus scholis, quàm in academiis, conceditur, vt dictos libellos litterarum studiosæ iuuentuti prælegant.

Signarunt qui suprà,

Mesdach & Witte.

Suprà commemorata eiusdem Auctoris prima Logices Rudimenta *seu* Prodidagmata de Dialecticis vocum affectionibus & proprietatibus, *ante paucos dies typis Plantinianis recusa sunt, diligenter ab auctore suo castigata.*

AVGVSTINVS HVNNÆVS DISCIPVLIS SVIS S. P.




TSI NON *ignorabam, adoleſcentes ſtudioſi, plurimos de Ariſtotelica differendi ratione doctiſsimè ſcripſiſſe, præclareq́; de hoc diſciplinæ genere meritos eſſe; me tamē ad ſcribendum eadem de re cùm aliæ non leues cauſſæ, tum meorum amicorum importunæ & quotidianæ efflagitationes impulerunt.*

Ita enim iudicabant nullum prorſus auctorum, quorum hac de re lucubrationes extant, Ariſtotelis & ordinem & verba, pro noſtrarum conſuetudine atque vſu ſcholarum, ſatis ſecutum fuiſſe. Quæ cauſa fuit, cur antehac Definitiones, Diuiſiones & Regulas (quæ generalia in primis ſcienda atq; recitāda vocare ſolent) Dialecticæ tirones quotānis non ſine magno labore & temporis diſpēdio exſcribere oportuerit.

Animaduerſum inſuper eſt, pleroſque ſine iudicio, deprauata aliorum hiſce de rebus exemplaria longè vitioſius imitatos fuiſſe: tantum incommodum diutiùs tolerandum eſſe negabant, addentes miſeram iuuentutem (quod erat etiam nobis frequenti experientia compertum) non modò in ſcribendo temporis iacturam facere, verùm etiam pro vera & genuina Ariſtotelis doctrina, monſtroſos errores ex ſua deprauata ſcriptura ortos, multis laboribus, memoriæ mandare ſolitam eſſe.

Quapropter partim amicorum efflagitationibus, partim etiam re ipſa commoti, quæ à nobis pro ingenij noſtri tenuitate ex Ariſtotele, non quidem argutè neque ſubtiliter, at certè accuratè, & fideliter, ſucciſiuis horis (nam ſtatæ, profeſsioni Ariſtotelicæ quotidie deſtinantur) collecta ſunt, ea nunc ad veſtros labores ſubleuandos in lucem proferimus: paucis quibuſdam ſcholiorum loco vel ad VSVM *declarandum, breuiter adiectis, ex Græcorum Latinorumq́; tum*



veterum tum recentiorum, præsertim autem ex huius clarißimæ, & orbe toto celebrata Louaniensis Academia commentariis atque scriptis, quibus omnibus in vnum congestis, quod optimum videbatur excerpsimus, & ex variis probatißima quæque delibauimus.

Hæ sunt caussæ, adolescentes studiosi, cur has qualescunq; minutias, ex quibus nihil laudis expetimus, nullam priuatam expectamus vtilitatem, primùm conquirere & disponere, deinde typographo quàm politißimo, qui eas in multa exemplaria, & nitidè & ad vestros vsus accõmodatè transfunderet, committere voluerimus.

Vos igitur adolescentes humanißimi, quicquid nostra hac opera de veteri molestißimo illo scribendi labore (quem ij, qui vos antecesserunt, diu cum magno tædio, detrimentoq; suorum studiorum perpeßi sunt) vobis imminuitur, id omne, si temporis rationem habere vultis, habere autem semper debetis, in augmentum studiorum atque exercitationum sedulò conuertite: & hanc minimè obscuram mei erga vos amoris significationem benignis, vti par est, accipite animis. Valete.

Louanij ex florentißimo Castrensi gymnasio, Idibus Nouembr. 1552.

AVGVSTI-

AVGVSTINVS HVNNÆVS CANDIDO LECTORI S. D.



VANDOQVIDEM his superioribus annis, amice Lector, Dialectica nostra, diuersorum typographorum opera, variis ex locis in lucem prodiit; è re tua futurum duxi, si te breuiter, quantis commodis aucta, quãtísque accessionibus locupletata sit prę cæteris omnibus ista Plantiniana nouissimáque editio, commonerem. Sic enim in tanta exemplarium varietate atque differentia, & faciliùs, quid cui sit præferendũ, statuere, & tuæ vtilitati meliùs consulere poteris: quoniam non pauca sunt, neque (vt arbitramur) contemnenda, quæ nunc postremò accesserunt.

IN primis ad omnes definitiones, diuisiones, & regulas ex Aristotele aut Porphyrio adductas, Græca ipsorũ auctorum verba adiunximus, vt & veram genuinámq. summorũ Philosophorũ sententiam clariùs perspicere, & de versionibus, sicubi diffideant, certiùs prudentiúsq. iudicare, puræ & illibatæ philosophiæ studiosi possint.

2. DEINDE Græcis istis definitionibus, diuisionibus, atque regulis triplicem vbique ferè subiunximus interpretationem, Perionij vnam, Coloniensium secundam, & Argyropyli aut Boëtij tertiam (nam in Topicorum & Elenchorum libris, Boëtij; in reliquis verò omnibus, Argyropyli versionẽ Louanienses sequuntur) quæ quidem versionum diuersitas, & ad rem ipsam penitiùs inspiciẽdam, perfectiúsque intelligendam, plurimũ lucis affert, adeò vt ampli cõmentarij loco esse possit, & ad res philosophicas Latinè ornatéque exprimendas, maximam optimorum verborũ lectissimarumq. phraseῶν copiam suppeditat. Vt autem omnia essent distinctiora, neque vllam ista versionum multitudo pareret confusionem;

quadruplicem, modò commemoratam, interpretationum varietatem his quatuor notis discriminauimus: PER. COL. ARG. BOET. è quibus PER. Perionij, COL. Coloniensium, ARG. Argyropyli, & BOET. Boëtij interpretationem denotat. Quòd autem Perionij versio nonnunquam sit omissa, causa hæc fuit, quòd omnino & verbis & sententia cùm ea versione, qua Colonienses vtuntur, conueniret. Alias verò definitiones atque diuisiones, quæ neque apud Aristotelem neque apud Porphyrium Græcè extant, sed vel à commentatoribus eorum, vel ab aliis Logicæ disciplinæ peritis, ad istam artem illustrãdam locupletandámque posteà sunt adiunctæ, his distinximus notis: COL. LOV. (quarum prior definitionem aut diuisionem apud Colonienses philosophos vsitatam, altera verò definitionem aut diuisionem, qua Philosophi Louanienses in tali loco vti consueuerunt, indicat) nisi quòd pro barbaris & odiosis omninò verbis, Latiniora auribúsque gratiora nonnunquam reposuerimus; & pro ineptis atque obscuris, idonea & significantia in scholas inducere conati simus. Idque non alicuius nostræ laudis vana cupiditate, sed ingenuorum adolescentum vtilitatis promouendæ studio, fecimus; vt videlicet duplicem fructum (Latinitatis nimirum, & rerum vtilissimarum cognitionis) vna eadémque opera consequi possent. Etenim vehementer absurdum miniméque ferendum nobis videbatur, à rebus optimis cognituque dignissimis, verborum asperitate atque spinis, ne dicam squalore atq. sordibus (præsertim cùm alia in promptu essent) generosa adolescentum ingenia deterrere, artémque longè pulcherrimam, quæ suo fulgore cæteris omnibus prælucet, horrida & inculta oratione adeò terram squalidámque reddere, vt nemo eam sine offensione & molestia intueri posset.

ITAQVE certò confidimus, nos non modò veniam ab

ab æquis æstimatoribus, doctísque omnibus facilè esse impetraturos, sed etiam magnam gratiam ob eiusmodi mutationem inituros. Inuidos verò & indoctos oblatratores (qui malè instituti, cęteris meliorē feliciorémque inuident institutionem) adeò nihil moramur, vt eorum reprehensionem ad nostram potius laudem, quàm ad dedecus redundare arbitremur; quòd vt febricitātibus præstantissimi cibi, ita istiusmodi hominibus optima displicere soleant.

3. AD HÆC, multas definitiones nouis paraphrasibus, quo lumine antè carebant, illustrauimus; cuius rei exempla complura statim ab initio reperies, si hanc editionem cum cæteris conferre libeat.

4. PRÆTEREA curauimus, vt singuli libri ad calcē, vel nouā, qua antè carebant, vel emendatiorem & absolutiorem, quàm prius fuerat, generalem omnium, quæ in ipsis tractata sunt, comprehensionem haberent: quod industriæ genus, quantum ad multarum variarúmque præceptionum, nullo (vt videtur) vinculo inter se coniunctarum, nutātem adhuc memoriam confirmandam valeat, norunt omnes qui in diuersis rebus nullo ordine nullóque vinculo inter se coniunctis, memorię mandandis aliquando laborarunt.

5. NOVAM insuper argumenti inueniendi, & inuenti ad firmæ ratiocinationis formulam ritè aptandi rationem multò faciliorem, & ad vsum (nostro iudicio) longè accommodatiorem, quàm quæ vulgò ex Aristotele circumfertur, suo loco inuenies. Cæterùm ne singula persequendo, nimis sim prolixus; in eam curam omni conatu atque diligentia, in ista postrema editione, & castigatione incubuimus, vt quam breuissimè clarissiméque, ac minimè barbarè, omnia quæ in Coloniensi atq; Louaniensi academia logicę disciplinæ studiosis discenda proponi consueuerunt, complecteremur, nostrúque

commentarium in definitionibus ac diuiſionibus enucleandis, cæteriſque locis tractandis, ita temperare, neceſſariisque doctrinis locupletare ſtuduimus, vt nihil quod ad dilucidam explanationem, nihil quod ad facilem intelligentiam tum Louanienſium, tum Colonienſium definitionum, diuiſionúmque pertineret; nihil denique quod ad huius pulcherrimæ vtiliſſimæque artis puram, ſolidam, perfectáque cognitionem neceſſarium eſſet, in eo deſideraretur. Quantum præſtiterimus, aliorum eſto iudicium: iſtud certè affirmare poſſumus, in pleriſque tollendis, in plurimis addendis, in omnibus quæ in priore editione erant, diligenter examinandis, recognoſcendis nitidè caſtigatéque per politos librarios tranſcribendis, & ad iſtius, quam modò diximus, intentionis atque conſilij normam exigendis, nos & ſumptus maximos feciſſe, & grauiſſimos cum magno aliorum ſtudiorum diſpendio ſubiiſſe labores.

Ex quibus omnibus, amice Lector, quantum iſti editioni vltra primas acceſſerit, quãtúmque illi ſit tribuendum, perſpicuum eſſe arbitror. Qua de re, ne fortè in delectu faciẽdo propter inſcriptionum ſimilitudinem, per imprudentiam fallereris, te commonendum putaui. Vale, & noſtros in repurganda, excolenda, & amplificanda præſtantiſſima, maximéque neceſſaria Dialectices arte conatus tuo ſaltem fauore gratoque animo proſequare. Louanio.

PETRVS

PETRVS MENSIVS
V. I. LICENTIATVS
beneuolo Lectori.

QVISQVIS *voles compendio,*
Dilucidè, fideliter
Ex ipso Aristotele edita
Dialecticęs cognoscere
Praecepta quauis ordine,
Et illius pulcherrimum,
Quem hîc hactenus nemo addidit,
VSVM: *legas, studiosius*
Examines, circumferas
Tecum, domi, foris, manu
Verses diurna sedulò,
Versesq́ nocturna, breue
Opus hoc HVNÆI *& vtile*
Viri modis verè omnibus
Vtraque lingua maximi,
Tum philosophi, tum theologi;
His plura non libet addere,
Cùm iure possem plurima;
Inseruientis gnauiter
Summo labore industria
Summa, parique gratia
Tirunculorum commodis,
Qui liberalibus artibus
(His absque marcent caetera,
Florent per istas caetera)
Dum tempus atque aetas ferunt,
Animum student adiungere.
Quapropter oro consulas
Æqui boni, quod Palladis

Ex fertilißimo datur
Longéque mellitißimo
Penu Schola Castrensium,
Quæ fert in astra verticem.
Quod si nimis deterreat
Dialectices austeritas,
Auibus bonis hinc incipe;
Valebit ingenium tibi,
Quoquò voles intendere,
Nec pœnitebit posteà
Cœpisse rem pulcherrimam.
Nanque aspera, horrida, tetrica
HVNNÆVS *ille sustulit,*
Obscura fecit lucida,
Iniqua plana, ex optimis
Fide bona scriptoribus
Selectiora colligens,
Apes secutus sedulas.
Et si cui parum satis
Factum sit hîc, existimet
Rebus sat esse in arduis
Voluisse; vel præsentibus
Meliora det: si non, lubens
Vtatur his non inuidus.
Lege ergo, perlege, lectio
Fructum dabit cum fœnore.

HVIVS LIBRI

APPROBATIO.

HANC *Augustini Hunnæi Dialecticam, continentem generalia Logices præcepta omnia, quæcunque ex toto Aristotelis Organo in Academia Louaniensi & Coloniensi philosophiæ tironibus ad ediscendum proponi consueuerunt, ad Perionij & Argyropyli versiones accommodatam, adiunctis simul ex Aristotele & Porphyrio Græcis, magna iam cura & diligentia ab auctore recognitam; nihil quod sanæ & catholicæ doctrinæ aduersetur, sed plurima, quæ ad philosophiam purè nitideq; tradendam atque discendam magnopere conducant, habere iudico: ob idq; cum summa vtilitate iuuentuti in omnibus Catholicorum scholis prælegendam censeo:*

CVNERVS PETRI à Brouwershauen,
Pastor S.Petri Louanij, Anno 1565.

DIALE-

DIALECTICÆ, SECVNDVM ORGANI ARISTOTELICI ORDINEM DIGESTÆ, PROOEMIVM.

DISSERENDI rationem, artem (vt in Bruto testatur Cicero) omnium artium maximam, sine qua se se tueri reliquæ disciplinæ omninò nō possunt, Plato Dialecticen; Aristoteles, &, teste Boëtio, veteres quoque Peripatetici, Logicen appellarunt: quos secutus Cicero in lib. De fato, Totáque, inquit, ea quæstio est Logicæ, quam rationem differendi voco.

Vnde dicitur Logica?

Nomen Logices ἀπὸ τοῦ λόγου, hoc est, à sermone, dicitur; quòd ad artificiosum & subtile orationis genus, quo docti in suis disputationibus, ad aliquid probandum vel refutandum vti solent, viam paret atque patefaciat.

Vnde dicta est Dialectica?

Dicta eadem quoque ars est Dialectica, à verbo διαλέγεσθαι Græcis idem significante, quod apud Latinos disputo seu dissero, hoc est, familiariter aliqua de re colloquor cum alio, collatis opinionibus & argumentis: nam longè aliud διαλέγεσθαι est, quàm altercari & rixari; hæc enim turpis rei sunt vocabula, illud scientiæ præclarissimæ.

Quid est Dialectica?

Iam explicatam Dialecticæ etymologiam respiciēs Cicero, eam ad hunc modum definit:

Dialectica est ars bene differendi.

Hoc est ratio & via, rectè, ordine & perspicuè quærēdi, respondendi, probādi, confutandi, rémque de qua quæritur, distinctè explicandi, tanquam in colloquio aliquo, in quo collatione argumentorum aliquid inuestigatur. Ideóque diuinus ille Plato in Gorgia hanc scribit, ἐπιστήμην εἶναι τοῦ δοῦναι καὶ ἀποδέξασθαι τοὺς λόγους, hoc est, scientiam esse dandi & accipiendi rationes: quam qui non tenent, hi quantumlibet natura ingeniosi, frequenter in disputando de Alliis interrogati (vt in prouerbio est) de Cepis respondent.

Multum quidem valere fatemur naturæ sagacitatem ad quærendum, respondendum, & de quauis re disputandum: sed quotidiana exempla docent verissimum esse, quod libro quarto De bonorum & malorum finibus asserit Cicero, nimirum: Artē esse du-

cem certiorem quàm naturam; illa suppeditat rationes certas, & quasdam, quæ differentem errare non patiuntur, ostendit vias: hæc vaga est, & in errorem prona, nisi arte regatur, eiusque præceptione veluti freno quodam dirigatur. Vt enim sine arte in canendo etiam hi sæpè aberrant, quos natura ad musicam finxisse videtur; ita in differendo disputandoque qui arte duce non vtuntur, quantumlibet ingenio & naturæ dexteritate præstent; non rarò tamen in errorem prolabuntur. Quemadmodum igitur Grammatica bene loquendi artem, & Rhetorica bene dicendi; sic Dialectica bene disserendi ac disputandi communiter per omnes disciplinas manantem rationem ac viam demonstrat.

Quot sunt Logicæ partes?

Logica duas habet partes, Inuentionem & Iudicium.

Inuentio argumentum subministrat, & materiam confirmandi thematis suppeditat.

Hæc pars, quia locos (qui sunt tanquam receptacula & sedes argumētorum) continet, rectè à Græcis τοπικὴ dicta est, aliàs etiam εὑρετικὴ appellata.

Iudicium argumentum iam inuentum perscrutatur, atque explorat.

Græcè tum κριτική, tum ἀναλυτικὴ nominatur.

Respondent duabus hisce partibus quæ ab Aristotele de Logica doctissimè sunt scripta: quamuis in ordine librorum suorum, eam secutus esse videatur distributionem, qua veteres Logicam in duas alias partes diuiserunt, ἀποδεικτικὴν nimirum (quæ firmissimam concludendi rationem ex certis, claris, atque necessariis enuntiatis progredientem tradit) atque διαλεκτικὴν, quæ earum rerum est, quæ dubitationem ac hæsitationē habent, & probabilia argumenta ad vtranque partem secum adferunt. Quorum quia maior in omni disputatione copia existit, iisque philosophi plurimum vtūtur, factum est vt Logica quoque Dialectices nomine vocetur, partis appellatione, ad vniuersam artem significandam translata.

Quæ sunt artis Logicæ officia?

Artis Logicæ præcipua officia sunt,
- *Obscura definire.*
- *Latè patentia diuidere.*
- *Argumentis*
  - *Vera confirmare,*
  - *&*
  - *Refutare falsa.*

A quibus officiis Boëtius, & ex eo plerique Neoterici, artis huius talem sumunt descriptionem:

Dia-

Dialectica est ars definiendi, diuidendi & argumentandi.

Hoc est, Dialectica est ars, quæ rationem & methodum, rem quamlibet (aut per Grammaticam, aut per aliud quoduis scientiæ genus antè cognitam) aptè explicandi, suis terminis circumscribendi, & quid ei vel sit vel non sit consequens, prudenter explorandi tradit. Vnde palam est, ad dialectici munus non tam pertinere materiam definiendi, diuidendi aut argumentandi subministrare, quàm materiam ab aliis disciplinis subministratam, tali artificio digerere; vt quid res sit, quàm latè pateat, & quid ex ea sequatur, dilucidè ab omnibus percipi queat.

Quæ est materia Logices?

Cùm ex tribus iam commemoratis dialectici muneribus argumentatio primas obtineat, eíque reliqua duo inseruiant atque famulentur; non absurda videtur illorum opinio, qui asserunt argumentationem materiam esse Logices: Nōnulli tamen, iíque haud indocti, non argumentationem, sed quæstionem, materiam Logices esse contendunt, quòd ad eam explicandam vniuersa Logices præcepta referantur: cuius quidem controuersiæ doctissima copiosissimáque tractatio extat apud Rodolphum Agricolam lib. 2. De inuentione cap. 6. quo loco vir doctissimus acutissimúsque opiniones, quæ primo aspectu plurimum dissidere videbantur, vocis [materia] variis significationibus expositis, inter se conciliat.

Quis est artis Logicæ finis & vsus?

Vera à falsis discernere in omni sermone, de quacunque habeatur materia, proprius est Logices finis.

Ab hoc fine non ineptè Logicam esse dixeris organum seu instrumentum, quo quid in vnoquoque sermonis genere verum, falsúmve sit, exploretur.

Sola itaque Logica inter scientias vt ex captionū & orationum inuolutarum labyrinthis facilè nos expediamus, tanquam Thesei filum quoddam exitum præmonstrans, efficit.

Atque illud est quod tertio de Finibus Cicero asseuerat: Dialectica, inquit, habet rationem ne cui falsò assentiamur, néve vnquam captiosa probabilitate fallamur; eáque, quæ dicimus, vt tenere tueríque possimus: nam sine hac arte quéuis arbitramur à vero abduci, fallíque posse. hæc ille.

Vnde existimo neminem adeò cæcum esse, qui non videat hanc artem (quæ aliarum omnium disciplinarum instrumētum est, sine quo illę suum officiū exsequi, imò neque nomen suū tueri queunt) non modò vtilē esse litterarum studiosis, verumetiā necessariam.

Hinc quoque perspicua est eorum temeritas, ne dicam dementia,

tia, qui instrumento vera & falsa diiudicandi neglecto, statim ad sublimiores disciplinas prosiliunt; & quid in earum difficultatibus verum falsúmve sit, sese perspecturos arbitrantur. Certè magnæ est ignauiæ, nolle exiguum tempus instrumento tam necessario comparando impertiri, cùm videamus idiotas in profanis artibus sua sibi instrumēta maximo studio atque industria præparare; probè intelligentes nullam artem, quamuis eximiam, præclarum vllū opus sine conuenientibus & appositis instrumentis posse perficere. Hanc dialectices necessitatem grauibus præterea vetustissimorum scriptorum testimoniis comprobare fuerit facillimum: sed quid opus est Soli alieno lumine?

Elaborauerunt tamen in eiusmodi testimoniis colligendis permulti, apud quos ea videre licet; nos satius esse duximus, singularum Logices preceptionum vsu diligenter ostēdendo, quàm istius scientiæ vtilitatē necessitatemque omnibus notam encomiis non necessariis celebrare.

Quod est inter Logicam & Rhetoricam discrimen?

Adeò vicinæ sunt illæ artes, adeò arcto societatis vinculo inter se deuinctæ, vt ægrè separari queant: Nunquam enim Rhetoricen sine Logica, nunquam Logices vsum (neque enim satis est præcepta degustasse, etsi hoc quoque prodest) sine Rhetorica perfectè cognoueris, rectiúsque simul ambas exercueris, quàm seorsum Dialecticam, Rhetorica exercitatione (vt hodie à quibusdam pessimè fit maximóque studiorum detrimento) penitus neglecta. Adeò denique inter se sunt similes, vt vix vllum inter eas discrimen notari possit.

Hinc Zeno Stoicus finitimam harum duarum artium inter se cognationem indicare volens, (vt in secundo De finibus bonorum & malorum libro, item in Oratore ad Brutum Cicero; & post Ciceronem in Institutionibus suis libro secundo Quinctilianus refert) vna eadémque manu demonstrare solebat, quid inter Dialecticam & Rhetoricam interesse putaret: Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno similem esse dicens: quòd latiùs loquantur Rhetores, Dialectici autem contractiùs. Quódque Dialectica contenta sit docere, & rei dubiæ fidem facere: Rhetorica autem præter fidē etiam motus animorum spectet; in quibus concitandis vel sedandis magnam sæpenumero orationis partem consumit.

Quod idem discrimen referens ex Aristotele Cicero,

,, *Aristoteles*, inquit, *in principio artis Rhetoricæ, dicit il-*
,, *lam artem quasi ex altera parte respondere Dialecticæ,*
,, *vt hoc videlicet differant inter se, quòd hæc dicendi ratio*
latior

,, *latior sit, illa loquendi contractior.*

Hoc est: Logica (quæ res omnes in disputationem incidentes complectitur) aliis disciplinis, rerum ad suam professionem pertinentium explicationem relinquens, breuem viam & methodum, ea quæ aliundè allata sunt, aptè & ad veritatem illustrandam accommodatè disponendi sibi assumit: res ipsas propriis verbis nudè effert, nec vnam sententiam pluribus verbis, aut adhibitis luminibus figurarum pingit; sed Rhetorica addit ornatū in his materiis, quæ orationis copia & splendore illustrari, & variè pingi possunt.

Non enim omnes materiæ illum nitorem ferunt: vt Geometer erit ineptus & ridiculus, si, vt declamator, suis demonstrationibus addere velet ornamenta oratoria.

Et in multis caussis, cùm docendi sunt homines, magis studendum est Dialecticæ proprietati, quàm oratorio splendori.

At in oratione ad mores pertinente maximè locum habent verborum sententiarúmque lumina, quibus excitatur, aut terretur auditor, aut in alicuius rei cogitatione & consideratione diutius detinetur.

Exemplo aliquo luculento discrimen hoc ostende.

Pro Milone, cùm logico siue dialectico satis fuisset dicere, Lege naturæ, vim vi repellere concessum est; Cicero hanc sententiam multis verbis illustrat: Est ergo, inquit, hæc, Iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus; verùm ex natura ipsa arripuimus, hausimus, &c.

Hic eloquendi splendor proprius est Rhetorices: Simplex & nuda sententiæ comprehensio, Logices.

EPILOGVS.

Hæc de Nomine & Descriptione huius artis, de Partibus, Officiis, Materia, Vsu denique ac fine, illóque discrimine, quo à Rhetorica differt, breuiter dicta sufficiant.

Nunc præcepta Organi Aristotelici aggrediamur, & ea quæ in vsu scholarum maximè sunt trita, quæque in primis ad Aristotelem omnis ætatis philosophorum facilè principem rectè intelligendum necessaria iudicantur, quanta fieri potest & breuitate & perspicuitate declarabimus, eadem, quam Aristoteles & Porphyrius secuti sunt, vbique diligenter seruata ordinis ratione.

LOGICES
LIBER I.

IN QVO QVINQVE VOCVM GENERA VVLGO PRÆDICABILIA ET VNIVERSALIA APPELLATA, EXPLICANTVR.



PORPHYRIVS in sua Isagoge exponit quinque vocum communium genera, seu summa quędam capita, ad quæ commodè reuocari possint eę voces simplices vniuersæ, quæ multis rebus attribuuntur. Hęc vocum communium summa capita vulgus Prædicabilia vocat, à prædicando, id est, enuntiando; quia sunt voces quæ aptè de aliis enuntiantur. Vniuersalia quoque vulgò appellantur hæc eadem vocum communium summa capita, quòd suæ vniuersalis & generalis significationis ambitu plurimas res cõplectantur.

Græcè κατηγορούμενα dicuntur, ἀπὸ τοῦ κατηγορεῖν: nam etsi κατηγορεῖν vsitatè significat accuso, tamen etiã in genere significat aliquid de alio commemoro seu enuntio. Et fortassis huiusmodi vocabula primum ex forensibus contentionibus ad Logicen translata sunt: vt cùm dico, Verres est fur: nomen furis eo loco positum est quiddam de Verre enuntiatum; quod vocat Porphyrius Συμβεβηκὸς, Latini accidens. Sic cùm de homine dicimus, Homo est animal rationis particeps, capax disciplinæ: plura de homine enuntiamus, quæ omnia ad hæc vocum communium capita aptissimè referuntur; animal videlicet, ad Genus; rationis particeps, ad Differentiam; & capax disciplinæ, ad Proprium.

Quid est vniuersale seu prædicabile?

COL. *Est vox simplex quæ de multis synonymῶς dici potest.*

LOV. Est quod natum est de pluribus vniuocè prędicari.

Vt animal de homine & bestia synonymôs seu vniuocè, hoc est, vna eadémque ratione atque notione dicitur in his enuntiationibus: Homo est animal, Bestia est animal: similiter bestia de equo, leone, ceruo, &c.

Cur non potest indiuiduum vocari vniuersale?

Indiuiduum, quod Græci ἄτομον vocant, quia de multis vna eadémque ratione affirmari nequit, vniuersale appellari non potest: vt Iesus, Paulus, & id genus alia, de quibus suo loco posteà. Quòd si plures eodem nomine vocentur, id euenit alia atque alia ratione; qua fit vt hoc nomen Ioannes, similiter hoc nomen Petrus, licet de multis verè dicãtur, non ad prædicabilium, sed ad singulariũ

vocum genus, communi omnium Dialecticorum sententia, referantur.

In quas partes distribuitur vniuersale?

In has quinque	Genus	Proprium
	Speciem	&
	Differentiam	Accidens.

DE GENERE.

Recitat tres generis significationes ex Porphyrio.

Genus secundū primam significationē ita à Porphyrio definitur: Γένος λέγεται καὶ ἡ τινῶν ἐχόντων πως πρὸς ἕν τι καὶ πρὸς ἀλλήλους ἄθροισις.

C o l. *Genus vno modo dicitur aliquorum, & qui ad vnum quiddam, & qui inter sese quodammodo affecti sunt, & cognatione quadam coniuncti, multitudo.*

A r g. Dicitur genus aliquorum hominum aggregatio; qui quidem ad vnum quippiam & inter se, habent respectum.

Hoc est, Genus secundùm primam significationem denotát homines ad communem vel parentem vel patriam relatos, ac proinde non modò commune principium, sed etiam sese mutuò respicientes: ita vt ab illa quidem relatione filij, nepotes, pronepotes, &c. item, Europæi, Asiatici, Africani, Brabanti, Louanienses, Colonienses, Treuerenses, &c. appellentur: Ab hac verò consanguinei aut conterranei. hoc modo genus dicuntur duo vel plures filij, comparatione communis parentis: itémque conterranei ad communem patriam relati.

Altera generis significatio.

Λέγεται δὲ καὶ ἄλλως πάλιν γένος ἡ ἑκάστου τῆς γενέσεως ἀρχή, εἴτε ἀπὸ τοῦ τεκόντος, εἴτε ἀπὸ τοῦ τόπου ἐν ᾧ τις γέγονεν.

P e r. Dicitur etiam alio modo genus, vnde alicui ortus principium est, siue ab eo qui genuit, siue ab eo loco in quo quisque ortus est.

C o l. *Altero modo dicitur genus, vnde alicui ortus principium est; siue ab eo qui genuit, siue ab eo loco in quo quis ortus est.*

A r g. Dicitur & alio modo genus, vniuscuiusque principium ortus, tam ab eo qui genuit, quàm à loco in quo est quispiam ortus.

Hoc est, Genus est principiū hominum genitorum, quod principium parens est qui genuit, vel locus in quo quis natus est. Sic pater principium est filiorum: patria, hominum in ea natorum.

Tertia generis significatio.

Ἄλλως δὲ πάλιν γένος λέγεται ᾧ ὑποτάσσεται τὸ εἶδος.

P e r. Iam alio etiam modo genus appellatur, id cui subiicitur species.

C o l.

C o l. *Tertio modo genus appellatur, id cui ſubiicitur ſpecies.*

A r g. Alio modo dicitur genus, id ſub quo ſpecies collocatur.

Vt animal: ſub animali enim homo collocatur.

Quorſum iſta generis ſignificationes hoc loco explicantur?

Ob id adduxit Porphyrius plures generis ſignificationes, vt ὁμωνυμίαν, hoc eſt, ambiguitatem iſtius nominis [genus] declararet. neque tamen omnes generis ſignificationes recenſuit: Nam interdum ita latè ſumitur genus, non minus apud Græcos quàm apud Latinos, vt omnes illæ voces quæ ſuę ſignificationis ambitu multa cōplectuntur, generis nomine appellētur: vt liquet ex eo loco orationis pro Roſcio Amerino, vbi dicit Cicero: Dum hominũ genus erit, qui accuſet eos non deerit. Item ex eo libelli de amicitia loco vbi Cicero dicit: Conſtantes eligendi amici, cuius generis magna pænuria eſt. vnde manifeſtũ euadit, diuerſarũ generis ſignificationum enumeratione non id ſpectaſſe Porphyriũ, vt totã iſtius nominis varietatem explicaret, ſed vt eius homonymiam indicaret, & ſimul eas iſtius nominis ſignificationes proferret, quarum cognitionem ad genus dialecticum perfectiùs intelligēdum conducere putabat.

Declara ſimilitudinem generis logici cum prima generis ſignificatione,

Quēadmodum genus ſecūdùm primam ſignificationem multos homines ab eadem ſtirpe propagatos, aut eadem in patria natos continet; ita genus logicum multas ſub ſe comprehendit ſpecies.

Declara ſimilitudinem generis logici cum generis ſecūda ſignificatione.

Genus logicum & genus ſecundo modo acceptum conueniunt in generali quadam ratione principij: vtrunque enim principium eſt quoddam eorum, quorum genus dicitur.

Recita definitionem generis dialectici.

Γένος ἐστὶ τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει, ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον.

C o l. *Genus eſt quod de multis, ſpecie autem differentibus, dicitur, cùm quid quicque ſit quæritur.*

A r g. Genus eſt, quod de pluribus ſpecie differentibus hoc ipſo quid eſt prædicatur.

Hoc eſt, Genus eſt vniuerſale quod commodè poteſt enuntiari de diuerſis ſpeciebus, cùm quid eæ ſint quæritur: hoc eſt, in oratione quæ appoſitè reſpondetur ad interrogationem qua quid res ſit quæritur: vt animal genus eſt hominis & beſtiæ; quoniam ſi rogetur quid ſit homo, quid beſtia ſit, aptè (homo eſt animal) (beſtia eſt animal) reſpondetur.

Quis est vsus generis Dialectici?

Genus, præterquam quod ad Definitionem, Diuisionem, Demonstrationem, & Aristotelis Κατηγορίας conducit (vt in præfatione sua Porphyrius docet de singulis quinq. vniuersalibus) etiam ad copiam sermonis confert plurimum: Genus enim, quod multa suo ambitu complectitur, in partes seu species si spargas (vt Virtutem in Liberalitatem, Iustitiam, Prudentiam, Fortitudinem, reliquásque virtutes) copiosior hac ratione reddetur oratio.

DE SPECIE.

VT PRIVS generis, sic nunc speciei (ὁμωνυμίας, seu ambiguitatis tollendæ caussa) aliquot recenset Porphyrius acceptiones, duas nimirum, alteram ciuilem seu Grammaticam, alteram Logicam; quæ licet plurimum inter se discrepent, est tamen aliquid in quo conueniant.

Recita duas acceptiones speciei ex Porphyrio.

Prior speciei acceptio his verbis a Porphyrio exponitur.

Τὸ δὲ εἶδος λέγεται μὲν ἐπὶ τῆς ἑκάστου μορφῆς.

PER. Species autem in vniuscuiusque forma dicitur.

COL. *Species dicitur vniuscuiusque forma.*

ARG. Species dicitur de vniuscuiusque forma.

Hinc cuiusque hominis pulchritudo à Græcis εἶδος, à Latinis forma & species vocatur: vnde Latini pulchros, formosos, & speciosos appellant.

POSTERIOREM SPECIEI ACCEPTIONEM his verbis declarat Porphyrius:

Λέγεται δὲ εἶδος καὶ τὸ ὑπὸ τὸ ἀποδοθὲν γένος.

COL. *Vocatur etiam id species quod subest generi.*

ARG. Dicitur & de eo, quod sub assignato genere collocatur.

Hoc est, Species est vniuersale, quod generi paulò antè definito subiicitur: Sic homo species est generi priùs definito, nempe animali subiecta: Similiter animal (licet aliàs genus sit) hic etiam species dicitur; subiicitur enim corpori animato.

Quis est harum acceptionum vsus?

Speciei priori modo acceptæ notitia conducit ad meliùs intelligendam ex ipsius collatione speciem logicam.

Quæ est similitudo inter speciē logicā & speciem priore modo acceptā?

Quemadmodum species priore modo accepta suorum subiectorum omnium pulchritudinem complectitur; sic & species logica omnem generis ornatum seu perfectionem continet. & si quidem infima fuerit, etiā totam suorum indiuiduorum cōtinet naturam, seu

ſeu (vt loquuntur) eſſentiam, quæ in vnaquaque re iudicanda primum obtinet locum.

Recita ex Porphyrio triplicem ſpeciei logica definitionem.

PRIMA EST:

Εἶδός ἐστι, τὸ τασσόμενον ὑπὸ τὸ γένος.

C O L. *Species id eſt quod generi ſubijcitur.*

A R G. Species eſt id quod ſubiicitur generi.

Vt homo animali: nigror colori. Quæ definitio vnà cum ſequente verbis non multum, re autem nihil planè à ſecunda ſpeciei ſignificatione differt.

Quid eſt ſpeciem ſubiici generi?

Speciem ſubiici generi, eſt in categorica ſeu (vt vulgò loquuntur) prædicamentali ſerie directè ſub genere collocari; vt homo ſub animali, & leo ſub beſtia collocatur.

SECVNDA:

Καὶ, οὗ τὸ γένος ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖται.

P E R. Et de qua genus. &c. vt Col.

C O L. *Species eſt, de qua genus in quæſtione qua quid quicq; ſit quæritur, dicitur.*


A R G. Species eſt, de qua genus hoc ipſo quid eſt prædicatur.

Vt homo: quia animal de homine in quæſtione quid eſt dicitur, vt modò declaratum eſt. Notandum autem hîc eſt, duas modò recitatas ſpeciei definitiones ad ſpeciē quatenus ipſa ſubiicibilis eſt, non quatenus prædicabilis vocatur, eſſe accommodatas. Iſtud quoque hoc loco aduertendum, ſpeciem ſubiicibilem & prædicabilem non tantùm ratione & diuerſo reſpectu, verùm etiam re atque denominatione inter ſe differre, ſic videlicet vt inueniatur aliqua ſpecies prædicabilis quæ nullo modo ſit ſubiicibilis, cuiuſmodi eſt rationis particeps; & è diuerſo, inueniatur aliqua ſpecies ſubiicibilis quæ non ſit prædicabilis, cuiuſmodi eſt animal, corpus, & quodlibet intermedium genus: licet interim etiam inueniatur ſpecies aliqua quæ ſimul ſit & prædicabilis & ſubiicibilis, qualis ſpecies eſt homo, equus, & quælibet ſpecies infimum in ſerie categorica obtinens locum.

TERTIA, QVAE EST SOLIVS SPECIEI, quam vocant prædicabilem.

Εἶδός ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ ἀριθμῷ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον.

C O L. *Species eſt quod de multis numero differentibus dicitur, in quæſtione qua rei natura exquiritur.*



ARG. Species est id quod de pluribus differentibus numero hoc ipso quid est prædicatur.

Vt homo est species: nam & de Cicerone & de Catone aliisque hominibus singulis, cùm natura eorum exquiritur, aptè respondetur. Sic equus quoque species est, quòd de Bucephalo & Pegaso similiter dicatur.

Quænam dicuntur differre numero?

Differre numero dicuntur duo aut plura indiuidua naturam quidem eandem participantia, sed accidentibus, seu attributis inter se distincta: vt Socrates & Plato: hic equus & ille equus. Ob id autem eiusmodi indiuidua numero differre à dialecticis dicuntur, quòd differentes numeri partes, vtpote singula, singulas proprias vnitates in se contineant.

Speciei logicæ quis est vsus?

Logicæ species præterquàm quod ad Definitionem, Diuisionem, &c. sicut genus, conducunt; etiam conferunt ad tollendam generis confusionem. Sic Prudentia, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, tollunt confusam & sparsam significandi rationem, quæ est in genere virtutis. Cognita enim natura specierum, perfectiùs & distinctiùs cognoscitur natura generis.

Quomodo diuiditur genus?

Porphyrius genus diuidit in { Sūmū seu primū genus, quod Græcè γενικώτατον. Et medium seu interiectum, Græcè ὑπάλληλον.

Quomodo diuiditur species?

Speciem similiter diuidit Porphyrius in { Infimam seu vltimam speciem, Græcè εἰδικώτατον. Mediam seu interiectam, Græcè ὑπάλληλον.

Recita generis summi duas definitiones ex Porphyrio.

PRIOR EST ISTA:

Ἀφορίζονται τοίνυν τὸ μὲν γενικώτατον γένος, οὕτως, ὃ γένος ὂν, οὐκ ἔστιν εἶδος.

PER. Primum quidem genus definiunt hoc modo, quod cùm, &c. vt Col.

COL. *Primum seu summum genus est, quod cùm genus sit, non est species.*

ARG. Generalissimū est, quod genus est & non species.

Hoc est, Genus summum est, quod cùm sit genus, speciei rationem habere non potest, videlicet subiicibilis: ita enim hoc loco species accipi debet, non vt prædicabilem designet speciē; ita enim definitio, animali (quod est absurdum) conueniret.

ALTERA:

Καὶ πάλιν· ὑπὲρ ὃ οὐκ ἂν εἴη ἄλλο ἐπαναβεβηκὸς γένος.

PER. Item hoc modo: cuius genus esse nullo modo potest.

COL.

C O L. *Summum genus est, cuius aliud genus esse nullum potest.*

A R G. Generalissimum est, supra quod nullum aliud omninò genus transcendit.

Aliud genus hoc loco, vel (vt habet Porphyrius) γένος ἐπαναβεβηκός, seu transcendens, est genus superius, id videlicet quod de altero cum quo cōfertur, in quæstione quid est dicitur: vnde liquet, Quale, Quantum, & similia generalia accidentia, non esse genera substantiam transcendentia, vel supra substantiam posita; quippe quæ de substantia non in quæstione quid est, sed in quæstione quale est, dicuntur. *Summa genera quot sunt?*

Decem vulgò genera summa recenseri solent,	Substantia,	Passio,
	Quantitas,	Vbi,
	Qualitas,	Quando,
	Ad aliquid,	Situs &
	Actio,	Habitus.

Recita tres infimæ speciei definitiones ex Porphyrio.

PRIMA EST:

Τὸ δὲ εἰδικώτατον εἶδος ·· ἀφορίζονται ·· οὕτως· ὃ εἶδος ὄν, οὐκ ἔστι γένος.

P E R. Speciem autem vltimam ·· definiunt ·· hoc modo: quod sic species est, &c. vt Col.

C O L. *Infima species est, quod sic species est, vt non etiā genus sit.*

A R G. Species specialissima est, quæ species est, & non genus.

SECVNDA:

Καί, ὃ εἶδος ὄν, οὐκ ἂν διαιρεθείη εἰς εἴδη.

P E R. Item, quod ita species est, &c. vt Col.

C O L. *Species infima est, quod ita species est, vt in species diuidi nullo modo queat.*

A R G. Specialissima species est, quę alias in species vllas diuidi nequit.

Hæc definitio infimæ speciei adimit quādam generis proprietatem: Proprium enim generi est, in multas diuidi posse species.

TERTIA AC POSTREMA:

Ἔτι δὲ καί, ὃ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ ἀριθμῷ ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορεῖται.

P E R. Item hoc modo: Quod de multis iisque numero, &c. vt Col.

C O L. *Species demum extrema est, quod de multis iisq; numero differentibus dicitur, cùm rei natura quærendo inuestigatur.*

A R G. Specialissima species est, quæ de pluribus differentibus numero hoc ipso quid est prædicatur.

Quæ definitio ipsi speciei infimæ prorsus impropria est: neque enim natura eius, vt infima est, exponit (nam sic respicit genera superiora, quibus inferior ipsa est) sed quaten⁹ dicitur de indiuiduis, quibus est superior. Tota autem manifesta est ex speciei prędicabilis definitione superiùs declarata.

Quomodo definiuntur interiecta, quæ vulgò subalterna vocant?

Τὰ δὲ μέσα τῶν ἄκρων ὑπάλληλά τε καλοῦσιν εἴδη καὶ γένη, καὶ ἕκαστον αὐτῶν εἶδος εἶναι, καὶ γένος τίθενται, πρὸς ἄλλο μέντοι, καὶ ἄλλο λαμβανόμενον.

PER. Quæ autem inter extrema interiecta sunt, ὑπάλληλα genera ac species nominant, & vnumquodque eorum ponunt esse genus & speciem, si ad aliud & aliud comparetur.

COL. *Genera ὑπάλληλα, hoc est, interiecta sunt, quorum vnumquodque & genus & species esse potest, si ad aliud & aliud comparetur.*

ARG. Subalterna genera speciésque sunt, quorum vnumquodque species genúsque est, non respectu tamen eiusdem, sed diuersorum.

Vt in substantiarum categoria, corpus & corpus animatum, aliáque plura inter summū genus & infimā speciē interiecta, quæ cū inferioribus collata, genera sunt; cū superioribus, species: vt planū est ex subiecto schemate, in quo à summo genere categorię substātiæ per inferiora seu media genera ad infimā vsq; speciē descēditur.

GENVS PRIMVM, Substantia.

INTERIECTA,
- Corpus
- Corpus animatum
- Animal
- Bestia
- Animal quadrupes.

SPECIES VLTIMA, Equus.

Sub equo nulla amplius species, sed singuli equi subiiciuntur: vt Bucephalus, Pegasus, Pyrôis, Aeôus, Aethon, Phlegon, &c.

ALIVD EXEMPLVM CATEGORIAE QVANTITATIS.

GENVS PRIMVM Quantitas.

INTERIECTVM Numerus.

SPECIES VLTIMA, Ternarius.

Sub quo singuli ternarij tantùm continentur.

Quis est earum quæ modò explicatæ sunt generis & speciei partitionum vsus?

Sermone res declarandæ sunt, & plerunque arctiora vocabula latioribus sunt declaranda: idcirco in docendo & definiendo, vt res signatè & perspicuè efferamus, plurimum conducit vocum differentias cognouisse, & à latè patentibus eas quę contractiori sunt significatione, posse segregare. Perperam enim docent, qui ex huius distinctio-

distinctionis inscitia, in definiendo verbis vtuntur ad rem non satis appositis, sed vel angustioribus, vel magis quàm oporteat latè patentibus. Proinde vtiliter Porphyrius non contentus semel voces, quarum vna alteri subiecta est, generis & speciei appellatione discriminasse, vlterius ipsa quoque inter se genera, similiter & ipsas inter se species secundùm angustiam & latitudinem suæ significationis distinxit, ad clariùs illam quam diximus vocum cōmuniorum minúsque communium differentiam designandam.

Recita prædicationum regulas quæ à Porphyrio traduntur.

PRIMA EST:

Τὸ μὲν γένος ἀεὶ τοῦ εἴδους κατηγορεῖται, καὶ πάντα τὰ ἐπάνω, τῶν ὑποκάτω, τὸ δὲ εἶδος, οὔτε τοῦ προσεχοῦς αὐτοῦ γένους, οὔτε τῶν ἐπάνω.

COL. *Genus de specie dicitur, & superiora omnia de inferioribus: species autem, neque de genere proximo, neq; de superioribus vllis dicitur.*

ARG. Genus semper de specie prædicatur, omniáque omninò supera de inferis semper dicūtur: species verò neque de propinquo sibi genere, neque de vllo supero prædicatur.

Sic animal de homine dicitur, non contrà: quia dici seu prædicari in his regulis, est dici ordinatè & necessariò.

Necessariò quippiam dici, est ei attribui, cum quo necessariò cohæret: quemadmodum homo Socrati attribuitur in ista oratione, Socrates est homo.

Ordinatè dici, est alicui subiecto attribui in prędicatione quam vocamus ordinatam, quæ latè explicatur in calce huius primi libri, sub titulo De prædicatione.

SECVNDA:

Καθ' ὧν τὸ εἶδος κατηγορεῖται, κατ' ἐκείνων καὶ τὸ τοῦ εἴδους γένος ἐξ ἀνάγκης κατηγορηθήσεται· καὶ τὸ τοῦ γένους γένος ἄχρι τοῦ γενικωτάτου.

PER. In quibus autem species dicitur, in iis etiam speciei genus, & generis genus, ad primum vsque dicetur necessariò.

COL. *De quibus species dicitur, de iis etiam speciei genus, & generis genus, ad primum vsque dicetur necessariò.*

ARG. De quibus species prædicatur, de his & speciei genus, & genus etiam generis, vsque ad generalissimum, necessariò prædicabitur.

Vt quia Socrates est homo, Socrates animal est & corpus animatum, corpus item & substantia.

TERTIA:

Λέγεται τὸ μὲν γενικώτατον, κατὰ πάντων τῶν ὑφ' αὐτὸ γενῶν τε καὶ εἰδῶν καὶ ἀτόμων. τὸ δὲ γένος τὸ πρὸ τοῦ εἰδικωτάτου, κατὰ πάντων τῶν εἰδικωτάτων καὶ ἀτόμων· τὸ δὲ μόνον εἶδος, κατὰ πάντων τῶν ἀτόμων. τὸ δὲ ἄτομον ἐφ' ἑνὸς μόνου τῶν κατὰ μέρος.

COL. *Summum genus de omnibus generibus, formis, indiuiduisq́; quæ ei subiecta sunt, dicitur: & genus quod infima speciē prius antiquiusq́; est, de omnibus formis infimis & indiuiduis: quæ autem species est modò, de indiuiduis omnibus: & indiuiduum de vno solùm singulorum.*

ARG. Generalissimum de generibus & speciebus ac indiuiduis omnibus prædicatur: genus autem quod est ante specialissimam speciem, de vniuersis specialissimis ac indiuiduis dicitur: & species ea quæ est solùm species, de omnibus indiuiduis prædicatur: & indiuiduum de vno solo particulari.

Harum regularum cognitio quam vtilitatem affert?

Vt de connexionibus generis & speciei inter se & cum aliis, melius certiúsque iudicare possimus, in qua videlicet connexione naturalis vocum inter se ordo sit seruatus, & in qua non seruetur: item quæ connexio necessaria sit, & quæ fortuita. Prodest quoque non parum ad falsum à vero prudenter secernendum, & ad propriam cuiusque enuntiationis vim atque sententiam pleniùs perfectiúsque cognoscendam.

DE INDIVIDVO.

Facta est in superioribus regulis indiuidui mentio, quæ res & Porphyrium antè, & nos iam ad eius aliquam declarationem tradendam compellit.

Quot indicat Porphyrius indiuidui descriptiones?

Duas.

Recita priorem indiuidui descriptionem.

Τὸ ἄτομον ἐφ' ἑνὸς μόνου τῶν κατὰ μέρος λέγεται.

PER. Indiuiduum de vno solùm singulorum dicitur.

COL. *Indiuiduum est, quod de vno solùm singulorum dicitur.*

ARG. Indiuiduum est, quod prædicatur de vno solo particulari.

Vt, Iesus, Paulus, Marcus, hic homo.

Quotuplex

Quotuplex est indiuiduum generatim acceptum?

Triplex:

- *Determinatum*,
  - *Ex nomine*, quod nihil aliud est, quàm cuiusque rei nomen proprium: vt, Cicero, Erasmus, Mosa, &c.
  - *Ex demonstratione*, estque compositum ex pronomine demonstratiuo primitiuæ speciei, & voce communi: vt, hic homo, ille equus, &c. Frequenter autem solum pronomen istiusmodi indiuidui supplet vicem: vt [hic] demonstrando Petrum vel Paulum. item [ego, tu] &c. quæ certam demonstrant personam.
- *Vagum*, constans videlicet ex signo particulari, & voce communi: vt, aliquis homo, vel aliquis equus, &c.
- *Ex hypothesi* seu conditione: vt Sophronisci filius, si Sophronisco vnus duntaxat sit filius.

ADMONITIO.

Solum indiuiduum quod determinatum vocant, sub indiuidui iam recitatam definitionem cadit: vaga & ex hypothesi indiuidua; similiter & ea quæ περιφραστικῶς aut κατ' ἐξοχὴν dicta, huc à quibusdam adferuntur: vt Carthaginis euersor, pro Scipione: Troiani belli scriptor, pro Homero: poëta pro Virgilio: orator pro Cicerone, ab ista indiuidui definitione sunt reiicienda. Quòd tametsi rem singularem aliquo modo indicent, reuera tamen communem habeant significationem, & synonymôs, seu vniuocè (vt vulgò loquuntur) de multis dicantur: nam (exempli gratia) qua ratione Cicero est orator, etiam Demosthenes orator est.

Recita alteram indiuidui descriptionem.

Ἄτομα δὲ λέγεται τὰ τοιαῦτα ὅτι ἐξ ἰδιοτήτων συνέστηκεν ἕκαστον, ὧν τὸ ἄθροισμα οὐκ ἂν ἐπ' ἄλλου τινὸς ποτὲ τὸ αὐτὸ γένοιτο.

PER. Quæ indiuidua nominantur ex eo, quòd ex proprietatibus suis quidque constat, quæ omnes in alio eædem esse nullo modo possunt.

COL. *Indiuiduum est, quod ex proprietatibus constat, quæ omnes in alio eædem esse nullo modo possunt.*

ARG. Indiuiduum est, quod ex proprietatibus constat, quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet.

Hoc est: Indiuiduum est quod proprietates habet, quæ simul omnes nunquam attribuêrur multis: vt Socratis proprietates simul omnes nunquam pluribus verè tribuentur.

Quem habet vsum indiuidui cognitio?

Magnum sanè: in primis ad cognitionem generum & specierum infimarum consequẽdam multum prodest indiuiduorum notitia. Cùm enim hæc sola offerantur sensui, verissiméque dicãt philosophi, nihil peruenire ad intelligendi vim, quod prius in sensu non fuerit; à quouis intelligi potest, si perfectam cupiamus generis & speciei

ſpeciei intelligentiã cõſequi, oportere nos ab aliquo quod ſub ſenſum cadat, eò deduci. Quare cùm indiuiduũ illud exiſtat quod ſub ſenſum cadit; neceſſaria nobis in primis eſt eius cognitio. Siquidẽ ex multorũ indiuiduorũ ſimiliũ collectione, ſpeciẽ; ex collectione ſpecierum, genus ſibi format intelligẽdi facultas. Verbi gratia, Cùm videris multos equos, circumfers impreſſam in animo equi imaginẽ, & tanquã pictum quoddã ſimulachrũ: vt equos vbicũque gentiũ oblatos agnoſcas: eam imaginẽ, ſeu potius naturã cõmunem illi imagini reſpondentem dialectici Speciem appellant. Deinceps perceptis equis variis, canibus præterea, apris ac ceruis, diuerſiſque aliis animantibus brutis, animo concipitur omnium illorum animantium communis quędam natura, quę ſub aſpectum non venit. Hæc genus dicitur, & beſtiæ nomine propriè atque primò ſignificatur. Ad ſimilem modum beſtiis hominibúſque generica quædam inter ſe naturæ communio ineſt, ſecundùm quam ſunt animalia. Huiuſmodi autẽ naturæ communes, quæ in indiuiduis exiſtentes, notionibus illis reſpondẽt: ſpecies ſunt vel genera, non, vt quondã in ſcholis inepti quidã docuerunt, res foris extra indiuidua & intelligendi facultatem errantes, qui fingebant eſſe naturas communes, neſcio vbi volitantes. Nos itaque Boëtij & cõmunem philoſophorum ſententiam ſequentes arbitramur, omne quod ſub externum aliquẽ ſenſum cadit, eo ipſo ſingulare eſſe. Quicquid igitur oculis ipſis cernitur; quicquid auribꝰ aut alio ſenſu percipitur, indiuiduum eſt: vt, Hic ſalmo quem vides: hic lupus quem auribus tenes: hæc philomela quam audis canentem, indiuiduum eſt. Species horum ſunt, ſalmo, lupus, philomela; has mente ſola cernere licet. Genera eorundem ſunt, beſtia, animal, corpus, &c. quæ etiam animo duntaxat, non autem ſenſu comprehenduntur.

Hæc ad vſum indiuidui cõmonſtrandum dicta ſunto. Quibus addẽdum, cùm ſingularis enuntiatio ad expoſitoriorũ ſyllogiſmorum & inductionis, & ad reliquarum argumẽtationum doctrinam perficiendam adhibeatur, cognitionem indiuidui, ex quo ſingularis illa enuntiatio conſtat, ad argumentationis naturam plenè intelligendam prorſus eſſe neceſſariam. Denique vſus eius aliquis in Topicis quoque futurus eſt. Eadem eſt enim argumentandi ratio à ſpecie ad indiuiduum, quæ eſt à genere ad ſpeciem.

DE DIFFERENTIA.

PORPHYRIVS more ſuo aliquot differentiæ acceptiones, antequam tertij vniuerſalis explicationem aggrediatur, præmittit; ad tollendam nimirum vocabuli, differẽtia, ambiguitatem: quæ declaratio, cùm ad præſentem locum rectè tractandum, tum ad philoſophicas diſputationes diſtinctiores clarioreſque reddendas, planè erat neceſſaria.

In

In quot partes distribuitur differentia?

Distribuit eam Porphyrius in Communem, Propriam, & Maximè propriam.

Quomodo definitur differentia in genere considerata?

ifferentia est forma, qua aliquid differt à se vel ab alio. Quod autem per formam differt, vocant differens.

In quot partes distribuitur differens?

tres, videlicet in id quod differt { Communiter, Propriè, Maximè propriè.

Quid est secundum Porphyrium communiter differre?

ινῶς μὲν γὰρ διαφέρειν ἕτερον ἑτέρου λέγεται, τὸ ἑτερότητι διαλλάττον ὁπωσοῦν, ἢ πρὸς ἑαυτὸ, ἢ πρὸς ἄλλο.

R. Aliud enim ab alio differre communiter dicitur, quod quauis commutatione vel à se differt, vel ab altero.

OL. *Cõmuniter differre aliud ab alio dicitur, quod sumpto vndecunque discrimine, vel à se differt, vel ab altero.*

RG. Differre quippiam communiter dicitur, cùm diuersitate quouis modo, aut à seipso, aut ab alio differt.

Hoc est, illud communiter differt ab aliquo, quod accidente separabili differt à se vel ab alio: vnde liquet communem differẽtiam nil aliud esse nisi accidens separabile, quo alterum ab altero, vel eipso differt: vt, sessio, cursus, albedo parietis, &c. Facilè enim hęc arari ab iis, quibus inhærent, possunt: vt sessio & cursus ab home sedente, & currente; sicut & albedo à pariete: vterque autem m paries quàm homo) differens est communiter.

Quid est propriè differre?

ως διαφέρειν ἕτερον ἑτέρου λέγεται, ὅταν ἀχωρίστῳ συμβεβηκότι τὸ ἕτερον τοῦ ἑτέρου διαφέρῃ.

R. Propriè autem inter aliqua interest, cùm aliqua affectio, &c. vt Col.

OL. *Propriè differre aliud ab alio dicitur, cũ aliqua affectio vel accidẽs id quod elui funditus non potest, dissimilitudinẽ facit.*

RG. Propriè aliqua differre dicuntur, cùm inseparabili differunt accidente.

Hoc est, Illud ab aliquo differt propriè, quod accidente inseparabili differt à se, vel ab alio. Differentia autem propria est ipsum separabile accidens, quo aliquid differt à seipso, vel ab alio: hu modi differentiæ sunt, albedo cygni, nigredo corui, capacitas iplinæ in homine. cygnus autem, coruus, & homo per eius di formas seu accidentales affectiones ab aliis rebus eas non hatibus propriè differunt.

Quid

Quid est maximè propriè differre?

Ἰδιαίτατα δὲ διαφέρειν ἕτερον ἑτέρου λέγεται, ὅταν εἰδοποιῷ διαφορᾷ διαλλάττῃ.

C o l. *Ea maximè propriè inter se differunt, quæ differentia distant, ea quæ speciei est efficiens.*

A r g. Proprissimè quippiam à quopiam differre dicitur, cùm specifica differentia differt.

Hoc est, Illud ab aliquo differt maximè propriè, quod diuersam distinctámque in se habet εἰδοποιὸν, id est, specificam, seu speciei efficientem differentiam.

Ex qua maximè propriè differentiũ definitione sequitur, Differentiam maximè propriam non esse aliud nisi differentiam speciei efficientem, qua vnum ab altero differt. Differentiam autem speciei efficientem eam voco, quæ coniuncta generi, speciem procreat: vt rationis particeps, quod adiunctum animali, efficit hominem. Homo autem per hoc quòd sit rationis particeps, ab aliis rebus maximè propriè differt.

Quorsum conducit ista triplicis differentiæ explicatio?

Præter hanc commoditatem, quòd vocis (differentia) ambiguitas tollatur, ne ἐκ τῆς ὁμωνυμίας confusio inter docendum oriatur; conducit etiam harum acceptionum declaratio ad definiendi & diuidendi rationem meliùs intelligendam: nam differentiis maximè propriis in species genera diuiduntur, & ex iis perfectæ, omnibúsque suis numeris absolutæ definitiones conficiuntur. Cæteræ verò differentiæ, communes videlicet, & propriæ subiectum variè tantummodo afficientes atque immutantes (vt in earum explicatione Porphyrius docet) ad descriptionum, seu imperfectarum definitionum confectionem sunt idoneæ.

Recita alteram differentiæ diuisionem Porphyrij verbis.

Διαφορὰ
- χωριστὴ
- Ἀχώριστος
  - Καθ' αὑτὴν
    - διαιρετική,
    - συστατική.
  - Κατὰ συμβεβηκός.

Hoc est:

Differentiarum alia est
- *Separabilis*: vt albedo parietis.
- *Inseparabilis*: vt habitus scientiarum qui ab hominibus eruditis difficulter tollũtur. Præterea aptũ ad ridendũ, & rationis particeps, respectu hominis.
  - *Per se*, vt est omnis & sola differentia maximè propria: per se dicta, quòd in definitione essentiali collocetur.
    - Alia diuidit genus,
    - Alia efficit speciem.
  - *Per accidens*, vt est omnis & sola differentia propria.

Membra quæ distinguunt differentiam per se, non reipsa sunt oppo-

pposita, sed tantùm ratione, dupléxque eius officium indicant.

Quaigitur ratione differentia maximè propria appellātur diuidētes?

Diuidētes vocantur, quòd genus diuidant: vt particeps rationis rationis expers diuidūt animal, & veluti in partes distrahūt; quē-modū enim vna eadéque æris massa accedētibus diuersis figuris, viri, mulieris, serpentis, tauri, leonis, cubi, globi, ad varias & di-inctas res artificiosas cōponendas distrahitur; ita quoque anima-s natura vna existens, accessione diuersarū maximè propriarū dif-rentiarum in partes quasdā ad conflandas diuersas species rerum turaliū, hominis videlicet & bestiæ, diuiditur, atque distrahitur.

Cur eadem differentia dicuntur efficere speciem?

Quia additæ generi speciei naturam absoluunt: Cuiusmodi in tegoria substantiæ sunt istæ octo;

Corporeum,	Incorporeum;
Animatum,	Inanimatum;
Sentiens,	Sensus expers.
Rationis particeps,	Rationis expers.

Quis est vsus huius posterioris differentia partitionis?

Hæc posterior differentiæ partitio ad idem vtilis est, ad quod ior acceptionum differentiæ explicatio: nam differentiis per se a maximè propriis, ad genera diuidenda, résque definitione ex-icandas summopere est opus: à quo munere fortuitæ & ascititiæ nnes differentiæ reiiciuntur: vt docet hic Porphyrius. Cui tamen oc videtur addendum, vt differentiarum per se vsus, propterea-m ignorationem, & nominum inopiam, est rarissimus; ita com-unes & proprias differentias in rebus tum distinguēdis, tum de-ibendis frequentissimè à scriptoribus vsurpari, quòd istæ passim uiæ sint, & ad rerum distinctiones efficiēdas accommodatæ. Ita-e vt concedatur, ad res perfectè explicandas, differentias maxi-è proprias esse necessarias, aliarum tamen vsus est multò frequen-simus in cuiusuis rei descriptione atque explicatione.

Recita quadruplicem differentia maximè propria definitionem.

PRIMA DEFINITIO EST ISTA:

ιαφορά ἐστιν, ᾗ πλεονάζει τὸ εἶδος τοῦ γένους.

O L. *Differentia est, qua forma & species genus superat.*

R G. Differentia est, qua species genus excedit.

Hoc est, Differentia est forma vniuersalis, eo modo speciei con-iens, vt in eius natura & essentia includatur, quo modo nulli eriori generi per ipsam differentiam diuiso conuenit: obidque itur hîc species per differētiam genus superare; nimirum, quòd ua natura differentiam includat, quam nullum superius genus eandem differentiam diuisum, similiter includere comperitur:

vt ra-

vt rationis particeps: per hanc enim differentiam homo excedit animal,& quodcunque aliud ſuum genus: Animal item per ſentiens ſuperat corpus animatum, cæteraque ſuperiora genera omnia: denique & homo & animal, per animatum plus in ſe includunt, quàm aut corpus aut ſubſtantia.

Definitur autem hîc tantùm differētia maximè propria, vt ſpecifica eſt, hoc eſt, procreatrix ſpeciei.

Nam aliæ differentiæ, quæ cōmunes & propriæ dicuntur, quòd ad principalis ſeu perfectæ definitionis (quam eſſentialem vocant) confectionem non pertineant, hac definitione minimè continentur. Neque enim partes ſunt, ſpeciei eſſentiam cum genere efficientes: ſed ſpeciebus antè effectis & exiſtentibus adueniunt atque acciduut; vnde & accidentariæ vocari ſolent.

Reiiciuntur & genera à definitione: Genus enim quamuis ſpeciei pars ſit, non tamen forma eſt ſpeciei, ſed potius materiæ ſubit rationem; vt hoc loco Porphyrius tradit.

SECVNDA DEFINITIO QVAE ACCOMMODATVR differentiæ, vt eſt ſpecies vniuerſalis.

Διαφορά ἐστι τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ ὁποῖόν τι ἐστι κατηγορούμενον.

C OL. *Differentia eſt, quæ de multis, ſpecie autē differentibus, dicitur in quæſtione qua quale quid ſit indagatur.*

A RG. Differentia eſt, id quod de pluribus, & differentibus ſpecie, hoc ipſo quale quid eſt prædicatur.

Hoc eſt, Differentia eſt vniuerſale, quod de diuerſis ſpeciebus commodè poteſt enuntiari, cùm quæſtio per quale eſſentiam denotans inſtituitur: Sic rationis expers de leone, equo, cæteríſque animantibus brutis ſpecie inter ſe differentibus, dicitur in quale eſſentiam denotans: nam cùm rogatur, qualis ſecundùm eſſentiam ſuam eſt leo, qualis equus; commodè [leo eſt rationis expers] [equus eſt rationis expers] reſpondetur.

Quotuplex eſt differentia vt rationem obtinet vniuerſalis?

Eſt duplex: Alia enim vni tantūmodo ſpeciei infimæ conuenit, vt rationis particeps, quæ vltimā tantùm ſpeciem, nēpe hominem efficit: Alia latius patet & genus procreat; vt ſentiēs, item rationis expers, & ſimiles differentiæ, quæ genericæ, ab efficiendis generibus, appellantur: ſentiēs enim animal, expers rationis verò beſtiam procreat: quæ in varia deinceps genera vlterius diuiduntur.

Vtra harum differentiarum à Porphyrio hîc definitur?

Definitur hîc duntaxat differentia generica, hoc eſt, talem conſtituens ſpeciem quæ etiam ſit genus, idque vt rationem habet vniuerſalis, ſeu prædicabilis.

Si quis

Si quis velit omnibus in vniuersum differentiis, quatenus sunt prædicabiles, siue generales sint, siue speciales, hanc definitionem accommodare, is vel hanc appendicem addat (aut differentibus numero) vel potius omittat istam contrahentem particulam (& differentibus specie) ad hunc modum.

C o l. *Differentia est forma vniuersalis, quæ de multis prædicatur in quale essentiale.*

A r g. Differentia est forma vniuersalis, quę de pluribus hoc ipso quale quid est dicitur.

Sic rationis particeps de Socrate, Platone, Demosthene & aliis omnibus hominibus dicitur: apposité enim respondetur ad quæstionem, qua de quouis eorũ quæritur, qualis sit secũdum naturam seu essentiam. Similiter dicitur animatum de animali & planta.

TERTIA DEFINITIO.

Qua differentiæ propria ratio, ea nimirum, qua differentia rerum est discriminatrix, explicatur.

Διαφορά ἐστι τὸ χωρίζειν πεφυκὸς τὰ ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος.

C o l. *Differentia id est, quod vim habet ad ea secernenda quæ subiecta sunt sub idem genus.*

A r g. Differẽtia est id, quod suapte natura, ea quę sunt sub eodem genere, separat.

Hoc est, quæ eiusdẽ generis species à se mutuo secundùm naturam disiungit, vt rationis particeps secundum naturam disiungit hominem à bestia, quòd pars sit naturæ hominis, non autem naturæ bestiæ.

DEFINITIO QVARTA.

Verbis non sensu à superiori diuersa, & similiter respiciens maximè propriam differentiam, vt differentia est.

Διαφορά ἐστιν, ὅτῳ διαφέρει ἕκαστα.

C o l. *Differentia est, quo quidque distinguitur.*

A r g. Differentia est, id quo singula differunt.

Hoc est, qua eiusdem generis species secundùm naturam inter se distinguuntur.

An duæ posteriores differentiæ definitiones sunt omnibus suis numeris absolutæ?

Non; quia teste Porphyrio excedunt definitum: quòd iis desit hæc (secundum naturam seu essentiã) vel similis aliqua particula, qualem nos in earum expositione adiecimus. Itaque hæc, secũdum Porphyrij sententiam, absolutissima est differentiæ definitio:

Διαφορά ἐστιν, ὃ πρὸς εἰς τὸ εἶναι συμβάλλεται, καὶ εἰς τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ ὃ τοῦ πράγματός ἐστι μέρος. Hoc est,

Differentia est per quam vnaquæque res est id quod est, valetq́ue ad definiendum quid res sit, atque rei pars est.

C o l. *Differentia est, quod ad rem, eiusq́; vim & naturam aperiendam pertinet, quodq́; rei pars est.*

Ex qua definitione vsus differentiæ manifestior est, quàm vt vlla egeat declaratione.

DE PROPRIO.

Recita quatuor proprij modos ex Porphyrio.

Τὸ δὲ ἴδιον διαιροῦσι τετραχῶς, καὶ γὰρ ὃ μόνῳ τινὶ εἴδει συμβέβηκεν εἰ καὶ μὴ παντὶ, καὶ ὃ παντὶ συμβέβηκε τῷ εἴδει, εἰ καὶ μὴ μόνῳ, καὶ τὸ, μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ποτέ· τέταρτον δὲ ἐφ' οὗ συνδεδράμηκε καὶ τὸ, μόνῳ, καὶ παντὶ, καὶ ἀεί.

P e r. Proprium autem diuidunt quadripartitò, nam & quod vni soli speciei neque toti conuenit, proprium appellant, & quod toti speciei, etsi non soli, & quod in sola totáque specie, idque interdum reperitur. Et quartum id, in quod hæc omnia concurrunt, & conueniunt, quod in sola totáque specie, idque semper intelligitur.

Vel distinctius ad hunc modum:

C o l. *Primo modo proprium dicitur, quod vni soli speciei, neq; toti conuenit.*

A r g. Proprium est id, quod soli cuipiam accidit speciei, etsi non omni.

Hoc modo Medicina, Grammatica, Geometria, cæteræq́. disciplinæ, quæ studio atque labore parantur, homini sunt propriæ.

(Soli) excludit subiectum non subordinatum.

Subiectum subordinatum vocant, quod interuentu alterius aliquid in se recipit, vel cuius interuentu aliquid in alio recipitur. Huiusmodi sunt ipsarum disciplinarum subiecta, siue prima, siue postrema, siue media respicias. Nam disciplinæ omnes primò sunt in mente seu intelligendi facultate, illáque interueniente in animo, & postremò in homine.

Neque ob hoc non conueniunt soli homini disciplinæ, quòd animo eius, & menti conueniant, cùm mens, & animus, subiecta sint subordinata, quæ verbo (soli) non excluduntur.

C o l. *Secundo verò modo, quod toti speciei, etsi non soli conuenit.*

L o v. Secundo modo, id quod omni accidit speciei, etsi non soli.

Sic aptum esse ad duos pedes habendos, homini proprium est.

Accidere omni (id est toti alicui speciei) est conuenire alicuius speciei cuilibet indiuiduo.

C o l. *Tertio, quod in sola specie totaq́;, idq́; interdum, reperitur.*

v. Tertiò modo, id quod soli accidit & omni atque
iandoque.

uem modum ad vitandas Sophistarum cauillationes, sic intel-
e oportet: Proprium tertiò modo dicitur, quod conuenit soli
i speciei, & omni aliquando: Vt, soli homini canitiem accide-
lunt, illique omni in senectute.

*. Quarto modo proprium dicitur; quod in sola totaq; spe-
e, idq; semper, intelligitur.*

r. Quartò modo id, in quod omnia conuenerunt,
t soli & omni semperque accidat.

: ad ridédum aptus, & soli homini, & omni & semper accidit:
tudinis enim gratia dicitur homo γελαστικός, id est, ad riden-
aptus (vt interpretatur Porphyrius in Communitatibus) non
rideat semper.

Quis est istorum proprij modorum vsus?

modi vtilem admonitionem continent, de significatione vo-
li [Proprium] ne quis fallatur. Neque enim semper eodem
o voce proprij vtuntur scriptores.

:æterea etiam ob hanc causam vel maximè est necessaria mul-
tiú proprij acceptionū cognitio, vt proprium quarti modi ci-
rorem possimus ab aliis segregare, hoc enim solum præsenti
t instituto, & id solū apud Porphyriū proprij prædicabilis ob-
appellationem, vt ex Communitatibus (quas ad finem tracta-
e vniuersalibus colligit Porphyrius) est manifestissimum: vbi
discrimina speciei & proprij cùm recensuisset, subiunxit:

*æterea quorum definitiones sunt diuersæ, ea etiam sunt di-
rsa: at speciei quidem definitio est sub genere esse, & de plu-
ıs differentibus numero, hoc ipso quid est, prædicari, & quæ
ıt similia. Proprij verò, soli & semper atque omni inesse.*

quibus verbis liquet, proprium quarti modi à proprio prædi-
secundùm Porphyrij sententiam non esse distinguendum:
n enim verba, quibus paulò antè descriptū fuerat quarti modi
rium, hoc loco repetens Porphyrius ea definitionis loco, pro-
orædicabili attribuit.

Quod est discrimen inter proprium prædicabile & accidens?

roprium prædicabile ita Porphyrius in Communitatibus sub
n Isagoges ab Accidente distinguit:

*Proprium prædicabile prædicatur accidentaliter, & con-
ersim: Accidens verò accidentaliter, & non conuersim
rædicatur.*

Ex quibus Porphyrij verbis quidã philoſophi admodũ probabiliter, noſtro iudicio, ratiocinantur: Riſibile, ſecundùm Porphyrij ſententiam, reſpectu hominis quidem, cum quo reciprocatur, non autem reſpectu animalis aut reſpectu Iohannis, cum quo nullam habet reciprocationem, veram obtinere proprij rationem.

„ *Nemo enim (vt in primo Topicorum Ariſtoteles docet) proprium dicit, quod contingit alij ineſſe.*

Cum quo planè conſentit Porphyrius, cùm dicit:

„ *Proprium vni ſoli ſpeciei ineſt, vt riſibile homini.*

Deinde interiectis iis quæ ad accidentia ſpectant:

„ *Quapropter proprium quidem conuertitur cum eo cuius eſt proprium, & eſt ipſi æquale.*

Ita Porphyrius in Communitatibus, inculcátque ibidem hæc ſæpius. Quare Ariſtotelis Porphyrijque doctrinæ conſentaneum videtur, dicere prædicationem proprij de generibus eius ſpeciei, cum qua reciprocatur, quinti eſſe prædicabilis; prædicationem verò proprij de indiuiduis eiuſdem ſpeciei, non quidem habere perfectam rationem quarti prædicabilis; ad eam tamẽ, quia neceſſaria eſt, potiùs quàm ad accidentis prædicationem, eſſe referendam.

Quem habet vſum proprij prædicabilis cognitio?

Proprium, vt reliqua vocum communium genera ad Definitionem, Diuiſionem, Demonſtrationem, & Ariſtotelis κατηγορίας facilius intelligendas conducit: deinde etiam quemadmodum differentiæ, ad ſpecies eiuſdem generis diſcriminandas. Etenim homo per hoc quòd diſciplinæ vel doctrinæ capax ſit, rectè & perſpicuè ab aliis animalis ſpeciebus, hac proprietate carentibus, ſecernitur.

Prodeſt etiam maximè propriũ, quòd in rebus definiendis verarum differentiarũ locum (quarum maxima eſt paucitas) obtineat.

Verarum enim differentiarũ loco ponitur, { Vel propria διάθεσις, ſeu propenſio: vt, Homo eſt animal ſyllogiſticon, id eſt, ratiocinandi facultatis particeps. Vel etiam accidentium coaceruatio. }

Vt cùm definientes ignem, dicimus ipſum eſſe elementum calidum & ſiccum. Licet enim calor & ſiccitas ignis ſint accidentia, coniuncta tamen, rectè vſurpantur loco veræ ignis differentiæ: ad cuius perfectam cognitionem & cõmodam nominationem nondum pertigit (quantum ex multorum hac de re philoſophorum ſententiis iudicare poſſumus) humanæ mentis imbecillitas; quæ cùm in aliis plurimis rebus, tum maximè in veris rerum differẽtiis inueniendis, commodéque efferendis, ſeſe prodit.

Quid intereſt inter differentiam & proprium?

Inter proprium & differentiam hoc intereſt, quòd hæc (vt ex ſu-

eriùs dictis est manifestum,) ad rei essentiam pertineat, sitque s rei: Proprium verò huiusmodi non est, sed propensio dunta- & habilitas ad opus naturale.

Asinorum	Rudere.
Boum	Mugire, boare.
Bubonum	Bubulare, *In carmine quod adscribitur Ouidio*
Camelorum	Blaterare, *Festus.*
Canum	Latrare.
Ciconiarum	Crepitare rostro.
Cornicum	Cornicari.
Coruorum	Crocitare.
Elephâtorum	Barrire.
Gallinarum	Glocitare, *Festus.* Glocire, *Colum. lib.8. cap.5.* Pipire, *Colum.*
Leonum	Rugire.
Ouium	Balare.
Passerum	Pipilare, *Cat. de passere Lesbiæ suæ.*
Ranarum	Coaxare.
Suis	Grunnire.
Vulpis	Gannire, *Donatus.*

Hæc igitur ex optimis quibusque auctoribus in gratiam stu- osæ iuuentutis congerere libuit; ne ipsi hoc loco in risibilis & anibilis molesta inculcatione perpetuò inhærendum foret. At- i in omnibus istis verbis non actus ipse præsentis temporis, sed bilitas quædam naturalis est intelligenda.

DE ACCIDENTE.

Recita tres accidentis definitiones ex Porphyrij verbis.

PRIMA EST:

μβεβηκὸς δ' ἐστὶν, ὃ γίνεται καὶ ἀπογίνεται χωρὶς τῆς τοῦ ὑποκειμένου φθορᾶς.

OL. *Accidens est, quod adest & abest, sine eius rei, in qua situm est, interitu.*

RG. Accidens est, quod adest atque abest, sine subiecti corruptione.

Hoc est, Accidens est res communis, quæ alicui subiecto inhæ- t, & potest saltem cogitatione ab eodem subiecto separari, ipsius biecti natura seu essentia permanente salua: vt, albedo, accidens t hominis, nigredo corui, & Æthiopis.

Quotuplex est accidens?

Duplex: videlicet, Separabile, & Inseparabile.

Quid eſt accidens ſeparabile?

Accidens ſeparabile eſt, quod reipſa per vim naturalē à ſuo ſubiecto facilè ſeparari poteſt: vt, albedo à pariete facilè ſeparatur.

Quid eſt accidens inſeparabile?

Accidens inſeparabile eſt, quod reipſa difficulter, aut nullo modo, per vim naturalem, ſeparari poteſt: vt, leuitas aëris, & ignis calor; quæ reipſa aut nullo modo, aut admodū difficulter à ſuis ſubiectis auelli poſſunt, aut cogitatione facilè & perſpicuè auelluntur, dum aduertit mens humana leuitatem, calorem, & id genus aduenticias atque fortuitas res non eſſe corporum partes, nec ad eorum eſſentiam aut naturam pertinere.

SECVNDA:

Συμβεβηκός ἐστιν, ὃ ἐνδέχεται τῷ αὐτῷ ὑπάρχειν, ἢ μὴ ὑπάρχειν.

COL. *Accidens eſt, quod & ineſſe in eadē re, & non ineſſe poteſt.*

ARG. Accidēs eſt, quod ineſſe, & non ineſſe eidē poteſt.

Intellige viciſſim, & ſaluo permanente ſubiecto.

TERTIA:

Συμβεβηκός ἐστιν, ὃ οὔτε γένος ἐστίν, οὔτε διαφορά, οὔτε εἶδος, οὔτε ἴδιον, ἀεὶ δέ ἐστιν ἐν ὑποκειμένῳ ὑφιστάμενον.

COL. *Accidens eſt, quod nec genus eſt, nec differentia, nec ſpecies, nec proprium, ſempérque in re ſubiecta inhæret.*

ARG. Accidens eſt, quod neque genus, neque ſpecies, neque differētia, neque proprium eſt, ſemper autem eſt in ſubiecto.

Hoc eſt, Accidens eſt vniuerſale, quod alicuius cōparatione (nimirum ſui ſubiecti) neque genus, &c. ſemper autem, quamdiu exiſtit, in ſubiecto inhæret.

Definitur hîc accidens, quod eſt quintum vniuerſale, & ſolum: Priores duæ definitiones etiam proprium quarto modo comprehendunt. Poteſt enim tota rei cuiuſlibet eſſentia animo comprehendi atque cogitari naturalibus ipſius rei propēſionibus omiſſis, quòd eiuſmodi propenſiones in ipſa rerū eſſentia non includantur.

Poſſent tamen conuenienti interpretatione ita reſtringi duę illæ priores accidentis definitiones, vt ab iis proprium excluderetur; verum id earum verba per ſe non habent.

Quis eſt vſus accidentis?

Accidētia ad ea conducunt, ad quæ propria: frequētiſſimè enim coaceruatione accidentium res definimus atque diſtinguimus; vt in deſcriptionibus differentiiſque plantarum, gemmarum, animalium, elemētorum, ſimiliúmq. rerum conficiendis eſt manifeſtum. Deinde conducunt peculiariter accidētia, ad ſingula indiuidua à ſe

...tuò distinguenda. Sic Menelaus ab Vlysse apud Homerum di...
...guitur: quòd ille ὁ πολύμυθος, hoc est, non multiloquus, non
...bosus fuerit; Vlysses verò πολύμυθος, & copia dicendi mirabilis,
...minis instar hibernis aucti niuibus ruens. Sic inter Xenocratem
...Aristotelem aptè discrimen per accidentia constitueris, si hunc
...racuto, illum hebeti admodum ac tardo fuisse ingenio dicas.

...mnium eorum, quæ hactenus tradita sunt, ad iuuandam puerorum memoriam, generalis comprehensio.

In Prooemio explicantur, logices

- *Etymologia*
  - Logice dicitur à nomine λόγος.
  - Dialectice à verbo διαλέγεσθαι.
- *Definitio*
  - Ratio disserendi.
  - Ars bene disserendi.
  - Ars definiendi, diuidendi & argumentandi.
  - Instrumentum explorandi quid verum & quid falsum.
- *Partes*
  - Secundum vnam distributionem
    - Inuentio & Iudicium.
  - Secundum aliam
    - Apodictica & Dialectica.
- *Officia*
  - Obscura definire.
  - Latè patentia diuidere.
  - Argumentis
    - Vera confirmare.
    - Refutare falsa.
- *Materia seu ὑποκείμενον*
  - Vel, id quod præcipuè docetur, videlicet Argumentatio.
  - Vel, id quod argumentatione explicatur, nimirum Quæstio.
- *Finis ac vsus* est, vera à falsis discernere in omni sermone.
- *Discrimen à Rhetorica*
  - Nitor elocutionis proprius est Rhetorices.
  - Simplicem & nudam probationem inuenire, & inuentam aptè ad aliquid confirmandum vel refutandum disponere, proprium est Dialectices.
- *Exemplum* luculentum huius discriminis ibidem ex oratione pro Milone.

SCHEMA TRACTATIONIS DE VNIVERSALIBVS.

Vocum simplicium duo præcipua sunt genera.

Indiuiduum
- Determinatum:
  - Ex nomine: vt Socrates.
  - Ex demonstratione: vt hic homo. Frequenter etiam solum pronomen huiusmodi compositi locum supplet: vt dum dicitur in scriptura sacra, Non hunc, sed Barabbam.
- Vagum: vt aliquis homo.
- Ex hypothesi: vt Sophronisci filius, &c.

Vniuersale

1. Genus logicũ
- Summum genus: vt Substantia, Quantitas, Qualitas, &c.
- Genus intermedium: vt Animal, color, &c.

Ad cuius perfectiorem declarationem, quædam de duabus aliis generis significationibus à Porphyrio præmittuntur; quarum priori cõsanguineos & cõterraneos, altera parentem & patriam genus denotat.

2. Species logica
- Subiicibilis & non prædicabilis: vt, Animal. Quæ vocatur quoque subalterna & intermedia species.
- Prædicabilis
  - Et non subiicibilis; vt rationis particeps, respectu sui indiuidui, quod est, hoc rationis particeps.
  - Et subiicibilis simul: vt, Homo, quæ etiam ima, seu infima species appellatur.

Ad cuius vberiorem declarationem, & faciliorem intelligentiam, etiam alia speciei significatio, qua videlicet species pulchritudinem significat, à Porphyrio exponitur.

3. Differentia
- Separabilis: vt, albedo parietis.
- Inseparabilis
  - Per se
    - Efficiens speciem.
    - Diuidens genus.
  - Per accidens: vt habilitas ridendi: item calor ignis.

4. Proprium
- Primo modo, quod soli, non omni tribuitur: vt Medicina comparatione hominis.
- Secũdo modo, quod omni, non soli tribuitur: vt color comparatione hominis.
- Tertio modo, quod soli, & omni aliquando conuenit. Sic caniciem soli homini accidere volunt, iliíque omni in senectute.
- Quarto modo, soli & omni, & sẽper cõuenit: vt habilitas ridendi, si hominẽ referatur.

5. Accidens
- Separabile: vt, Dormire, sedere.
- Inseparabile: vt, Calor ignis.

SCHEMA ALTERVM.

De conuenientia & differentia vniuersalium.

Vniuersalia de multis dicuntur, aptéque respondentur

Ad { Quæstionem institutã per quid, { De differentibus specie: vt genus. / De differentibus numero: vt species. } / Quæstionem institutam per quale, { Essentiale seu essentiam denotans: vt differentia. / Fortuitum seu accidẽtarium, { Reciprocè, vt proprium. / Non reciprocè, vt accidens. } } }

Quam afferunt vtilitatem hactenus tradita de vniuersalibus præceptiones?

Præcipuè conducunt istæ præceptiones ad rectè de vocum simplicium connexionibus iudicandum, quæ nimirum veræ sint, quæ falsæ; quæ necessariæ, quæ fortuitæ: quæ naturales, quę contra naturam rerum aut vocum sint confectæ.

Nam omnes legitimæ connexiones, seu (vt loquuntur dialectici) prædicationes, in quibus vsitatus & naturalis vocum ordo seruatus est, referuntur ad aliquem istorum modorum: Vt aut de indiuiduo species, aut de specie vel indiuiduo genus, aut differentia, aut proprium, aut accidens enuncietur.

DE PRAEDICATIONE.

PRAEDICATIONES, quarum discrimina commodissimè ex vniuersalium distinctione sumuntur, iunioribus maximè notas esse oportet, vt enuntiationes necessarias à non necessariis, & figuratas ab apertis & simplicibus discriminare queant.

Quandoquidem igitur hic locus ad prædicationes tradẽdas opportunus videtur, eas, quanta fieri poterit & breuitate & perspicuitate, nunc declarare nitemur.

Quid est prædicatio generatim sumpta?

Prædicatio generatim sumpta, est enuntiatio, in qua aliquid de aliquo dicitur.

Vt, Nestor est eloquens. Nouerca est iniusta: Marcus est Tullius.

Quomodo diuiditur ita generatim sumpta prædicatio?

Vt enuntiatio, ad hunc videlicet modum:

Prædicatio { Vera { Simplex seu propria, / Figurata, / Inusitata. } / Falsa. }

Quid est prædicatio vera?

Prædicatio vera est, quæ cum re, quam affirmat aut negat, congruit atque consonat.

 Vt, Mun-

Vt, Mundus ex nihilo est creatus.

Quid est prædicatio falsa?

Prædicatio falsa est, quæ cum re, quam affirmat aut negat, non congruit neque consentit.

Vt, Mundus est æternus.

Quid est prædicatio propria?

Propria est, quæ sermone constat proprio, & vsitato.

Vt, Dilia est fluuius: Thersites est deformis.

De prædicatione propria in sequentibus fusiùs dicetur.

Quid est figurata prædicatio?

Figurata est, quæ sermone improprio & aliud quàm prima fronte præ se fert, significante, constat.

Vt, Parturiunt montes.

Quid interest inter apertas & figuratas locutiones eodem spectantes?

Apertæ & figuratæ locutiones eodem spectantes, re ac sententia penitus inter se conueniunt, totáque earum differentia posita est in orationis varia conformatione & vocum diuersitate. Quemadmodum enim in ista oratione, Tyrannus est effrenata nocendi libidine lupo persimilis, accidens suo subiecto tribuitur: Sic in ista, Tyrannus est lupus, vnum idémque accidens de eodem subiecto enuntiatur. Similiter duæ istæ enuntiationes, Menedemus est obtusus, &, Menedemus est stipes, verborum duntaxat & phrasis diuersitate inter se differentes, vno eodémque hebetudinis accidente Menedemi ingenium esse obscuratum, significant.

Quam vocas inusitatam prædicationem?

Inusitatã prædicationem hic vocamus enũtiationem de filio Dei.

Vt, Deus est homo: Deus est verbum.

Hæ non sunt examinandæ ad regulam aliarum prædicationum, in quibus non cõiungimus species disparatas; non enim dicimus, Aper est ceruus, Albedo est sonus, Corpus est color.

Videndum est autem in hoc genere diligenter, quas affirmationes & negationes sermo ecclesiæ receperit. Non enim dicimus in abstracto: Diuinitas est passa; quia hic diuina natura seorsum considerata significatur. Et Petrus inquit Christum passum esse in carne, hoc est, in natura humana. Sed in concreto conceditur prædicatio, Deus est passus; hoc est, Hæc persona, quæ est Deus & homo, est passa.

Cæterùm quamuis inusitata prædicatio propriè ad Theologos pertineat, nos tamen consultò eam breuiter attingere voluimus; vt intelligeret lector, etiam ad grauissimas Theologorum disputationes intelligendas, huius loci doctrinam aditum patefacere.

ADMONITIO.

Omissis falsis & negantibus, similiter figuratis & inusitatis prędicationibus, proprias duntaxat, affirmantes & veras, paulò latius explicare nitemur: de illis enim solis in scholis agi solet, prædicationis vocabulo angustissimè accepto.

Quid est prædicatio secundum communem & tritam scholarum doctrinam?

Prædicatio est enuntiatio aiens & vera, quæ, copula verbali præsentis temporis interueniente, simplex prædicatum de simplici subiecto enuntiat.


Quid hoc loco est simplex prædicatum, & simplex subiectum?

Simplex prædicatum hoc loco, & simplex subiectum vocatur, quod vel vnica & simplex vox est, vel plures per περίφρασιν *pro vna posita.*

Prioris exempla sunt, Animal, Homo, Color; in his enuntiationibus, Homo est animal, Petrus est homo, Albedo est color; posterioris autem, Rationis particeps, Ad ridendum aptus; in his pronuntiatis, Homo est rationis particeps, Paulus est ad ridendum aptus. frequenter enim simplicibus vocibus deficientibus, earum loco periphrasi vti dialectici coguntur.

Quomodo distribuitur ista scholarum vsu trita prædicatio?

Ad hunc modum:



Quid est prædicatio ordinata?

Prædicatio ordinata est, in qua seruato naturali ordine, quod aptius est ad prædicati locum tenendum, id prædicatum est: & quod aptius est ad subiecti locum tenendum, id subijcitur.

Vt, Homo est animal, Sonus auditur.

Quid

Quid est prædicatio interna?

Interna prædicatio est, in qua res per prædicatum significata, est in re per subiectum denotata.

Vt, Coruus est niger: Homo est animal.

Quid est prædicatio externa?

Externa prædicatio est, in qua res per prædicatum significata, non est in re per subiectum denotata.

Vt, Sonus auditur: Paries videtur. De hac re latiùs postea.

Quid est prædicatio essentialis?

Essentialis prædicatio est, in qua res per prædicatum præcipuè significata, de natura est ipsius subiecti.

Vt, Homo est animal: Socrates est homo: Homo est rationis particeps.

Quid est prædicatio accidentalis seu fortuita?

Fortuita prædicatio est, in qua res præcipuè per prædicatũ significata nõ est de essẽtia, seu natura eius rei, quã denotat subiectũ.

Vt, Aër est leuis: Democritus est aptus ad ridendum.

Quid est prædicatio primi prædicabilis?

Prædicatio primi prædicabilis est, in qua genus de sua specie dicitur.

Vt, Homo est animal.

Vnde liquet prædicationem generis de indiuiduo (vt Plato est animal) non propriè huc pertinere, sed reduci tantùm.

Quid est prædicatio secundi prædicabilis?

Prædicatio secundi prædicabilis est, in qua species de suo indiuiduo dicitur.

Vt, Bucephalus est equus: Hoc rationis particeps est rationis particeps.

ADMONITIO.

Moneri hoc loco in scholis solet, ne prædicatio generis aut speciei de suo inferiore falsa sit, quædam esse obseruanda.

In primis, vt prædicatum & subiectum similiter efferantur, vel ambo in abstracto, vel ambo in cõcreto. Vnde hæ sunt falsæ: Album est color: Albedo est colorata.

Deinde, si ambo sint abstracta, vt neutrũ eorum sit abstractum (vt vocant) vltima abstractione. Nam huiusmodi abstractã neque superioribus subiici, neque de inferioribus verè enuntiari possunt. Sunt enim istę falsę: Humanitas est animal, Paulus est humanitas.

Tertiò, si ambo sint concreta, vt non respiciant diuersa. Vnde hæc est falsa: Videre est sentiri. Videre enim respicit subiectum in quo est sensus Sentiri autem obiectum circa quod versatur sensus.

Sed

d dicendum erat, Videre est sentire, vel videri est sentiri.

Nam actiua verba hæc, sentio, video, audio, tágo, & similia per-ient ad subiectum inhæsionis, de quo & dicuntur prædicatione uinti prædicabilis: vt Homo videt. Passiua verò ipsis respōdentia feruntur ad obiecta sensuum, de quibus dicuntur prædicatione cterna: vt, Color videtur, Sonus auditur.

Quid est prædicatio tertij prædicabilis?

rædicatio tertij prædicabilis est, in qua dicitur differentia de specie quam constituit, vel eius inferiori.

t, Bestia est rationis expers. Equus est rationis expers.

Dixi (*de specie quam constituit, vel eius inferiori*) nam de genere uod diuidit differentia, solùm reductiuè ipsam dici, prædicatio-e tertij, magno consensu tradunt dialectici: vt, Animal est ratio-is expers, Substantia est corporea.

Quomodo propriè definitur prædicatio quarti prædicabilis?

rædicatio quarti prædicabilis est, in qua proprium prædicabile dicitur de specie cum qua reciprocatur.

Vt, Homo ridet, Elephas barrit, Leo rugit; vt verba facultatem uandam naturalémque habilitatem designent; non autem ipsius abilitatis actum.

Porrò prædicatio proprij de indiuiduis aut superioribus suæ peciei: vt, Democritus ridet, Heraclitus flet: Item, Animal ridet, Corpus animatum flet aut reductiuè tantùm, quarti dicitur, aut ectiùs quinti prædicabilis, ex sententia Porphyrij & Aristotelis rius à nobis commemorata.

Quid est prædicatio quinti prædicabilis?

rædicatio quinti prædicabilis est, in qua accidens de suo subie-cto enuntiatur.

t, Homo est doctus, Ignis est calidus.

MONITIO.

Hanc accidentis prædicationem (quæ omnium maximè intri-ata est, longéque iudicatu difficillima) solemus in Categoriis per ngulas accidētium categorias viua voce posteà explicare: Quan-itatum prædicationes, circa Quantitatis categoriam, reliquásque uo loco declarantes. Quod longè consultius est, quàm congestis n hunc locum sexcentis regulis, rem per se perplexam intempesti-a tractatione magis obscurare.

Cæterùm istud monendi hîc sunt studiosi, vt diligenter obser-ent quibus rebus tanquam subiectis, accidentium vnumquodque nhæreat; quo perspecto, de prædicatione accidentis iudicare fa-illimum erit.

Quid

Quid est prædicatio inordinata?

Prædicatio inordinata est, in qua inter subiectũ & prædicatum vel nullus est naturalis ordo, vel perturbatus.

Prioris partis exempla sunt: Ensis est gladius, Dulce est album: quas prædicationes inordinatas præter ordinem vocamus; quòd nullus omnino sit naturalis ordo inter extrema.

Posterioris partis exemplum: vt, Animal est homo: quàm prædicationem inordinatam contra ordinem dicimus.

Quid est prædicatio inordinata contra ordinem?

Inordinata cõtra ordinem prædicatio est, in qua est ordo perturbatus, quæq; extremorum permutatione ordinata redditur.

Vt, Animal est homo. permutatis enim ad hunc modum extremis, Homo est animal, fit ordinata.

Quid est prædicatio inordinata contra ordinem primi prædicabilis?

Prædicatio inordinata cõtra ordinem primi prædicabilis est, quæ extremorum permutatione efficitur primi prædicabilis.

Vt, Planta est arbor. Hæc enim est primi, Arbor est planta.

Quid est prædicatio inordinata contra ordinem secundi prædicabilis?

Est quæ extremorum permutatione efficitur secundi prædicabilis.

Vt, Homo est Petrus. Hæc enim est secundi, Petrus est homo.

Ad eundem quoque modum definiẽdæ sunt prædicationes contra ordinem tertij, quarti, & quinti prædicabilis.

Quid est prædicatio inordinata præter ordinem?

Prædicatio inordinata præter ordinẽ est, in qua inter subiectum & prædicatum nullus est naturalis ordo: quæq; si conuertatur, non fit tamen ob id ordinata.

Vt gladius est ensis, Musicus est rhetor, Album est dulce.

Sunt enim istæ prædicationes eiusmodi, vt, licet subiectum & prædicatum earum inter se locum permutent, nihilo tamen magis ob id futuræ sint ordinatæ: veluti si ita efferantur, Ensis est gladius, Rhetor est musicus, Dulce est album.

Quid est prædicatio identica?

Identica prædicatio est, in qua idem de seipso vel sub eodem nomine vel sub diuerso enuntiatur.

Vt, Homo est homo, Gladius est ensis.

Quid est prædicatio per accidens?

Prædicatio per accidens est, in qua duo concreta, , quorum neutrum in abstractum mutari potest, salua orationis veritate, inter se coniunguntur.

Vt

Vt, Album est dulce, Pater est pius, Nouerca est iniusta.

Quot sunt præcipua & magis vsitata prædicationum per accidens genera?

Tria sunt, quorum primum est:

Quando differentia vna verè dicitur de altera differentia, vel de proprio, vel de accidente.

Vt, Corporeum est animatum, Flebile est rationis particeps, Album est inanimatum. Aduertendum est, eas demum differẽtiarum e differentiis, propriis, vel accidentibus prædicationes veras esse, quæ ex eiusmodi constant differentiis, propriis vel accidentibus, quorum ambo in vna eadémque re singulari verè coniuncta reperiuntur. Quare falsa est ista prædicatio, Corporeum est incorporeum: nulla enim inuenitur res singularis, in quam concurrant eiusmodi differentiarum significationes.

SECVNDVM.

Quando vnum proprium verè dicitur de alio proprio, vel de differentia, vel de accidente.

Vt, Aptus ad ridendum, est aptus ad flendum: Item, Rationis particeps, est risus quoque particeps: Mœstus, est ad ridendum idoneus.

TERTIVM.

Quando vnum accidens dicitur de altero accidente, vel de differentia, vel de proprio.

Vt, Album est dulce, Corporeum est nigrum: Aptus ad ridendum, est mœstus.

Quod modò diximus de variis prædicationum per accidens generibus, tametsi plerunque sit verum, non est tamen perpetuum, id tum demum certam obtinet veritatem, quando concreta de se mutuò enunciata, sunt eiusmodi, vt neutrum in abstractum mutari possit, salua orationis veritate.

Hæ igitur non sunt per accidens, Album est coloratum, Videns est sentiens; cùm hæ veræ sint, Albedo est color, Visus est sensus: vtroque concreto in abstractum mutato.

Rursum nec hæ per accidens sunt, Sonorum auditur, Coloratum videtur; cùm veræ sint hæ, subiecto in abstractum mutato: Sonus auditur, Color videtur.

Explica latiùs vsum prædicationis inordinatæ per accidens.

Istius generis prædicationes amplissimum habent in philosophia vsum. Cùm enim ad proprium philosophi munus pertineat, quique ea quę rei cuilibet per se conueniunt, ab iis quæ ipsi per accidens tribuuntur, & quæ ordinata sunt ab inordinatis separare, ad huius philosophici muneris partem rectè obeundam plurimùm conducit præsentis loci doctrina.

DE PRAEDICATIONE EXTERNA.

NVNC tempestiuum fuerit & vtile ad perfectius de vocum connexionibus iudicandum, meliúsque externas ab internis sicut oportet dirimendas; genera etiam aliquot eius prædicationis, quam propriè externam scholæ vocant, exposuisse.

Quot sunt igitur genera eius prædicationis quæ in scholis proprio nomine externa appellatur?

Tria.

VNVM GENVS EST:

Quando voces concretiua significantes actus virium naturalium de obiectis, seu in cócreto, seu in abstracto designatis, dicútur.

Vt, Coloratú videtur, color videtur: Sonorú auditur, sonus auditur.

SECVNDVM:

Quando cum suo fundamento seu denominato connectitur vocabulum secundæ intentionis.

Vt, Animal est prædicatum, subiectum est homo.

Homo subiicitur, corpus est genus, canis est ὁμώνυμον, id est, æquiuocum.

Quæ autem à Dialecticis dicantur secundæ intentionis vocabula, in edito nuper à nobis libello Prodidagmatúm, de Dialecticis vocum proprietatibus videre licet, apertè declaratum in capite De vsitata apud Dialecticos vocum diuisione; vt minimè opus sit hîc repetere.

TERTIVM:

Quandocunque adiectiua à propriis nominibus (siue vrbium, siue regionum, siue hominum, &c.) deducta, de rebus quas denominant, enuntiantur.

Vt, Plato est Atheniensis: Erasmus est Batauus: Porphyrius est Platonicus: Christophorus Longolius est Maglinianus: Christophorus Longolius est Ciceronianus.

APPENDIX AD PRAEDICATIONES.

Omnibus prædicationibus iam dictis & tabella expressis, non inutiliter aliæ quædam prædicationum species, quæ à nónullis sub figurata prædicatione comprehenduntur, addi consueuerunt:

Nimirum prædicatio { Caussalis. / Per concomitantiam.

Caussalis prædicatio est enútiatio, falsa quidem, si sermonis spectetur proprietas; quæ tamen vera ob id iudicatur, quòd vnú extremum alteri ad eius caussam designádam, non repugnante loquendi consuetudine, coniungatur.

Vt

Vt hæc, Ira eſt feruor ſanguinis circa cor. Non enim ira (quæ
t affectio animi) propriè loquendo eſt feruor ſeu ebullitio ſeu
otus: ſed conceditur dicta prædicatio hoc ſenſu: Ira eſt affectio
nimi, quæ oritur ex confluxu feruentis ſanguinis ad cor.

rædicationem per concomitantiam vocant enuntiationem, quæ ſecundum proprietatem ſermonis quidem falſa eſt; habetur tamē vera: quia res ſignificata per vnum extremum, denotatur cum re ſignificata per alterum extremum, ſimul exiſtere.

Vt, Sanitas eſt proportio quatuor humorum: id eſt, Sanitas comitatur ſemper debitam proportionem, harmoniam, ſeu vnionem quatuor humorum in animali. Similis prædicatio eſt in diuerſis locis Ariſtotelis, aliorúmque eiuſdem ordinis celeberrimorum auctorum.

Addunt præter has aliam poſtremò prædicationem, quam vocāt, Excedentis de exceſſo: vt, Corpus inanimatum eſt corpus miſtum: Item, Beſtia eſt animal bipes.

Illæ autem voces ſe mutuò excedunt, quæ in vna eadémque re ſingulari conueniunt quidem, diſcrepant tamen ita inter ſe, vt vtraque de aliquo, de quo altera dici non poteſt, verè dicatur. Exempli cauſſa, Beſtia & bipes (vti modò diximus) voces ſunt ſeſe mutuò excedentes, conueniunt enim in quouis ſingulari cygno & anſere; & ita inter ſe diſcrepant, vt & Beſtia de eo dicatur, de quo Bipes verè dici non poteſt, videlicet de equo & aſino: & Bipes de homine dicatur, cui Beſtiæ nomen in vera enuntiatione affirmatè attribui non poteſt.

De hoc quoque vocum genere in cōmemorato pauló antè Prodidagmatum libello egimus.

Hæc de prædicationum diſcrimine ideò tractata ſunt à nobis diligentiùs, vt vſus prædicabilium magis conſpiceretur: prætereà etiam, quòd paſſim apud Dialecticos obuia ſit harum prædicandi varietatum mentio.

Cætera, quæ ad ſubtilem illam ſcholarum de prædicationibus diſputationem pertinent, docentium viuæ voci conſultò relinquimus.

LOGICES LIBER II.

QVO CATEGORIÆ ARISTOTELIS EXPLICANTVR.



RIVSQVAM eorum quæ huius ſecundi libri propria ſunt, explicationem aggrediamur, pauca de eius materia, inſcriptione, atque partibus, ſeu tractatibus in quos hic liber apud Ariſtotelem diſtributus eſt, nobis ſunt præmittenda.

Quæ eſt propria iſtius ſecundi libri materia?

Propria huius ſecundi libri materia ſunt ipſæ categoriæ, ſeu verba res ſimplices per medias cogitationes deſignantia, in certas ſeries atque claſſes diſtributa.

Quæ eſt huius libri apud Ariſtotelem inſcriptio?

Nomen ſeu inſcriptio iſtius libri apud Ariſtotelem eſt iſta: Ἀριστοτέλους κατηγορίαι, id eſt, Ariſtotelis categoriæ.

Quæ eſt huius inſcriptionis ratio?

Nomen κατηγορία (vt ſuperiùs dictũ eſt) vel in genere eſt commemoratio, vel (vt in foro vſurpatur) accuſatio: & quẽadmodum pleraque alia, ita quoque hoc verbum à foro ad ſcholas tranſlatum eſt; ob hanc (vt arbitror) cauſam, quòd ſicut in accuſationibus neceſſe eſt diſtinctè nominari crimen & perſonam; vt, Verres eſt fur: ita quoque in diſputationibus, & litteratorum concertationibus, vt tota diſputatio clara ſit & manifeſta, conſtare & apparere debet, quid de quo vel affirmetur vel negetur.

Itaque nomen κατηγορία ſonat perinde ac ſi Latinè dicas, Prædicatio, vel Prædicamentum.

Suprà in quinque prædicabilibus, ſpeciem cum genere & differentia cohærere, fuit declaratum: hîc in categoriis generum, ſpecierum ac differentiarum inter ſe congruentium varia producuntur exempla; veluti in ſubſtantiæ categoria, genera ſunt: Animal, arbor, flos, metallum, gemma. Species his connexæ: Homo, pyrus, roſa, aurum, ſmaragdus. Differentiæ verò his conuenientes ſunt: Corporeum, animatum, ſentiens, inanimatum.

Ex quibus omnibus intelligitur, quæ vocabula de quibus dicantur, & quæ cum quibus rectè, aut ſecus, coniungantur.

Vetus autem inſcriptio libri categoriarum fuiſſe dicitur, Περὶ τῶν καθόλου λόγων, hoc eſt, De vniuerſalibus, ſeu generalibus capitibus, ex quibus ſumitur de re qualibet dicendi materia: indicátque hic titulus, veteres intellexiſſe in categoriis, rerum præcipuarum, & in

in oratione frequentiſſimarum diſtributionem proponi, in quam intueri neceſſe ſit, quacunque de re dicatur.

Et vt paulò altiùs repetamus rationẽ categoriarum, quidam cenſent categorias eſſe nomina locorum Rhetoricorum, hoc eſt, quædam ſigna adeóque filum quoddam, quo digeratur omnis artificioſa oratio. Sentiunt enim per omnes categorias, quæcunque res propoſita fuerit, eundem eſſe, & earum intuitu ſeu conſideratione quid de quaque re ad diſputandum propoſita appoſitè dici poſſit, exquirendum. In qua ſententia Quinctilianus eſt, cap. ſeptimo libri tertij. quam etſi non improbamus, tamen ſequi hîc non lubet. Sed ſecundum communem ſcholarum conſuetudinem, ſingulis categoriis ſuas tribuemus vocum ſeries, & vniuſcuiuſque vocis propriam quaſi claſſem indicare conabimur; vt ſi quando vel ad definiendum vel diuidendum voce aliqua opus ſit, facile ſit eam etiam rudioribus inuenire, eáque inuenta, definitionem diuiſionémve contexere.

Quam affert vtilitatem categoriarum cognitio?

Quam vtilitatem adferat categoriarum cognitio, intelligi poteſt ex his quæ diximus. Nam præterquam quòd non modò omnia vocabula, ſed omnium totius vniuerſitatis rerum naturas diſcernere, ſubſtantiáſque ab accidentibus, accidentiáque abſoluta à relationibus ſeiungere doceamur in categoriis, præbetur etiam vberrima definitionum diuiſionúmque materia. Cuiuſque enim vocis, de cuius natura dubitatur, definitio, ex ſuo ordine & categoria petenda eſt. Conſtat autem in omni diſputatione, primùm conſtituendas eſſe earum rerum, de quibus futura eſt diſputatio, definitiones, & ſæpenumero diuiſiones: vnde planum eſt, definitionum diuiſionumque doctrinam, ob idque categoriarum, ex quibus rerum definitiones diuiſionéſque petendæ ſunt, notitiam vel in primis diſſerenti eſſe neceſſariam.

In quot partes diuiditur categoriarum liber?

Diuiditur præſens liber in tres partes:
- Εἰς τὰ πρὸ τῶν κατηγοριῶν. In ea, quæ vulgò Anteprædicamenta vocantur:
- Εἰς τὰς κατηγορίας· In Categorias:
- Εἰς τὰ μετὰ τὰς κατηγορίας· In ea, quæ appellant Poſtprædicamenta.

PRIMA PARS.

Quid antepredicamentorum nomine intelligis?

Quædam veluti præludia ad eorum, quæ de categoriis dicuntur, faciliorem perfectiorémque intelligentiam plurimùm conducentia.

Quot sunt antepradicamenta?

Antepraedicamenta sunt tria: videlicet,
- Definitio
  - Homonymorum, seu ęquiuocorum,
  - Synonymorum, seu vniuocorum,
  - Paronymorũ, seu denominatiuorũ.
- Diuisio
  - Prior,
  - Posterior.
- Regula
  - Prior,
  - Posterior.

Recita homonymorum seu aquiuocorum definitionem.

Ομώνυμα λέγεται, ὧν ὄνομα μόνον κοινὸν, ὁ δὲ κατὰ τοὔνομα, λόγος τῆς οὐσίας ἕτερος.

C o l. *Homonyma dicuntur, quorum nomen solum commune est; definitio autem natura nomini congruens, alia atq; alia.*

A r g. Æquiuoca dicuntur ea, quorum nomen solùm commune est: ratio verò substantiæ nomini accommodata diuersa.

Quæ definitio licet possit & vocibus ὁμωνύμως seu ambiguè significantibus, & rebus sic significatis, non absurdè suo modo accommodari, clarior tamen erit, si de rebus ὁμωνύμως significatis, intelligatur; vt sit sensus: Quòd illæ res ὁμωνύμως significari dicantur, de quibus aliquod nomen seu vox simplex, manens eadem, verè affirmatur, sed notiones seu definitiones essentiales illius nominis, sunt diuersæ. Sic homonyma sunt, quæ ambiguè significantur nomine (canis) vtpote animal latrans, sidus cæleste (vnde dies caniculares vocantur) & quidam piscis marinus, quæ non significari secundùm cõmunem aliquam notionem aut cõceptũ vocis (canis) in nobis experimur; cùm aliam cogitationẽ seu conceptum nominis (canis) in mẽte formemus, quando audimus Lyciscam esse canem, quàm cùm audimus Sirium aut piscem esse canem, & vox (canis) ad has diuersas significationes relata, aliter alitérque definitur.

Secus est in synonymis: siue enim Platonem audierimus esse hominem, siue Socratem, eadem manet significatio vocis (homo) quamuis diuersæ res sint significatæ, quia vna eadémque notione res illæ cogitantur.

Ex iis, quæ modò dicta sunt, satis intelligitur, Aristotelis definitionem rebus quidem aptissimè tribui, sed relatis ad voces. Nam res per se (vt inquit Boëtius) nec æquiuocæ sunt, nec vniuocę, sed tantùm quatenus vocibus significantur.

Palam quoque est vocem Populus, (licet nunc arborẽ, nunc hominum collectionẽ designet, quia primæ syllabæ quantitatem variat) non esse nomen æquiuocum: sicut nec vocabulum hara, pro

diuerſis ſignificationibus mutans ſpiritum, ita enim vox mutatur, nec manet eadem. Vnde nec fallaciam ex voce hara, populus, aut huiuſmodi factam, Ariſtoteles in Elenchis vocat homonymiæ, ſed accentus fallaciam.

Recita definitionem ſynonymorum ſeu vniuocorum.

Συνώνυμα λέγεται, ὧν τό τε ὄνομα κοινὸν, καὶ ὁ κατὰ τοὔνομα λόγος τῆς οὐσίας ὁ αὐτός.

COL. *Synonyma dicuntur, quorum & nomen commune eſt, & eadem nomini attributa naturæ definitio.*

ARG. Vniuoca ea dicuntur, quorũ & nomen commune eſt, & ratio ſubſtãtiæ nomini accõmodata, eadem eſt.

Hoc eſt, Res συνωνύμως ſignificatæ, ſunt, de quibus nomen aliquod verè affirmatur, & definitio, ſeu notio eſſentialis eidem nomini accommodata. Huiuſmodi ſunt, homo & beſtia, de quibus verè affirmatur nomẽ Animal, ſimiliter & definitio animalis, Corpus animatum ſentiens.

Similiter: Petrus, Paulus, Cicero, Demoſthenes, Virgilius, Homerus, &c. ſynonyma dicũtur, ſi cum homine comparentur: Nam & nomen hominis illis eſt commune, & definitio eſſentialis, quæ eſt, Animal rationis particeps.

Ad eundem modũ, Lyciſca, Pamphagus, Oribaſus, Dorceus, Melampus, Ichnobates, Hylactor, Lęlaps, Asbolus, Leucon, & alij canes (de quibus tertio Metamorph. Ouidius in fabula Actęonis) ſynonyma ſunt comparatione Canis terreſtris; quia præter cõmunem illam appellationem Canis terreſtris, etiam definitionem eius nominis eandem habent. Sunt enim ex æquo animalia latrantia.

At homonymorum alia ratio eſt. Etenim arietis nomen de maſculo qui inter oues ad generandam ſobolem habetur, de machina bellica, de ſigno cæleſti, quod primum eſt in Zodiaco, dicitur quidem, verùm ſecundùm illud nomẽ non eſt eadem aliqua omnibus illis ſubſtantiæ ratio; ſiue enim dixeris propterea dici arietes, quòd ſint ſubſtantiæ corporeæ, ſiue quòd animalia rationis expertia, ſiue quam aliam commentus fueris ſubſtantię rationem, erraueris. Neque enim dabitur ſecundum nomen [aries] vlla eis propria definitio; neque enim omnibus & ſolis ipſis, quæ iam commemoratæ ſunt, definitiones conueniunt. Nam ſidus cæleſte non eſt animal, neque igitur animal rationis expers. Machina autem bellica nec animal, nec propriè ſubſtantia eſt.

Quomodo definitur paronymũ ſeu denominatiuũ generatim ſumptũ?

Denominatiuũ generatim ſumptum, nihil aliud eſt, quàm concretum fortuitam ſeu aduenticiam rem ſignificans.

Vt, Album, ſedens, ſtudioſum, currere, &c.

Inuenies quid ſit concretum & abſtractum in noſtris Prodidagmatibus, ſub titulo, De vſitatis apud Dialecticos vocis diuiſionibus.

Quotuplex eſt paronymum ſeu denominatiuum it a latè ſumptum?

Triplex, videlicet:
- Paronymum voce tantùm.
- Paronymum ſignificatione tantùm.
- Paronymum voce & ſignificatione ſimul.

Quomodo definiuntur paronyma voce tantùm?

Paronyma voce tantùm, ſunt concreta, quæ cum abſtracto quopiam initio conueniunt, & ab eodem diſcrepant non modò fine, ſed etiam ſignificatione: cuiuſmodi ſunt, ſomnolentus, ſomnolenta, ſomnolentum, reſpectu ſomni: non enim ſunt hæc eiuſdem ſignificationis, cùm ſomnolentus, vitium; ſomnus verò, naturalem ſignificet quietem.

Quomodo definiuntur paronyma ſignificatione tantùm?

Paronyma ſignificatione tantùm, ſunt cōcreta cum aliquo abſtracto ſignificatione quidem conuenientia, quę tamen cum eodem abſtracto aut initio non conueniunt, aut fine non diſcrepant: cuiuſmodi ſunt, Albus, alba, album, reſpectu candoris; item grammatica adiectiuum, ſi cum Grammatica ſubſtantiuo comparetur.

Quomodo definiuntur paronyma voce & ſignificatione ſimul?

Paronyma voce & ſignificatione ſimul ſunt concreta, quæ ab abſtracto quopiam fine diſcrepantia, cum eodem & initio & ſignificatione conſentiunt: vt, Albus, alba, album, reſpectu albedinis. Cuiuſmodi ab Ariſtotele tantummodo ſunt definita.

Recita paronymorum ſeu denominatiuorũ ex Ariſtotele definitionem.

Παρώνυμα λέγεται, ὅσα ἀπό τινος διαφέροντα τῇ πτώσει τὴν κατὰ τοὔνομα προσηγορίαν ἔχει.

PER. Paronyma vocantur quæ orta ab vno variè commutantur.

COL. *Paronyma dicuntur, quæ, cùm ab aliquo ſolo caſu differant, eam, quæ ſecundum nomen eſt, habent appellationem.*

ARG. Denominatiua ea dicuntur, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, ſolo differentia caſu.

Hoc eſt, Paronyma voce & ſignificatione ſimul, ſunt concreta aduenticiam formam denotantia, quæ ab aliquo abſtracto differūt ſolo fine, ita vt non principio: & ratione formæ per nomen abſtractum deſignatæ, habent quòd de ſuis ſubiectis enuntientur.

Vt iſta adiectiua, Fortis & forte, ſunt paronyma ſubſtantiui ſeu abſtracti, Fortitudo: nam differunt ab eo, ſolo fine, & ratione qualitatis per fortitudinem ſignificatæ; enuntiantur de ſubiectis ſuis, cùm dicimus, Hercules fortis eſt, Samſon eſt fortis.

Quem

Quem habent vsum tres iam ex Aristotele recitatæ definitiones?

Aristoteles eas proposuit hoc consilio, vt ex illis cognoscatur diuersitas vocabulorum simplicium. Nec obstat, quòd duæ priores de rebus accipi soleant. Non enim tribuuntur rebus in se consideratis, sed, vt prius ex Boëtio diximus, relatis ad voces quibus ipsæ res significantur.

Quotuplicia innuit hic Aristoteles esse vocabula significantia?

Triplicia, videlicet
- Homonyma, vt
  - Homo, si referatur ad hominem pictũ & viuũ: quæ dicuntur hominis significata homonyma.
  - Canis, si referatur ad canem latrantem & sidus cæleste: quæ dicuntur canis significata homonyma.
- Synonyma, vt
  - Homo, si referatur Ad Ioannem & Petrũ, &c. quæ dicuntur hominis significata synonyma.
  - Canis, si referatur ad Lyciscam & Melampodem, quæ dicuntur canis significata synonyma.
- Paronyma seu denominatiua, v[t]
  - Fortis
  - Forte.
  - quorum
    - Denominans seu abstractum, est fortitudo.
    - Denominatum, seu subiectum, Hercules, Samson, & alij fortes.

Huius autem vocabulorum significãtium diuersitatis vtilis est cognitio, vt intelligamus, homonyma ambiguè sumpta, non à categoriis modò, verùm etiam arte tota excludi.

Cuius ratio est, quia ambiguè accepta vox, vaga est, nec vnam certámque habet significationem. Quocirca si examinare libeat ad quam categoriam quæque vox sit referenda, in primis propria eius & grammatica significatio erit inquirenda, illiúsque intuitu atque consideratione, de categoria, ad quam ipsa vox pertineat, iudicandum erit.

Hinc quoque intelligitur trita illa & communis dialecticorum doctrina, Synonymorum significata vnà cum vocibus suis synonymis, eiusdem esse categoriæ: & sola synonyma συνωνύμως sumpta in categoriis collocari. Præterea Paronyma in eadem esse classe in qua sunt eorum abstracta, seu formæ denominantes ipsis respondentes.

Itaque si noris ad quam categoriam eruditio pertinet, noueris etiam ad quam eruditus: idémque de cæteris vocibus omnibus, quarum idem est principale significatum, iudicari debet.

Habet Paronymorum definitio & aliam vtilitatem. Nam per eam monemur, accidentia concretè, non abstractè de suis dici subiectis: vt albedo, non abstractè, sed concretè de cygno dicitur. cygnum enim album, non autem albedinem esse dicimus.

Præterea tres iam expositæ definitiones prosunt non parum ad pleraq; obscuriora loca per vniuersam Logicã, vbi homonymorũ, synonymorũ aut paronymorũ incidit mẽtio, faciliùs intelligenda.

Recita priorem diuisionem.

Τῶν λεγομένων, τὰ μὲν κατὰ συμπλοκὴν λέγεται, τὰ δὲ ἄνευ συμπλοκῆς.

COL. *Eorũ quæ dicũtur, partim coniuncta sunt, partim simplicia.*

ARG. Eorum quæ dicuntur, alia cum complexione, alia sine complexione dicuntur.

Quid est coniunctum esse, seu (vt Argyropyli versio habet) dici cum complexione?

Est, esse orationem seu plures voces grammaticè connexas: cuiusmodi est hæc oratio, Homo est mortalis.

Quid est esse simplex, seu, dici sine complexione?

Est, esse vnicam vocem seu verbum simplex: cuiusmodi est ista vox (homo.)

Quis est vsus huius diuisionis?

Ad eundem vsum atque finem hæc diuisio ab Aristotele adducitur, ad quem homonymorum, synonymorum, atque paronymorum definitiones paulo antè ab eodem sunt allatæ; nimirum vt intelligant Dialecticæ tirones quæ voces pertineant & quæ non pertineant ad categoriarum classes. Nam ex iis quæ paulo infrà apud Aristotelem sequuntur, perspicuum est istam diuisionem eò pertinere, vt doceat Aristoteles solis simplicibus vocibus, non autem coniunctis seu orationi in categoriis esse locum.

Recita diuisionem posteriorem.

Τῶν ὄντων, τὰ μὲν καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, ἐν ὑποκειμένῳ δὲ οὐδενί ἐστι. τὰ δὲ ἐν ὑποκειμένῳ μέν ἐστι, καθ' ὑποκειμένου δὲ οὐδενὸς λέγεται. τὰ δὲ καθ' ὑποκειμένου τε λέγεται, καὶ ἐν ὑποκειμένῳ ἐστί· τὰ δὲ οὔτε ἐν ὑποκειμένῳ ἐστίν, οὔτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται.

COL. *Eorum, quæ sunt, alia de subiecto aliquo dicuntur, nec in subiecto insunt vllo: Alia in subiecto sunt illa quidem, sed de subiecto nullo dicuntur. Quædam & de subiecto dicuntur, & sunt in subiecto. Nonnulla nec in subiecto sita sunt, nec de subiecto dicuntur vllo.*

ARG. Eorum quæ sunt, alia de subiecto quidẽ dicuntur, in nullo verò sunt prorsus subiecto. Alia in subiecto quidem sunt, de nullo verò subiecto dicũtur. Alia de subiecto dicuntur, & in subiecto etiam sunt. Alia neque in subiecto sunt, neq; de subiecto vllo dicuntur.

Exem-

Exemplum membri	Primi,	Homo, animal, corpus, &c.
	Secundi,	Hæc albedo, Hæc grammatica, &c.
	Tertij,	Albedo, Grammatica, &c.
	Quarti,	Socrates, hoc animal, hoc corpus, &c.

Quid eſt dici de ſubiecto?

Eſt vocem quampiam enunciari de eo quod ſecundum ſuam eſſentiam illi ſubiicitur. Sic homo de Ioanne, Petro, &c. Albedo de hac & illa albedine dicitur.

Quid eſt eſſe in ſubiecto?

Eſt ſubiecto inhærere vt accidens.

Recita verba Ariſtotelis, quibus explicat, quid ſit eſſe in ſubiecto.

Ἐν ὑποκειμένῳ λέγω ὃ ἔν τινι μὴ ὡς μέρος ὑπάρχον, ἀδύνατον χωρὶς εἶναι τοῦ ἐν ᾧ ἐστιν.

PER. In ſubiecta autem re eſſe dico id, quod in re aliqua ineſt, &c. vt Col.

COL. *In ſubiecto id eſſe dico, quod in re aliqua ineſt, non tanquam pars, nec ab eo, cui ineſt, ſeiungi ſeparariq; poteſt:*

ARG. Id in ſubiecto eſſe dico, quod in aliquo quidem eſt, & non vt pars: vt ſit autem ſeorſum ab eo, in quo ineſt, fieri nequit.

Hoc eſt, quod in ſubiecto dicitur eſſe, quanquam non ſit pars ſui ſubiecti, ita tamen illi inhæret, vt, ſi ordinem & vim naturalem ſpectes, ſine ipſo ſubſiſtere nequeat. Explicatur enim poſtrema huius definitionis parte propria quædam accidentis conditio, quæ eſt, non poſſe ſeparatim à ſubiecto conſiſtere.

Quod etiam tertiæ definitionis accidentis in Prædicabilibus pars vltima indicabat. Sic in homine, velut in ſubiecto, eſt ridendi habilitas. Non enim pars eſt hominis, & impoſſibile eſt ipſam ſine homine eſſe. Itidem color in corpore eſt, vt in ſubiecto.

Quis eſt vſus poſteriorus iſtius diuiſionis?

Continet iſta poſterior diuiſio non contemnendam doctrinam, notas enim quaſdam certiſſimas commonſtrat, quibus voces, ad ſubſtantiæ categoriam pertinentes, à cæteris categoriis diſcriminare liceat. Ea enim, quæ de ſubiecto quidem dicuntur aliquo, in ſubiecto autem nullo ſunt, & quæ neque de ſubiecto dicuntur, neque in ſubiecto ſunt, omnia ad ſubſtantiæ categoriam ſunt referenda.

Ea verò, quæ in ſubiecto ſunt, & de ſubiecto nullo dicuntur, & item, quæ non modò in ſubiecto ſunt, ſed de ſubiecto quoque aliquo dicuntur, omnia ad accidentium claſſes pertinere cenſeri debent. Hinc quoque elucet veritas illius celebratę apud Dialecticos ſententiæ, qua dicunt: Quæcunque in rerum exiſtunt natura, ea vel ad ſubſtantiæ, vel ad accidentis rationem pertinere.

D 5 Recita

Recita priorem regulam.

Ὅταν ἕτερον καθ' ἑτέρου κατηγορῆται ὡς καθ' ὑποκειμένου ὅσα κατὰ τοῦ κατηγορουμένου λέγεται, πάντα καὶ κατὰ τοῦ ὑποκειμένου ῥηθήσεται.

PER. Quando alterum, &c. vt Col.

COL. *Cum alterum de altero tanquam de ſubiecto dicitur, quicquid de prædicato dicitur, id omne de ſubiecto quoq; dicetur.*

ARG. Cùm quippiam de quopiam prędicatur vt de ſubiecto, ea, quæ de prædicato dicuntur, dicentur etiam de ſubiecto.

Cuius ſentētia à veteribus ſic declaratur: Si duarū rerū vna dicatur de altera, ſecundū eſſentiā ſubiecta, quicquid de eo prædicato dicitur ſecundū eſſentiam, id etiam ita de primò dicetur ſubiecto.

Alij ita reddunt: Quicquid eſt ſuperius ſuperiore, etiam eſt inferiore ſuperius: vt, ſi homo ſecundum eſſentiam eſt animal, & animal ſecundum eſſentiam eſt corpus; erit & homo ſecundùm eſſentiam corpus. Simili vinculo inter ſe connexa ſunt ternarius numerus & quantitas: Item, Grammatica, ſcientia, & habitus; cuiuſmodi in aliis quoque categoriis permulta videre licet.

Ex hac interpretatione patet, clauſulam illam [vt de ſubiecto] neceſſariò repetendam eſſe ſecundo loco ad id, quod dicitur in regula [quæcunque de eo, quod prædicatur, dicuntur.] Alioqui enim falſa erit regula, vt apertè arguunt tres iſtæ voces, Homo, Animal, & Quadrupes. licet enim ſecūda de prima vt de ſubiecto, & tertia de ſecunda aliquo modo verè dicatur, falſum tamē eſſet id pronuntiatum, in quo tertia de prima enuntiaretur; idque indè accidit, quòd tertia non dicatur de ſecūda vt de ſubiecto; hoc eſt, quòd tertia ſecundæ attributa non efficiat eſſentialem prædicationem.

Quis eſt vſus prioris regulæ?

Plurimus eſt huius regulæ vſus. Rationem enim ac viam quandam monſtrat, qua deprehendamus, quid quo ſuperius inferiúſve ſit. Cuius rei cognitio ad id conducit, vt facilè poſſit iudicari, quæ voces aut ſint, aut non ſint eiuſdem categoriæ. Nam quæ ita inter ſe deuinctæ ſunt, vt regula docet, ad vnam eandémque categoriam pertinere certum eſt. Proinde non ſolùm ſubſtantiæ omnes, ſed & quæcunque accidentia ita inter ſe deuincta ſunt, vnius atque eiuſdem ſunt claſſis & categoriæ.

Recita regulam poſteriorem.

Τῶν ἑτερογενῶν καὶ μὴ ὑπ' ἄλληλα τεταγμένων ἕτεραι τῷ εἴδει καὶ αἱ διαφοραί.
Τῶν δὲ γε ὑπ' ἄλληλα γενῶν, οὐδὲν κωλύει αὐτὰς διαφορὰς εἶναι.

PER. Quæ de genere differunt, nec vnum ab altero continetur, &c. vt Col.

COL. *Quando genera diuerſa ſunt, nec vnum ab altero continetur, eorum etiam differentiæ ſpecie differunt.*

Eorum

Eorum autem generum, quorum vnum altero continetur, nihil prohibet easdem esse differentias.

ARG. Eorum quæ sunt diuersa genera, & non ita se habent, vt alterum sub altero collocetur, diuersæ sunt species & differentiæ.

Eorum tamen generum, quorum alterum sub altero collocatur, easdem esse differentias nihil obstat.

Lectio regulæ varia est, dum alij legunt τῶν εἰδῶν, alij in nominatiuo τὰ εἴδη: sed eòdem sententia recidit, quæ talis est: Omnium generum, quorum alterum sub altero non collocatur, nec ambo sub eodem tertio, omnes species sunt diuersæ, & omnes differentiæ diuersæ sunt: aliquorum verò generum, quorum alterum sub altero collocatur, vel ambo sub eodem tertio, aliquæ species & differentiæ sunt eædem.

Exemplum prioris partis regulæ: Animalis & scientiæ, omnes species, & differentiæ omnes sunt diuersæ: & ita de aliis diuersarum categoriarum generibus omnibus.

Posterioris partis exemplum: Corporis & animalis, eædem species sunt, homo & bestia. item eorundem generum eædem differentiæ sunt, rationis particeps, & rationis expers. Nam sunt eorum differentiæ diuidentes secundum hanc regulam: Quæcunque differentia diuidit inferius, eadem quoque superius diuidit. Eorundem quoque, corporeum est constituens differentia, secundùm alteram regulam, quæ habet; quòd quæcunque differentia cõstituit superius, eadem quoque constituat inferius: sic corporeum, constituit corpus, & corpus animatum, & animal.

Cur partem posteriorem non exponis vniuersè sicut priorem?

Quia nisi ad hunc modum duæ istius regulæ partes intelligantur, non constabit ea, quam Aristotelis verba indicant, partium oppositio. Et præterea, secunda pars vniuersalem expositionem non fert. Sunt enim quædam genera sub eodem tertio contenta, quæ nullam neque speciem, neque differentiam habent eandem. Cuiusmodi sunt habitus & figura, aliáque genera, in quæ proximè summa genera diuiduntur.

Cur in expositione addidisti [nec ambo sub eodem tertio?]

Quia illa additione omissa, si prior regulæ pars vniuersè (vti debet) accipiatur, falsa erit. Nam planta & animal cùm sic se habeant, vt neutrum collocetur sub altero, habent tamen differentias easdem, corporeum & animatum.

Cur [species & differẽtiæ] in priori parte expositionis capiuntur vniuersè?

Quoniam regula ista (vt statim dicetur) ad hoc traditur, vt categorias

goriaſ non miſceri conſtet: quod doceri non poterat, niſi commemoratas voces in priori expoſitionis parte vniuerſè ſumendo, hoc ſenſu: Nulla genera diuerſarum categoriarum vllas omnino habēt ſpecies eaſdem, aut eaſdem differentias: quamuis nōnulla eiuſdem categoriæ genera ſpecies aliquas & aliquas differentias eaſdem habeant; vt exemplis prius oſtenſum eſt.

Quis eſt vſus regulæ poſterioris?

Huius regulæ iſte potiſſimus eſt vſus, vt & rerū ad diuerſas pertinentium categorias diſtinctio, & earum quæ eiuſdem ſunt categoriæ inter ſe cognatio declaretur atq; innoteſcat. Ambiguè enim, ſeu (vt vulgò loquuntur) æquiuocè accipitur corporis nomē, dum inter ſubſtantias & inter quantitates numerantur. Similiter rationale ab iis, qui hanc vocem vſurpant ad animal & ad ſcientiam diuidendam.

TRANSITIO.

His, quibus veluti via quędam munitur atque ſternitur ad categoriarum faciliorem intelligentiam, ita expoſitis, ad ipſam categoriarum explicationem cum ipſo Ariſtotele nunc accedamus.

SECVNDA PARS, DECEM CATEGORIARVM EXPLICATIONEM CONTINENS.

Recita ex Ariſtotele generalem categoriarum diuiſionem.

Τῶν κατὰ μηδεμίαν συμπλοκὴν λεγομένων, ἕκαστον ἤτοι οὐσίαν σημαίνει, ἤτοι ποσὸν, ἢ ποιὸν, ἢ πρός τι, ἢ ποῦ, ἢ ποτὲ, ἢ κεῖσθαι, ἢ ἔχειν, ἢ ποιεῖν ἢ πάσχειν.

PER. Quæ ſimplicia ſunt, ea vel ſubſtantiam ſignificant, vel quantitatem, vel qualitatem, vel quæ cum aliquo comparantur, vel locum, vel tempus, vel accubationem, vel habere, vel facere, vel pati.

COL. *Quæ ſimplicia ſunt, ea vel ſubſtantiam ſignificant, vel quantitatem, vel qualitatem, vel quæ cum aliquo conferuntur, vel locum, vel tempus, vel ſitum, vel habere, vel facere, vel pati.*

ARG. Vnumquodque eorum, quæ nulla cum complexione dicuntur, aut ſubſtantiam, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut ſitum, aut habere, aut agere, aut pati ſignificat.

Hoc eſt, Vocum ſimplicium alia ſubſtantiam ſignificat, alia quantitatem, &c.

Quis

Quis est vsus huius diuisionis?

Recensentur per eam categoriæ decem,

videlicet { Substantia, Quantitas, Qualitas, Ad aliquid, Agere, Pati, Vbi, Quando, Situm esse, Habere.

Aduertendum est, categoriarum nomine aliquando quidē ipsos ordines seu classes rerum intelligi, vt cùm vocem aut rem aliquam huius aut illius esse categoriæ affirmamus.

Hîc verò ipsa summa rerum genera intelliguntur. Non enim ordines ipsos, sed ordinum summa capita recensemus.

Quo pacto categoria generatim distinguuntur?

Hoc pacto: quòd vnica sit Substantiæ, reliquæ Accidentium. item quòd Accidentium categoriæ duplices sint: duæ enim priores, absoluta; reliquę septem relata continent accidentia: de quibus omnibus ordine nunc est agendum.

DE CATEGORIA SVBSTANTIAE.

Quid est substantia?

Substantia est res per se consistens, accidentibus subiecta.

Est enim Substantia omnium perfectissima, & veluti basis quædam atque fundamentum accidentium. Vnde etiā rectè ab ea, postpositis Accidentibus, orditur categoriarum tractationem Aristoteles secutus naturæ ordinem, quo, teste Boëtio, Substantia Accidentia antecedit. Per se cōsistere opponitur illi, quod est esse per aliud, quomodo accidentia existunt, nimirum per sua subiecta.

Recita substantiæ diuisionem.

Substantiarum alia est { Prima substantia: Secunda substantia.

Quid est prima substantia?

Prima substantia, est substantia singularis.

Vt, Ioannes, Paulus, Socrates, Plato.

Quid est secunda substantia?

Secunda substantia, est substantia communis.

Vt, Homo, animal, corpus animatum, corpus, &c.

Recita ex Aristotele primæ substantiæ descriptionem.

Οὐσία δέ ἐστιν, ἡ κυριώτατά τε, καὶ πρώτως καὶ μάλιστα λεγομένη, ἡ μήτε καθ' ὑποκειμένου τινὸς λέγεται, μήτε ἐν ὑποκειμένῳ τινί ἐστιν.

C O L. *Substantia, quæ & propriè, & primùm, & maximè appellatur, ea est, quæ nec de subiecto vllo dicitur, nec in subiecto vllo inest.*

Arg. Substantia, quæ propriissimè & primò maximéque substantia dicitur, ea nimirum est, quæ neque de subiecto vllo dicitur, neq; in vllo est prorsus subiecto.

In qua definitione totum hoc, Substantia quæ propriissimè & primò maximéque substantia dicitur, περίφρασις est definiti, hoc est, primæ substantiæ.

Cur istæ substantiæ primæ appellantur?

Quia non solùm accidentibus, sed etiam secundis substantiis subiacent, ipsis autem nihil. Eadem est ratio, quare dicantur & maximè, & propriè omnino substantiæ; vt pulchrè Aristoteles explicat his verbis:

Ἔτι αἱ πρῶται οὐσίαι διὰ τὸ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ὑποκεῖσθαι, καὶ τὰ ἄλλα πάντα κατὰ τούτων κατηγορεῖσθαι ἢ ἐν αὐταῖς εἶναι κυριώτατα οὐσίαι λέγονται.

Col. *Præterea primæ substãtiæ, quia cæteris omnibus subiectæ sunt, reliquaq; omnia aut de eis dicuntur, aut in eis sunt: idcirco maximè substantiæ, primæq; naturæ dicuntur.*

Arg. Ad hæc primæ substantiæ, eò quòd aliis omnibus subiiciuntur, & omnia alia de illis vel prædicantur, vel in ipsis sunt, propriissimè dicuntur substantiæ.

Recita secundarum substantiarum ex Aristotele descriptionem.

Δεύτεραι δὲ οὐσίαι λέγονται, ἐν οἷς εἴδεσιν αἱ πρώτως οὐσίαι λεγόμεναι ὑπάρχουσι, ταῦτά τε, καὶ τὰ τῶν εἰδῶν τούτων γένη.

Per. Secundo autem loco substantiæ vocantur species eæ, &c. vt Col.

Col. *Secundæ substantiæ vocantur species eæ, in quibus illæ quæ primùm nominantur naturæ, insunt, itemq; earum formarum genera.*

Arg. Secundæ substantiæ dicuntur & eæ species, in quibus eæ, quæ primò dicuntur substantiæ, insunt, & harum specierum etiam genera.

Hoc est, Secundæ substantiæ sunt, quarum vnaquæque est species aut genus, cui primæ substantiæ subiiciuntur, vt inferiora. Sic homo & animal sunt secundæ substantiæ, quibus insunt seu subiecti sunt, Socrates, Plato, Aristoteles, &c.

Recita

Recita ordine substantiæ categoriam.



Hic

Hic eſt ordo ſubſtantiarum, vnde, cùm inciderit aliqua de ſubſtantia diſputatio, rei definiendę genus erit depromendum. Et licet in eo nulla fiat partium, ex quibus corpora conflata ſunt, mentio; non tamen ob id putandum eſt, illas ad hanc categoriam non pertinere: cùm enim eandem habeant naturam, quam ſua integra, eiuſmodi partes; certum eſt eas non modò ad eandem categoriam, verùm etiam ad idem genus, ad quod ſua integra, eſſe referendas. Dicemus ergo, caput, pectus, manus, pedes corporis humani non modò ſubſtantias eſſe, ſed etiam eodem quo animalia, quorum ſunt partes, genere contineri.

ADMONITIO.

Priuſquam à ſubſtantiarum claſſe longiùs digrediamur, eos qui huic diſciplinæ vtilem operam nauare volunt monemus, ad rectè & citra hæſitationem de rerum inter ſe connexionibus ſeu prædicationibus (vt vocant) iudicandum, ediſcendas eſſe ad verbum omnes omnium categoriarum ſeries, præſertim verò huius categoriæ, itémque quantitatis & qualitatis.

Quot ſunt ſubſtantiæ ſecundùm vulgarem ſcholarum doctrinam proprietates? Sex.

Recita primam ſubſtantiæ proprietatem.

Κοινὸν δὲ κατὰ πάσης οὐσίας, τὸ μὴ ἐν ὑποκειμένῳ εἶναι.

PER. Hoc autem omni ſubſtantiæ commune eſt, non ineſſe in ſubiecto.

COL. *Commune eſt omni ſubſtantiæ non ineſſe in ſubiecto.*

ARG. Cõmune omni ſubſtantię eſt, in ſubiecto non eſſe.

Hoc eſt: Omni ſubſtantiæ conuenit, ita exiſtere, vt nulli ſubiecto inhæreat.

Non eſt tamen iſtud rebus directè ad ſubſtantiæ categoriam pertinentibus ita peculiare atque proprium, quin etiam earum differentiis maximè propriis conueniat; vt docet Ariſtoteles, cui ſatis eſt hac nota ſubſtantias ab omnibus accidentibus, atque adeò à ſequentibus categoriis eſſe ſeiunctas.

Recita ſecundam ſubſtantiæ proprietatem.

Ὑπάρχει δὲ ταῖς οὐσίαις καὶ ταῖς διαφοραῖς, τὸ πάντα συνωνύμως ἀπ' αὐτῶν λέγεσθαι.

COL. *Hoc eſſentiis ipſis & differentiis tributum eſt, vt de quibus ipſa dicuntur, συνωνύμως dicantur omnia.*

ARG. Ineſt autem ſubſtantiis differentiiſque, omnes vniuocè vt prædicentur.

Hoc eſt, Subſtantiæ, earumque differentiæ dicuntur nomine & ratione de iis omnibus, de quibus dicuntur. Multo autem minus hoc, quàm prius eſt ſubſtantiæ propriũ; cùm neque ſoli conueniat (tribuitur enim differentiis, vt diſertè exprimit Ariſtoteles) neque

etiam

etiam omni; non enim primis ſubſtantiis, quæ (vt hoc loco ſumitur, dici de aliquo) de nullo prorſus dicuntur.

Recita tertiam ſubſtantiæ proprietatem.

Πᾶσα δὲ οὐσία δοκεῖ τόδε τι σημαίνειν.

PER. Omnis etiam ſubſtantia quiddam hoc vel illud ſignificat.

COL. *Omnis ſubſtantia quiddã hoc vel illud ſignificare videtur.*

ARG. Omnis ſubſtantia hoc aliquid ſignificare videtur.

Hoc eſt, Omnis ſubſtantia ſiue ſecunda ſiue prima, rem ſingularem per ſe exiſtentem denotat: prima quidem ex principali & propria; ſecunda verò, ſicut & concreta accidẽtium & differentiarum, ex ſecundaria & minus propria ſignificatione; ſeu, vt loquitur Ariſtoteles, τῷ σχήματι τῆς προσηγορίας, figura appellationis ſeu nominationis, hoc eſt, cauſa cur ſecundæ ſubſtantiæ, concreta accidentium, & concreta differentiarum videantur ſingularem ſubſtantiam ſignificare, eſt, quia ſubſtantia ſingularis, vt ſuo nomine, ita etiam nominibus ſecundarum ſubſtantiarum, differentiarum, & accidentium concretis appellatur: vt hic homo non ſolùm Socrates appellatur, ſed homo, animal, corpus, &c. præterea, rationis particeps, ſentiens, corporeus; denique deformis, caluus, patiens, ſapientiſſimus, &c.

Conſtat ex iis quæ modò à nobis dicta ſunt, proprietatem hanc non modò omnibus categoriæ ſubſtantiæ vocibus, ſed etiam aliis permultis, iis nimirum omnibus quæ de prima ſubſtantia verè affirmari queunt, conuenire.

Recita quartam ſubſtantiæ proprietatem.

Ὑπάρχει δὲ ταῖς οὐσίαις καὶ τὸ μηδὲν αὐταῖς ἐναντίον εἶναι.

COL. *Hoc etiam ſubſtantiis inſitũ eſt, vt ipſis nihil ſit cõtrariũ.*

ARG. Competit præterea ſubſtantiis, & nihil ipſis contrarium eſſe.

Hoc eſt, Nullæ ſubſtãtiæ ratione propriæ naturę contrarię ſunt: (vt, ignis aquæ non eſt contrarius, ſi eſſentiam conſideres) quòd autem eſſe contrariæ aliquando dicantur, fit propter qualitates contrarias, quæ in ipſis inſunt. Porrò nihil, vel potius nullum habere contrariũ (teſte Ariſtotele) non eſt ſubſtantiæ omninò proprium: in pleriſque enim aliis rebus hoc cernitur, veluti in Quantitate. Nihil enim ſuperficiei, neque lineæ, aut vlli numero eſt contrarium. In ſolis enim qualitatibus inter ſe pugnantibus (vt poſteà dicetur) propria contrariæ oppoſitionis ratio inuenitur.

Recita quintam ſubſtantiæ proprietatem.

Δοκεῖ δὲ ἡ οὐσία μὴ ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον.

PER. Prętereà non videtur ad ſubſtãtiã illud magis aut minus poſſe accedere.

COL. *Illud prætereà substantiis conuenit, vt nec elationem nec submissionem suscipere poßint.*

ARG. At verò substantia non suscipere gradus videtur, vt sit magis minúsve talis.

Hoc est, Nulla substantia graduum intensionis & remissionis varietatem, sicut pleræque qualitates, admittit; seu, quod eôdem recidit, Nullum nomen categoriæ substantiæ, neque adiectiuè neque substantiuè sumptum, verè & affirmatè vel de seipso, vel de vllo alio, cum aduerbio, magis, vel minus, intensionem vel remissionem denotante coniunctum dici potest. Nulla enim substantia, id ipsum quod suapte natura est, aut magis dicitur aut minus: vt, Homo non est neque seipso neque alio magis aut minus homo: sicuti vnum corpus album aliud alio magis ac minus est album. quem huius proprietatis sensum multis verbis explicat Aristoteles.

Recita sextam substantiæ proprietatem.

Μάλιστα δὲ ἴδιον τῆς οὐσίας δοκεῖ εἶναι τὸ ταυτὸν καὶ ἓν ἀριθμῷ ὄν, τῶν ἐναντίων εἶναι δεκτικόν.

COL. *Hoc substantiæ proprium est maximè, vna eademq́ue cùm sit numero, vim habere accipiendi contraria.*

ARG. Maximè substantiæ hoc proprium esse videtur, idem inquam vnúmque numero permanens, contrariorum esse susceptiuum.

Cur maximè proprium substantiæ esse dicitur, quòd vna eadémque numero manens, vim habeat suscipiendi contraria?

Ob hanc causam (si Fabro Stapulensi creditur) quod inter reliqua propria Substantiæ attributa, vnicum istud soli cõueniat substantiæ, etsi non omni: cæterarum verò proprietatum nulla in solam substantiam cadat; vt ex eis, quæ modò dicta sunt, satis liquet. Quod autem aliis conuenit, non tam proprium, quàm commune est dicendum. Sic ille. Alij aliter sentiunt: nobis Fabri sententia proximè ád veritatem accedere videtur: si quis tamen aliorum sequi opinionem velit, per nos licet.

Sola igitur substãtia vicissim cõtraria suscipere potest, tanquam eorum subiectum vltimum, quod videlicet vlterius in alio non est. Cuiusmodi subiectum non est superficies, nec vlla quantitas, quæ cùm sit accidens, in aliquo subiecto inhærere & conseruari debet.

Homo autem subiectum vltimum est candoris & nigroris, caloris & frigoris, eáque secundùm sui mutationẽ vicissim suscipit, vnus idémque manẽs. Similiter aqua, vna eadémque manẽs, nunc calorem, nunc frigus, nunc dulcedinẽ, nunc amaritudinem, nunc spissitudinẽ, nunc tenuitatem, cõtrarias inter se qualitates, recipit.

Oratio

Oratio autem & opinio (teste Aristotele) contraria non suscipiunt, quemadmodum substantiæ: nam substantiæ cum sui permutatione contraria suscipiunt: vt cùm quis ex sano fit valetudinarius. Oratio autem & opinio, tametsi videantur quoque suscipere contraria, non tamen id cum sui, sed magis cum alterius mutatione patiuntur. Res enim mutantur, non oratio aut opinio ipsa: cùm vna eadémque opinio atque oratio vno tempore est vera, & alio est falsa.

ADMONITIO.

In his acutè excutiendis mirum quàm sudarint quorūdam plus satis curiosa ingenia: sed vitanda nimia subtilitas: Video enim artem hanc, dum scriptores nimium studēt argutiis, & ad viuum omnia resecant, obscuratam esse; vt verè dictum sit:

Crede mihi, sapere est, non nimium sapere. Et apud Terentium: Faciunt næ intelligendo, vt nihil intelligant.

Quapropter, omni curiosa & ad institutum nostrum non pertinente subtilitate consultò prætermissa, ad quantitatis explicationem transibimus; si prius, quisnam sit vsus eorum quæ modò de substantiæ proprietatibus tradita sunt, breuiter dixerimus.

Quis est vsus proprietatum substantiæ?

Vt perfectius distinctiusq; Substantiæ naturā declaret, proprietates has adduxit Aristoteles. Cùm enim summa genera, vera & propria definitione careant; opus est accidētibus & proprietatibus ad eorum naturam aliquo modo describendam & patefaciendam.

DE QVANTITATE.

Conuenienti admodum ordine Aristoteles post substantiam statim numerum & magnitudinē subiunxit: tam arcto enim vinculo numerus omnibus substantiis, & magnitudo corporibus deuincta sunt, vt nullo vnquā tempore ab iis separētur. Præterea substantias & alias res quaslibet numeris primū secernimus atque ordinamus; adeò vt nisi numerorum notitia mentibus humanis esset insita, in horrendis tenebris versaremur. Vnde etiā quanta cognitionis numerorū non modò vtilitas, sed etiam necessitas sit, quiuis intelligit: verùm, quia hæc pluribus verbis persequi ad nostrum non pertinet institutum, iis nunc omissis, ad ea declaranda, quæ huius loci propria sunt, accedamus, à quantitatis definitione sumpto exordio.

Quid est Quantitas?

Quantitas est, secundum quam aliquid dicitur quantum, vel aliqua dicuntur aliquot.

Secundum quantitatem continuam seu coniunctam aliquid dicitur quantum: secundùm numerū verò res dicuntur aliquot. Neque enim à numero solemus dicere res quantas: nam eum, qui tres

minores digitos hodie amiserit, fatemur tantos seruasse digitos, quantos perdidit; hoc est, tam magnos, nimirum referentes significationem adiectiui [quantus] ad solam continuam quantitatem. verùm hanc disputationem Grammaticis relinquamus.

Porrò, quia quantitati propriè conuenit mensuram esse & diuidi, poterit his quoque modis quantitas aptè describi:

Quantitas est substantiæ mensura.

Soli quantitati enim conuenit, per se metiri substantiam, secundùm extensionem, durationem, & multitudinem. item:

Quantitas est res per se diuidua in partes vel extensas, vel duratione succedentes, vel discretas siue multas.

Quæcunque igitur quantitatum ambitu non continentur, ista aut omnino diuidi nequeunt, vt substantiæ incorporeæ; aut per accidens seu ratione quantitatis secantur: vt corpora omnia categoriæ substantiæ.

Sunt & alia duo, quæ quantitati propriè conueniunt, vt esse æquale, vel inæquale, esse finitum vel infinitum; ex quibus nullo negotio similes superioribus contexi possunt definitiones.

Recita priorem quantitatis diuisionem secundum Aristotelis doctrinam.

Τοῦ ποσοῦ, τὸ μέν ἐστι διωρισμένον, τὸ δὲ συνεχές.

COL. *Quantorum aliud deiunctum est, aliud coniunctum.*

ARG. Quantum { partim est Continuum, partim Discretum.

Hoc est, Quantitatis duæ sunt species, quarum altera, quantitas continua seu coniuncta; altera verò, quantitas discreta seu disiuncta vocatur.

Cuiusmodi est ista diuisio?

Sic intellecta diuisio est generis in species.

Quid est quantitas continua seu coniuncta?

Est quantitas, cuius partes termino communi copulantur.

Quæ sunt eius species?

Istæ { Linea, Superficies, Corpus, Tempus.

Quid est linea?

Linea est quantitas longa, non autem lata; cuius partes puncto copulantur.

ANNOTATIO.

Aduertant hîc iuniores, ista non dici de linea picta, sed de linea verè existente quidem, at animi tantùm, non corporis oculis conspicua, quę tantummodo longitudo est ab omni corpore abstracta, vt Mathematicus considerat quantitates sine materia. Et vt huius rei specimen aliquod exhibeamus; finge animo rem atomam longè illis puluisculis, qui in solaribus radiis volitare cernuntur, minutiorem, in longitudinem ex alto in decliue, vel è contrario tendere, vestigiumque post se relinquere; id vestigium erit linea, sola videlicet longitudine sectilis. Similiter imaginari oportet superficies & corpora huius categoriæ.

Quid est superficies?

Superficies est quantitas longa quidem & lata, non autem profunda; cuius partes linea copulantur.

Quid est corpus?

Corpus est quantitas longa, lata, & simul profunda; cuius partes superficie copulantur.

Quid interest inter corpus quod substantia est, & corpus huius categoriæ?

Corpus quod substantia est, significat rem quæ habet materiam. Vt, Cælum, elementa, & mista ex elementis.

Corpus verò quod quantitas est, significat magnitudinem, ratione cuius materia vel corporea substantia dicitur crassa, spissa, vel profunda.

Quid est tempus?

Tempus est mensura durationis rerum, cuius partes momento copulantur.

Naturæ temporis latior explanatio ex quarto τ͂ φυσικῶν petenda est: sicut & huius quæstionis accurata discussio, An tempus sit species infima, an genus.

Illud satis constat, hæc verba, hora, dies, mensis, annus, olympias seu lustrum, séculum, &c. certam temporis durationem designantia esse inter se, & cum tempore, quantum ad principalem attinet significationem, synonyma, & quadam minus principali notione inter se differre. Neque enim essentia differũt hora & dies, vt nec vnius pedis linea, & duorum; cùm ex illis hæc componatur, sicut ex multis guttis integra aqua. Reliquas autem quantitatis continuæ species, lineam, superficiem, atque corpus, certum est species imas esse.

Quid est quantitas discreta seu disiuncta?

Est, cuius nullæ partes termino communi copulantur.

Quot species tribuit Aristoteles huic quantitati?

Duas, { Numerum & Orationem.

Nos tamen recentiorum secuti sententiam, orationem sonis potius annumerandam censemus, & in qualitatis categoria locādam: id enim est clarius, & veritati magis consentaneum. Licet interim non infitiemur, quin probabiliter Aristotelis doctrina hac in parte defendi possit, si orationis nomine non ipsum sonum verborum, sed syllabarum productionem atque contractionem (quæ etiam apud Metrorum scriptores quantitas syllabarum appellatur) Aristotelem intellexisse dicamus.

Quid est numerus?

Numerus est multitudo ex vnitatibus collecta.

Vt, Duo, tria, quatuor.

Recita posteriorem quantitatis diuisionem ex Aristotele.

Ἔτι τὰ μὲν ἐκ θέσιν ἐχόντων πρὸς ἄλληλα τῶν ἐν αὐτοῖς μορίων συνέστηκε, τὰ δ' ἐξ οὐκ ἐχόντων θέσιν.

PER. Præterea alia ex partibus constant, quæ habent situm inter se, alia ex iis quæ non habent.

COL. *Quantitatum alia constat ex partibus, quæ situm quendam inter se habent; alia ex iis, quæ non habent.*

ARG. Quantum partim ex habentibus positionem partibus, partim è non habentibus constat.

Hoc est, Quantitatum alia constat ex aliquibus partibus habentibus inter se situm, alia ex nullis partibus habentibus inter se situm, constat.

Quarum quantitatum partes habent inter se situm?

Lineæ, Superficiei, Corporis } partes habent inter se situm.

Sunt enim sitæ alicubi, quòd, vt Aristoteles docet, singulæ sua propria & singula loca seorsum habeant.

Quarum quantitatum nullæ partes habent situm?

Temporis & Numeri } nullæ partes habent situm.

Quia non sunt sitæ alicubi: vt apud Aristotelem latius declaratur.

Recita

Recita quantitatis seriem.

- Quantitas
  - Continua seu coniuncta
    - Linea, Superficies — hæc, illa.
    - Corpus, Tempus — hoc, illud.
  - Discreta seu disiuncta, seu Numerus
    - Binarius, Ternarius, Centenarius, Millenarius — hic, ille.

Quot sunt quantitatis proprietates? Tres.

Recita primam quantitatis proprietatem.

Τῷ ποσῷ οὐδέν ἐστιν ἐναντίον.

PER. Quantis nihil contrarium est.

COL. *Quantitati nihil est contrarium.*

ARG. Quantitati nihil est contrarium.

Hoc est, Nulla quantitas alteri contraria est. Omni enim quantitati hoc conuenit, non autem soli.

Recita secundam quantitatis proprietatem.

Οὐ δοκεῖ δὲ τὸ ποσὸν ἐπιδέχεσθαι τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον.

PER. Nec verò illud magis aut minus in quantis reperitur.

COL. *In quantitate magis aut minus non reperitur.*

ARG. Quanto, magis ac minus esse, non competit.

Hoc est, Nulla quantitas adiectiuè & multo minus substantiuè expressa, verè & affirmatè cum aduerbio [magis] aut [minus] intensionis aut remissionis gradum denotante, coniungi potest.

Vt, Bicubitum vnum non magis alio bicubitum dicitur.

Similiter ista proprietas omni conuenit quantitati, non autem soli; quia etiam substantiis, quemadmodum & prior. Vnde contrarium esse, & suscipere magis & minus, hîc eodem modo, quo superius in substantia accipi debent.

Recita tertiam quantitatis proprietatem.

Ἴδιον δὲ μάλιστα τοῦ ποσοῦ, τὸ ἴσον τε καὶ ἄνισον λέγεσθαι.

PER. Quantorum maximè proprium est, paria aut imparia nominari.

COL. *Quātitati maximè proprium est, par vel impar nominari.*

ARG. Proprium quantitatis est maximè æqualitas & inæqualitas.

Æqualitas & inæqualitas, seu paritas & imparitas, ob hoc maximè propria quātitati censetur, quòd omni, soli, & semper accidat.

Quæ quantitates sunt æquales seu pares?

QUÆ & eandem habent mensuræ rationem, & neutra alteram superat; cuiusmodi sunt duæ bipedales lineæ, item duo ternarij.

Quæ quantitates sunt inæquales seu impares?

Quæ eandem quidem habent mensuræ rationem, at altera alteram superat. Sic linea duos pedes longa, lineam vnius pedis vincit longitudine, quæ est propria dimensio lineæ. Item senarius multitudine vnitatum vincit binarium, ob idque linea bipedalis & linea vnum duntaxat pedem longa, inter se sunt inæquales; similiter senarius atque binarius.

Quæ est propria dimetiendi ratio singularum quantitatum?

Propria dimetiẽdi ratio { Lineæ / Superficiei / Corporis / Temporis / Numeri } est secũdum { Longitudinem / Latitudinem / Profunditatem seu crassitiem / Durationem / Multitudinem. }

Omnes igitur numeri eodem modo sunt mensuræ; metiuntur enim secundùm multitudinem: ac proinde omnes numeri sunt vel æquales vel inæquales; sed non ita est in quantitatibus continuis; non enim est in his omnibus eadem dimetiendi ratio, quam non minus inæqualitas quàm æqualitas poscit.

Profer quantitates nec æquales nec inæquales.

Eiusmodi sunt linea & superficies, aut aliæ quæuis quantitates continuæ diuersarum formarum: Præterea etiam vna continua quantitas, si cum numero conferatur.

Quis est vsus proprietatum quantitatis?

Quemadmodum substantiæ proprietates (vti superius dictum est) ad substantiæ aliquo modo declarandam naturam referebantur; ita quoque de quantitatis proprietatibus est iudicandum, eas videlicet eò pertinere, vt quantitatis, quę propria caret definitione, aliquo modo explanetur natura. Atqui hactenus breuiter de quantitate & formis eius dictum sit. Neque enim tàm insignia accidentia, vt sunt numerus & magnitudo, in hoc categoriarum tractatu, in quo de rerum vniuersitate agitur, vllo modo fuerunt prætereunda, in quibus tamen fusè explicandis non sumus immorati, quòd Arithmeticæ, Geometriæque propria sit ista tractatio. ad quas artes faciliùs intelligendas non parum profuerit ea, quæ diximus, licèt pauca, prius degustasse.

DE RELATIS, QVAE VVLGO Ad aliquid vocantur.

Facta est ab Aristotele Relatorum mentio in tractatione proprietatum Quantitatis; ob quam occasionem iis, quæ ad quantitatem pertinere videbantur, absolutis, statim Relatorum aggressus est explicationem, duas eorum innuens descriptiones.

Recita

Recita priorem relatorum seu Ad aliquid descriptionem ex verbis Aristotelis.

Πρός τι τὰ τοιαῦτα λέγεται, ὅσα αὐτὰ ἅπερ ἐστὶν ἑτέρων εἶναι λέγεται, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως πρὸς ἕτερον.

PER. Ea cum aliquo conferuntur, quorum vis omnis & natura ad alia refertur, aut quoquo modo aliter cum alio conferuntur.

COL. *Relata ea esse dicuntur, quæ id quod sunt, aliorum esse dicuntur, aut quoquo modo aliter cum alio conferuntur.*

ARG. Ea dicuntur ad aliquid, quæ id quod sunt, aliorum esse, aut ad aliud aliquo alio modo dicuntur.

Hoc est: Illæ voces dicuntur Ad aliquid, quæ ex sua significatione ad alias in casu genitiuo vel alio positas, referuntur.

Exempla prioris partis sunt, Dominus & seruus, pater & filius. sic enim istæ voces inter se referuntur: Omnis dominus est serui dominus, & omnis seruus est domini seruus: Omnis pater est filij pater, & omnis filius est patris filius. Posterioris antè partis exempla sunt ista, magnum & paruum, maius & minus. sic enim istæ voces inter se referũtur: Omne magnum ad paruum relatum, magnum dicitur; & omne paruum ad magnum relatum, paruum dicitur: Omne maius est minore maius, & omne minus est maiore minus. Complectitur autem hæc prior descriptio omnes voces relatas, tam quæ ex minus principali, quàm quæ ex principali significatione relationem designant; hoc est (vt vulgò dici solet) tam ad aliquid secundum dici, quàm secundum esse, descriptio hæc comprehẽdit. De principali seu primaria significatione & minus principali, vide in nostro Prodidagmatum dialectices libello multo quàm antea correctiùs & auctiùs per Christophorum Plantinum in lucem nuper emisso, paginam 67.

Recita posteriorem relatorum seu Ad aliquid descriptionem ex verbis Aristotelis.

Ἔστι τὰ πρός τι, οἷς τὸ εἶναι ταυτόν ἐστι τῷ πρός τί πως ἔχειν.

PER. Ea quæ cum aliquo conferuntur, sunt, quorum vis omnis, &c. vt Col.

COL. *Relata sunt, quorum vis omnis & natura in eo posita est, vt ad aliquid affecta sint.*

ARG. Ea sunt ad aliquid, quorum esse idem est ei, quod est ad aliquid aliquo modo se habere.

Hoc est, sunt, quorum essentia est relatio ad aliud; vt pater & filius, dominus & seruus.

Quæ relata hac descriptione continentur?

Tantummodò ea relata, quæ ex principali significatione relationem designant.

An etiam sex postremas categorias hæc descriptio complectitur?

Certum est complecti: licèt in ea, quæ passim circumfertur, relatorum seriē adiunctæ non sint.

Recita seriem categoriæ relatorum.



Quænam sunt eiusdem nominis, & quæ diuersorum nominum relata?

Eiusdem nominis relata sunt, quorum fundamentum & terminus eodem appellantur nomine.

Diuersorum autem nominum relata sunt, quorum fundamentum & terminus diuersis nominibus efferuntur. Quid verò sit fundamentum, & quid terminus, paulò inferius dicetur.

Quot sunt communitates Ad aliquid seu relatorum?

Duæ.

Recita priorem communitatem Ad aliquid seu relatorum.

Ὑπάρχει δὲ καὶ ἐναντιότης ἐν τοῖς πρός τι.

PER. Reperitur etiam in iis, quæ cum aliquo, &c. vt Col.

COL. *Reperitur in iis, quæ cum aliquo conferūtur, repugnantia.*

ARG. Est etiam contrarietas in hisce, quæ ad aliquid sunt.

Hoc est, in vocibus quibusdā relatis. Nihil enim ipsi respectui contra-

contrarium est, sed absolutis quibusdam vocibus, quibus respectus (ratione minus principalis significati) adhærent: virtus namque vitio est contraria, & scientia ignorantiæ; quarum vtraque Aristoteli ad aliquid est, ratione secundariæ & minus principalis significationis.

Cur hæc conditio vocum relatarum cum sequenti appellatur communitas?

Hæc conditio vocum relatarum ob id dicta est communitas, sicut & sequens, quòd nec omnibus relatis vocibus conueniat, nec solis: nullis enim, quæ ex principali significatione relationem denotant, & multis qualitatibus: vt nigredini & albedini, &c. quæ nullam relationem significant, tribuitur.

Recita posteriorem communitatem Ad aliquid, seu relatorum.

Δοκεῖ δὲ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον ἐπιδέχεσθαι τὰ πρός τι.

P E R. Illud autem magis & minus in iis reperitur, &c. vt Col.

C O L. *Magis & minus in iis reperitur, quæ cũ aliquo cõferuntur.*

A R G. Videntur etiam ea, quæ sunt ad aliquid, & gradus suscipere, vt magis minúsve talia sint.

Vt simile gradus suscipit: vni enim rei alterum altero est similius. Sed neque solis relatis hoc conuenit (nam etiam albo & nigro & dulci, &c.) neque omnibus; vnum enim duplum non magis aut minus est duplum quàm aliud.

Quot sunt proprietates relatorum? Duæ.

Recita priorem.

Πάντα δὲ τὰ πρός τι πρὸς ἀντιστρέφοντα λέγεται.

P E R. Omnia verò quæ in hoc genere sunt, reciprocantur.

C O L. *Omnia, quæ in hoc relatorum genere sunt, reciprocantur.*

A R G. Vniuersa quæ sunt ad aliquid, ad ea dicuntur quę conuertuntur.

Hoc est; Omnia relata possunt ad correlatiua sua referri.

Vt, Omnis pater dicitur filij pater, & omnis filius dicitur patris filius. Et conuenit hoc omnibus relatis & solis; quę ob id dicuntur conuerti seu reciprocari; quòd sicut est relatio à relatiuo ad correlatiuum, ita est vice versa, à correlatiuo ad relatiuum.

Recita posteriorem proprietatem relatorum.

Δοκεῖ δὲ τὰ πρός τι ἅμα τῇ φύσει εἶναι.

P E R. Iam quæ sunt in hoc genere, simul sunt naturæ ordine.

C O L. *Relata sunt simul natura ordine.*

A R G. Ea, quæ sunt ad aliquid, simul natura esse videntur.

Hoc est: Pleraque relata sunt huiusmodi, vt si vnum sit, alterum quoque esse sit necessarium: vt pater & filius. Si enim pater sit, filius est; & contrà, si filius sit, patrem esse necesse est. Talia tamen non sunt omnia relata; nec enim sequitur, si sit scibile, propterea scientiam esse. Nam, vt docet Aristoteles, scibile prius est scientia.

Itaque proprietas hæc solis quidem, sed non omnibus conuenit correlatiuis.

Adiiciunt nonnulli & tertiam proprietatem his verbis:

Si quis certò sciat aliquid eorum, quæ in hoc genere sunt, etiam illud, cum quo confertur, probè norit.

Hoc est, Qui nouit vnius relatorum naturam, cognoscet etiam naturam correlatiui eius: nam per se mutuò definiuntur. Atq; hæc proprietas omnibus & solis vocibus relatis, quæ ex significatione principali relationem designant, conuenit.

Commemora illa documenta, quæ ad doctrinam relatorum rectè intelligendam hoc loco tradi solent.

PRIMVM DOCVMENTVM EST:

Omnis relatio versatur inter duo, quorum alterum vocatur fundamentum, alterum terminus.

Quid est fundamentum?

Fundamentum est res, à qua oritur relatio.

Seu (vt aliis verbis idem dicamus) Fundamentum est illa res quæ priorem obtinet locum inter ea quæ comparantur, & quæ in comparatione facienda nominatiuo casu designatur.

Quid est terminus?

Terminus est res quam respicit, seu ad quam tendit relatio.

Vel (vt idem latius explicemus) terminus est illa res quæ secundum obtinet locum inter ea quæ comparantur, & quæ in comparatione facienda obliquo casu designatur.

Quid est relatio?

Inter hæc, Relatio est ipsa applicatio, seu respectus, seu ordo fundamenti ad terminum.

Vt, cùm de patre loquimur, fundamentum est persona quæ genuit: terminus, persona genita: ordo à patre ad filium, seu colligatio ipsorum inter se, quæ à patre incipit, & in filio terminatur, dicitur paternitas.

Limitis fundamentum lapis est: Terminus, is ager, qui limitatur: Relatio est respectus ille quo limes agrum vel aliam rem limitatam respicit.

SECVNDVM DOCVMENTVM.

Cuilibet relato respondet suum correlatum seu correlatiuum.

Vt cùm

Vt cùm dicis, Cambyſes eſt filius, nihil intelligi poteſt, niſi addas cuius ſit filius : dicendo, Cambyſes eſt filius Cyri. Ideo Ariſtoteles paulo antè dixit relata λέγεσθαι πρὸς ἀντιστρέφοντα, hoc eſt, ad correlata dici, quod eſt, eſſe mutuas collationes: vt, Magiſtratus eſt, qui certo iure ciuitatem regit: Ciuitas eſt, quæ certo iure regitur à Magiſtratu.

Atqui hæc mutua collatio facilè agnoſci poteſt, vbi conſuetudo loquendi ſuppeditat vocabula ſibi mutuò reſpōdentia, qualia hæc ſunt, Pater & filius, dominus & ſeruus. ſed cùm deſunt vocabula, minus conſpicitur hic relatorum mutuus reſpectus; attamen mente cogitandus eſt. Ea enim eſt relationum natura, vt nulla relatio proferri queat, cui non ſtatim alia intelligatur reſpondere; & propterea ad definitionem vnius relationis ſemper alterius ei reſpondentis expreſſio eſt neceſſaria.

TERTIVM DOCVMENTVM.

Fundamentum vocatur materia relationum; forma verò dicitur ipſamet relatio, ſeu ordo ad terminum.

Vt, Materia limitis eſt lapis: forma eſt ordinatio ſeu reſpectus ad agrum limitatum.

Sępè autem manent fundamenta extinctis relationibus: vt lapis in agro relinqui poteſt, etiam ſi non amplius, vt anteà, fungatur limitis officio: quod quidem materię & formę in relatis diſcrimen diligenter notandum eſt, memoriæque mandandum.

TRANSITIO.

Abſolutis iis quæ ad relatorum naturam declarandam pro noſtri inſtituti ratione dicenda nobis viſa ſunt, ſequitur nunc ſecundum Ariſtotelis ordinem (quem in iſta dialectica ſequimur) vt de Qualitate, quæ dialecticæ tironibus ſcitu neceſſaria ſunt, breuiter explicemus.

DE CATEGORIA QVALITATIS.

HVIC parti Ariſtoteles titulum præfixit, περὶ ποιῶν καὶ ποιότητος (vt aſſerunt Alexander, Diuus Auguſtinus, Boëtius & poſteriores) ποιὰ vocans concreta, ποιότητας, abſtracta. & prius deſcribit qualitatem per quale; poſtea quale per qualitatem.

Recita ex Ariſtotele qualitatis deſcriptionem.

Ποιότητα δὲ λέγω, καθ' ἣν ποιοί τινες εἶναι λέγονται.

COL. *Qualitatem autē voco, ex qua quales aliqui nominantur.*

ARG. Qualitatem dico, qua quales quidam dicuntur.

Reduc hanc qualitatis deſcriptionem ad aliam, cauillationibus minus expoſitam.

Qualitas eſt forma, vel res aduenticia, ſecundum quam aliquid dicitur quale.

Vt

Vt secundum albedinem, lac dicitur album: & secundum dulcedinem, dulce.

Quomodo diuiditur qualitas?

Qualitatis quatuor sunt primariæ species, nimirum

- ἕξις ἢ διάθεσις, Habitus vel dispositio.
- φυσικὴ δύναμις ἢ ἀδυναμία, Naturalis vis vel imbecillitas.
- παθητικὴ ποιότης ἢ πάθος, Patibilis qualitas vel Pathos.
- σχῆμα ἢ μορφὴ, Figura vel forma.

DE PRIMA SPECIE QVALITATIS.

Quid est habitus?

Habitus est qualitas sub sensum non cadens, exercitatione comparata, vel Dei munere accepta, suo subiecto firmiter inhærens, quod per eam promptum redditur ad aliquid facilè & cum delectatione efficiendum.

Vt, Scientia & virtus in angelis: Item, scientia & artes labore & studio hominis comparatæ.

Quid est dispositio?

Dispositio est habitus inchoatus, seu via ad habitum.

Licebit etiam definire dispositionem ad eundem modum, quo superiùs est habitus definitus, hac seruata mutatione, vt (τὸ firmiter) in leuiter, & (τὸ promptum) in dispositum, commutetur.

Illa enim discrimen faciunt inter habitum & dispositionem, ex Aristotelis sententia.

Quid in definitione habitus excludit particula [sub sensum non cadens?]

Qualitates quartæ speciei; & eastertiæ speciei, quæ aliquo sensu percipiuntur.

Quid excludit particula [exercitatione comparata?]

Qualitates secundæ speciei, quæ sunt innatæ: Et item tertiæ speciei, quæ nullo sensu percipiuntur: cuiusmodi sunt affectiones animi.

Recita

Recita seriem primæ speciei qualitatis.



Singulis habitibus suæ respondent dispositiones; quapropter ex ista habituum classe facilè cuiuis fuerit respondentium dispositionum seriem contexere.

DE

DE SECVNDA QVALITATIS SPECIE.

Quid eſt vis naturalis?

Vis naturalis eſt qualitas ſub ſenſum non cadens, à natura inſita, qua ſubiectum redditur potens ad aliquid efficiendum, aut alicui reſiſtēdum, aut aliquid ſuſcipiendum, quod pertineat ad ipſius recipientis perfectionem.

Quotuplex eſt vis naturalis?

Triplex eſt, videlicet
- Ad efficiendum atque operandum: vt calefaciendi vis in igne, & vis refrigerandi in aqua.
- Ad facilè & vehementer reſiſtendum illis quę aduerſantur naturæ ſubiecti ipſius: vt, ſalubritas in animalis corpore, & durities in lapide.
- Ad id recipiendum, quod ad ipſius recipientis perfectionem pertinet: huiuſmodi ſunt ſenſus exteriores, per quos ſubiectum in ſe recipit obiectorum perceptiones.

Quid eſt naturalis imbecillitas?

Naturalis imbecillitas, eſt qualitas ſub ſenſum non cadens, à natura inſita, qua ſubiectum redditur impotens ad aliquid efficiendum, aut alicui reſiſtendum, aut aliquid ſuſcipiendum, quod pertineat ad ipſius recipientis perfectionem.

Recita seriem secundæ speciei qualitatis.



ADMONITIO.

Facultatibus animi, quas superiori schemate recensuimus, non inutile fuerit addere respondentes eis actiones, licet istius non sint speciei: nam eas alij ad tertiam, alij ad primam Qualitatis speciem referendas esse contendunt: alij nonnullis receptis, cæteras ex categoriarum finibus exterminant. Cuius controuersiæ tractatio non est præsentis loci; ob idque suum cuique liberum de ea relinquentes iudicium, hoc tantummodo monemus, istarum operationum natura & propria ratione probè cognita, non multū referre, vtrum ipsæ intra an extra categoriæ Qualitatis terminos collocentur.

Recita seriem operationum animæ.



DE TERTIA QVALITATIS SPECIE.

Quid est patibilis qualitas?

Patibilis qualitas est, qualitas quæ vnico sensu exteriori percipi potest; vel affectio animæ firmiter suo subiecto inhærens.

Quid est Pathos?

Pathos est qualitas, quæ vnico sensu exteriori percipi potest; vel affectio animæ suo subiecto leuiter inhærens.

Quid est affectio animæ?

Affectio animæ est commotio animæ appetentis vel refugientis & auersantis rem sibi obiectam.

Quotuplices sunt animæ affectiones?

Sunt duplices: Aliæ diuturnæ sunt: vt amor, odium, inuidentia, &c. has si quis etiam habitus esse contenderit, non valdè aberrabit; sunt enim habitibus similes. Aliæ sunt subiti motus: vt, ira subita in Aiace, audiente sibi eripi arma Achillis; quæ est tanquam verberatio, qua cor fugiens illud malum, & depellere studens, stimulatur.

Profer exemplum eius partis quæ Pathos ab Aristotele nominatur.

Huius partis exemplum est, rubor repentinus ex verecundia, pallor ex timore: item, ira subita.


Profer aliquod exemplum patibilis qualitatis.

Vt, Nigredo in Aethiope, albedo in niue; odium, quod est ira inueterata, hærens in animo, tanquam nota cauterio corpori inusta.

Cur dicuntur istæ qualitates patibiles?

Dictas vult Aristoteles istas qualitates patibiles, Græcè παθητικὰς, non quòd ipsæ aut earum subiecta aliquid patiantur, sed quòd vel ex perturbatione ortæ sint: vt, pallor infantis, ex metu matris, dum eum in vtero gestaret: vel quòd πάθος, id est, perturbationem in nobis efficiant: vt, dulcedo mellis, delectationem; amaritudo fellis, tristitiam & horrorem quendam in nobis parit.

Recita seriem tertiæ speciei qualitatis.



Explica latiùs istas quatuor præcipuas animæ affectiones, & earum definitiones partesq́; recense.

Sunt 4. genera affectionum animæ:

LAETITIA, quæ est suauis motus cordis, qui excitatur, cùm cor obiecto expetito fruitur. Cui subiiciuntur:
Delectatio, iactatio, maleuolentia lætans alieno malo.

CVPIDITAS, quæ est animæ motus ex absentis boni cogitatione exortus. Cui subiiciuntur:
Spes, desiderium, ira, amor, excandescentia, odium.

TRISTITIA, quæ est cruciatus cordis compressi auersantis præsens malum. Cui subiiciuntur:
Inuidentia, obtrectatio, misericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamẽtatio, solicitudo, molestia, desperatio, &c.

METVS, qui est cruciatus cordis compressi, tanquam refugientis futurum malum. Cui subiiciuntur:
Pigritia, pudor, terror, timor, pauor, exanimatio, conturbatio, formido. vt docet Cic. lib. 4. quæst. Tusc.

DE QVARTA QVALITATIS SPECIE.

Quid est figura?

Figura nihil aliud est, nisi continuæ quantitatis certa quædam protractio.

Vt

Vt lineæ aut ſuperficiei: lineæ, vt figura plana: ſuperficiel, vt figura corporea, quam ſolidam vocant.

Geometræ figuram dicunt eſſe corporum eam qualitatem, quæ termino vel terminis clauditur. Termino vno orbicularis clauditur figura, videlicet linea orbiculari. Item ſphærica figura, vna ſuperficie circumdante clauditur. Terminis continentur omnes aliæ perfectæ, tam planæ quàm ſolidæ: Planæ quidem angulatæ, lineis: vt triangulus, quadratum, altera parte longius, pentagonum, &c. Superficiebus autem, figuræ ſolidæ: vt, pyramis, teſſera, &c.


Quod eſt diſcrimen inter figuram & formam?

Figuram & formam plurimi idem ſignificare volunt. Aliqui ſic diſtinguunt; vt figura inanimatorum ſit, forma animatorum. Alij formam rebus naturalibus, præſertim animatis tribuunt: figuram artificioſis, ſecundùm verſiculum:

Formam viuentis, picti dic eſſe figuram.

Alij aliter hæc diſcernunt: de qua diſſenſione hoc tantùm obiter monemus, ſecundam opinionem & tertiam verbis Ariſtotelis multo magis conſentaneam, quàm primam nobis videri.

Recita ſeriem quartæ ſpeciei qualitatis.



Recita qualium deſcriptionem ex Ariſtotele.

Ποιά ἐϛι τὰ κατ' αὐτὰς παρωνύμως λεγόμθνα, ἢ ὁπωσοῦν ἀπ' αὐτ.

P E R. Qualia autem ſunt ea, quorum nomina ex iis, aut quoquo alio modo deducuntur.

C O L. *Qualia ſunt ea, quæ ab eis ſunt cognominata, aut quoquo modo ducta.*

A R G. Qualia ſunt ea, quæ denominatiuè ab ipſis, aut alio aliquo modo dicuntur.

Hoc eſt, qualia ſunt res nomine concreto categoriæ qualitatis denominatæ: quod quidem nomen concretum paronymum eſt, vel voce & ſignificatione ſimul, vel ſignificatione tãtùm, reſpectu

eius qualitatis, vnde suam habet denominationem.

Pro quibus hic accipitur definitum?

Definitũ accipitur pro rebus denominatis per nomina concreta categoriæ qualitatis. Posset etiã pro ipsismet nominibus concretis istius categoriç accipi: hunc tamẽ locũ sicut pleraq. alia loca in Aristotele, plausibilius est de rebus, quàm de vocibus interpretari; licet fortasse id ad tenera adhuc iuuẽtutis ingenia minus sit accõmodatũ.

Et, vt hoc obiter dicã, pluribus in locis apud Aristotelẽ de signo & re signata idẽ prorsus est iudicãdum, adeò vt ridiculas esse existimemus altercationes, quibus, an de rebus, an de vocibus Aristoteles intelligendus sit, contenditur; cùm vtraque interpretatio in eãdem prorsus incidat sententiam, licet interdum vnus dicendi modus paulò grauior videatur; quod tamen tanti non est faciendum, vt alter modus dicendi explodatur, si fortè facilior sit aut vtilior.

Pro quibus sumitur pronomẽ [ipsis] seu [eis] in ista definitione positũ?

Sumitur pro qualitatibus antè enumeratis atque similibus: & sub multitudinis numero intelligendus est singularis, maximè si de vocibus agatur: quia ab eadem qualitate possunt plura παρωνύμως dici seu cognominari: vt ab albedine, albus, alba, album.

Quid est παρωνύμως dici, seu cognominatum esse à qualitate?

Est esse paronymum voce & significatione simul, comparatione alicuius qualitatis denominantis; vel significari huiusmodi paronymo: vt à grammatica grammaticus, à fortitudine fortis: commodè enim ista particula (vt antè diximus) & ad voces significantes, & ad res, quæ per voces significantur, referri potest.

Quid est aliquo alio modo dici, seu quoquo modo deductum esse?

Est esse paronymum significatione tantùm, comparatione alicuius dictarum qualitatum, vel huiusmodi paronymo significari: vt probus respectu virtutis, & albus respectu candoris.

Si quis roget, an homo, equus, lapis, & similia contineantur sub definitione qualium, quomodo esset respondendum?

Loquendo de vocibus facillima est responsio, quòd non: quia non sunt aliquo modo paronyma qualitatum; sed loquendo de rebus, respondendum est, definitione contineri, vt alba dicuntur aut nigra, vel alio quopiam qualitatis concreto appellantur.

Quorsum agit hic Aristoteles de qualibus?

Ostendere vult qualitatem non tantùm abstracto, verumetiam concreto significari, simul innuens, de aliis quoque accidentibus idem esse sentiendum.

Recita tres ex Aristotele qualitatis proprietates.

PRIMA EST:

Ὑπάρχει δὲ καὶ ἐναντιότης κατὰ τὸ ποιόν.

COL. *Est qualitatibus inter ipsas repugnantia.*

ARG. Contrarietas in qualitate esse videtur.

Hoc est, qualitas vna alteri qualitati est contraria.

Vt, Iustitiæ contraria est iniustitia, & nigrori candor. Itémque cætera eiusdem generis. Similiter contrariè opponuntur, quæ ex iis qualia nominantùr: vt, iustum & iniustum, candidum & atrum. Non autem in omnibus qualitatibus vel qualibus id cōtingit. Rubro enim aut pallido, aut aliis intermediis, nihil est contrarium.

SECVNDA EST:

Ἐπιδέχεται δὲ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον τὰ ποιά.

COL. *Recipiunt intensionem & remissionem qualia.*

ARG. Qualia ipsa gradus suscipiunt, ac magis talia, minúsve dicuntur.

Hoc est, sola qualia aptè cohærent cum his aduerbiis magis & minus, ratione intensionis ac remissionis, quam qualitates per ipsa designatæ patiuntur, non omnia tamen. Nam hæc proprietas non extenditur ad figuras, vt Aristoteles declarat.

Intendi, est augeri per similem qualitatem in eadem parte subiecti. Propter talem intensionem calidum aliud alio magis minúsve calidum dicitur. Caloris enim vis in alio augetur, in alio minuitur, vt ipse sensus iudicat. Quinetiam in eodem corpore calor aliàs maior, aliàs minor inest.

Ita sunt, lucis, colorum, & pænè omnium qualitatum gradus, etiam notitiarum, virtutum & affectuum. In eodem enim homine amor eiusdem rei aliàs ardentior, aliàs frigidior conspicitur; quod hoc versu significatum est:

Intrat amor mentes vsu, dediscitur vsu.

Eiusdem propositionis quoque notitia illustrior est seni Ptolemæo, quàm iuueni.

TERTIA EST:

Ὅμοια δὲ ἢ ἀνόμοια κατὰ μόνας τὰς ποιότητας λέγεται.

COL. *Similia aut dissimilia aliqua in solis qualitatibus reperiūtur*

ARG. Similia dissimiliáque per qualitates solas dicuntur.

Quæ est horum Aristotelis verborum sententia?

Vult Aristoteles subiecta similia dici aut dissimilia, secundùm solas qualitates: quòd illæ proximum sint fundamētum, primúmq. ac proprium subiectum similitudinis dissimilitudinísve. Et proinde, quæcunque similia aut dissimilia extra qualitates appellantur, non ratione sui, sed ratione qualitatum, quas in se habent, eiusmodi appellationem obtinere.

Quid est similitudo?

Similitudo (teste Boëtio) est, rerum diuersarum eadem qualitas.

Quid est dissimilitudo?

Dissimilitudo est, diuersa rerum qualitas.

Quæ descriptiones veræ sunt, si non simpliciter, sed figuratè accipiantur: de qua acceptione in fine primi lib. diximus: ita enim sunt exponendæ: Similitudo, est relatio indè nascens, quòd plures qualitates eiusdem speciei in diuersis subiectis cernantur. Dissimilitudo verò inde, quòd diuersæ secundum speciem qualitates in aliquibus subiectis inhæreant: vt, duo cygni, similes sunt ratione suarum albedinum, siue hæ albedines æqualiter fuerint intensæ, siue non. Neque enim hîc de tam perfecta absolutáque similitudine agitur, quàm in libro de Generatione, vbi negatur simile posse agere in simile. Coruus autem & cygnus, homo auarus, & alter prodigus, dissimiles sunt. Atque ita de aliis.

Quid postulat similitudo, & quid dissimilitudo?

Similitudo qualitates eiusdem speciei; dissimilitudo verò qualitates specie differentes postulat. Pluribus erat opus, vt quantitates æquales aut inæquales dici possent; vt ex iis, quæ superiùs de quantitate dicta sunt, manifestum est.

Quis est vsus proprietatum, & aliorum de qualitate dictorum?

Ad qualitatis propriam rationem declarandam omnia spectant: aptissimè enim, cõmemoratis iã proprietatibus, qualitatis natura (quatenus in sũmo genere fieri potest) explanatur, quòd vniuersæ secundũ cõmunẽ dialecticorũ sententiã solis qualitatibus cõueniãt.

Prætereà maxima est vtilitas cognitionis qualitatum, neque vllum rerum ordinẽ tam refert probè cognitum habere, quàm istum quod latissimè pateat. Nulla est enim substantia, nulla ferè quantitas, in qua non plurimæ qualitates cernantur. Deinde ex hoc loco, & Rhetores formulas laudum ac vituperationum, variarúmque probationum materiam petunt. Hinc & definitiones virtutum ac vitiorum, artium & similium rerum facillimè conficiuntur.

Quid est in qualitatibus, quod, propriè dictis differentiis non occurrentibus, earum vicem commodè supplere possit?

Differentiæ qualitatum quando propriis designari nominibus non possunt, cõmodissimè per subiecta qualitatũ denotantur. Sicut enim substantiarum discrimina ex accidentibus conficimus: (nam maluam ab absinthio figura & sapore discernimus) sic rursus accidentia discernuntur per subiecta; ita mutuas operas tradunt inter se accidentia & subiecta. Est igitur obseruandum in definiendis accidentibus, in qua re singula hærere possint. Quæ obseruatio multorum accidentium suppeditabit differentias. Clarum enim est, alia propria corporum esse: vt colorem, saporem, atque formam: alia pro-

propria animi: vt religionem, eruditionem atque temperantiam.

Possemus igitur (exempli caussa) temperantiam ita definire, vt dicamus eam virtutem esse voluntati inhærentem, quæ illam refrenat, & intra rectæ rationis terminos cohibet, in iis quæ ad victũ & generationem pertinent, expetendis.

TRANSITIO.

Hactenus de qualitate & qualibus sit dictum. Nunc reliquas sex categorias breuiter cum Aristotele perstringamus.

DE CAETERIS SEX CATEGORIIS.

POTERANT reliquæ categoriæ, quas paucissimis absoluit Aristoteles, sub relatis siue ad aliquid comprehēdi. Sed quia placuit veteribus decem categorias statuere, sequemur & nos illorum auctoritatē: istud interim admonentes, non tam necessitatis, quàm distinctionis caussa sequentes categorias à relationum communi genere, magno veterum consensu seiunctas esse & separatim tractatas: cùm enim infinitæ sint relationum varietates, iudicauerunt antiqui, si in certas classes distribuerentur, clariorem fore earum tractationem, & confusionem magna ex parte minuendam.

Quid est actio?

Actio est relatio agentis ad patiens.

Quid est passio?

Passio est relatio patientis ad agens.

In quo differt actio à productione actiua; & item passio à passiua productione?

Constat multum interesse inter actionem & productionē actiuam: item inter passionem & passiuam (vt vocant) productionem; licet hæc inter se ferè sint connexa. Nam actio respicit ipsum patiens: productio verò actiua effectum in patiēte productum. Verbi gratia, dum ignis aquam calfacit, relatio ignis ad aquā est actio, nempe calfactio actiua; & contrà, relatio aquæ calfactæ ad ignem est passio, quæ dicitur passiua calfactio. Relatio verò ignis ad calorem in aquam productum, est productio actiua, seu effectio: & relatio caloris producti ad ignem ipsum, dicitur productio passiua. Fatetur enim & vulgus, ignem producere calorem, non aquam: ast in aquam agere, non in calorem. E diuerso autem calorem ab igne produci, aquam verò ab igne pati; eò quòd ab ipso illi quippiam imprimatur. Non autem dicitur actiua productio aut passiua, quasi ad actionis passionísve pertineat categoriam, sed quia actiuis verbis vel passiuis exprimitur.

In quas partes primùm diuiditur actio?

Diuiditur actio in actionem animæ & corporis.


Quid est actio animæ?

Quam anima ipsa exequitur: vt est digestio actiua, nutritio, sensus perceptio, & intellectio actiua.

Quid est actio corporis?

Quæ sine alia re intermedia, vel corpori, vel proprio eius accidenti conuenit: vt sectio actiua, percussio, calefactio.

Recita seriem categoriæ actionis.



Quomodo diuiditur passio?

Diuidenda est ad eundem modū passio, quo iam diuisa est actio. Immo totidem pænè verbis diuidi potest passio, quibus diuisa nunc est actio: hoc tantùm est obseruandum, vt quæ vocabula in actionis categoria actiuam habebant significationem, hîc passiuè capiantur: nam in abstractis nominibus consentiunt ferè hæ duæ categoriæ, sed in concretis manifestam habent differentiam.

Explica multiplicem significationem verbalium in io finitorum.

Abstracta verbalia in 1 o finita, quæ nunc actiuè, nunc passiuè significant, tertiam frequenter significationem obtinent, nec actiuam, nec passiuam, sed neutram: vt exempli gratia, Intellectio præter actiuam intellectionem atque passiuam, quæ sunt relationes, etiam significat nōnunquam ipsius intellectus actum seu operationem, quæ est res absoluta categoriæ qualitatis.

Sunt quæ pro tertia illa significatione designent non qualitatem, sed motum: Cuiusmodi sunt, calfactio, refrigeratio, dealbatio, denigratio, generatio, & huius generis alia.

Explica quoque latiùs propriam concretorum categoriæ actionis & passionis significandi rationem.

Concreta harū categoriarum, ferè verba sunt, aut participia: sed aduertendum, non semper eorum significationem Grammatico generi respondere.

Quædam enim actiui generis passionem significant: vt	Video,	Gusto,
	Audio,	Tango,
	Olfacio,	Intelligo,

Nam

Nã quod videt, audit, intelligit, &c. patitur, aliquid in se recipiẽdo.
Quædã passiui generis, pertinent ad actionem, vt eorũ, quę iam cõmemorauimus, passiua. Quod enim videtur, auditur, intelligitur, agit in vim cognoscendi, in ea suam ipsius imprimens imaginẽ.
Quædam neutrius generis, passionem designant: vt Vapulo, Veneo, Fio, &c.

Deponentiũ Verborum	Quædã designant actionem,	Loquor, Vescor, Ordior, &c.
	Quædã passionem: vt patior.	

Verba communia ὁμώνυμα sunt, actionem passionémque ὁμωνύμως seu ambiguè significantia: vt Osculor, veneror, &c.

An omnia verba ad alteram harum categoriarum pertinent?

Nequaquam. Quædam enim sunt aliarum categoriarum: vt Iaceo, sedeo, sto, &c. quæ sunt categoriæ Situs. Item caleo, frigeo, tepeo, palleo, &c. quæ sunt tertiæ speciei Qualitatis.

Recita ex Aristotele duas actionis passionisq; communitates.

PRIOR EST:

Ἐπιδέχεται δὲ καὶ τὸ ποιεῖν καὶ τὸ πάσχειν ἐναντιότητα.

C O L. *Agere & pati repugnantiam recipiunt.*

A R G. Suscipit ipsum agere patíve contrarietatem.

Hoc est, Actiones inter se sunt contrariæ, & Passiones inter se. Neque enim vult Aristoteles actionibus passiones contrarias esse; hoc namque falsum est; cùm actioni passio relatiuè, non autẽ contrariè opponatur. Et hanc sententiam satis declarant exempla Aristotelis, qui dicit: Calefacere & refrigerare, calefieri & refrigerari, esse contraria; nimirum per accidens, ratione qualitatum contrariarum, per agentia in diuersis subiectis effectarum. Et quia non omnes qualitates ab agẽte effectæ cõtrariæ sunt: vt, pallor & rubor, ac similes nullum habent contrarium; idcirco non omnes actiones passionésve sunt contrariæ. Neque etiam solæ, cùm & substantiis conueniat per accidens contrarium habere; vt elementis: Item Ioanni albo, & Petro nigro, & aliis permultis.

POSTERIOR EST:

Ἐπιδέχεται καὶ τὸ μᾶλλον, καὶ τὸ ἧττον.

C O L. *Recipiunt etiam magis & minus.*

A R G. Gradus quoque suscipiunt, vt magis atque minus dicantur.

Quæ quidem communitas, sicut etiã prior, non conuenit actioni aut passioni per se, verùm per accidens tantùm, ratione videlicet qualitatum magis vel minus suscipientium, quæ ab agentibus efficiuntur, & à patientibus recipiuntur. Dum enim dicimus vnum ignem magis calefacere, & alium minus: & cùm dicimus vnam aquam magis refrigerare & aliam minus; ista verba, calefa-

cere & refrigerare, aptè coniunguntur cum aduerbiis magis & minus intensionem remissionémque significantibus, non quidē propter relationes quas propriè significant, sed propter qualitates quas ab agentibus effici, & à patientibus recipi denotant.

Sunt ne aliquæ actionis passionisq́; proprietates?

Solent Dialectici nonnullas hoc loco commemorare, è quibus hæc vna ad istarum relationum naturam declarandam videtur aliquid habere momenti; videlicet, Quòd actio & passio perpetuò aliquem motum comitentur.

DE CATEGORIA VBI ET QVANDO.

Quid est Vbi?

Vbi est relatio locati ad locum, vel loci ad locatum.

Quid est Quando?

Quando est relatio rei, quæ tēpore mensuratur ad tempus ipsum; vel temporis ad rem tempore mensuratam.

Quomodo diuiditur Vbi & Quando?

Diuiditur vtrunque in actiuum & passiuum, prout hæ relationes nunc actiuo verbo continere, mensurare; nunc passiuo, contineri, mensurari, exprimuntur: vt relatio Socratis ad locum quo continetur, est Vbi passiuum: & contrà, relatio loci ad Socratem quem continet, est Vbi actiuum.

Ad eundē modum relatio Socratis ad tempus quo mensuratur, est Quando passiuum: & è diuerso, temporis, quod Socratis durationem mensurat, relatio, respectu Socratis, est Quando actiuum.

Quomodo diuiduntur vlterius Vbi actiuum & Vbi passiuum?

Vtrunque Vbi, tam actiuum quàm passiuum, diuiditur in compositum & simplex.

Quid est Vbi compositum?

Quod consistit inter locum & locatum corpus: Ita enim corpus à loco circūscribitur, vt vna eius pars in vna parte; & alia in alia parte loci sit; sic vt propter corporis locati partes, cōtinentis loci latera necessariò à se mutuò seiungātur. Hoc modo quāritates corporeæ, & substātię his imbutę sunt in loco: atq. istud vocāt, loco circūscribi.

Quid est Vbi simplex?

Quod consistit inter loci punctum & rem indiuiduam in eo existentem: vt relatio, secundùm quam angelus vel animus est in indiuiduo loci puncto: Item ea relatio, qua indiuiduus loci punctus angelum vel animum hominis dicitur continere.

Explica similiter quid sit Quando simplex, & Quando compositum.

Quando simplex, est relatio rei indiuiduo tempore existentis ad ipsum tempus indiuiduum: vt relatio angeli ad instans. Quando compositum, est relatio rei diuiduo aliquo tempore existentis

ad tempus diuiduum: vt relatio hominis ad annum.

Recita seriem categoriæ Vbi.

Vbi { Passiuum { Compositum, Simplex. ; Actiuum { Compositum, Simplex. }

Recita seriem categoriæ Quando.

Quando { Passiuum { Compositum, Simplex. ; Actiuum { Compositum, Simplex. }

DE CATEGORIA SITVS.

Quid est Situs?

Situs est relatio partium corporis inter se, quam ratione loci vel naturalis vel fortuiti, in quo collocata sunt, habent.

Quotuplex est Situs?

Duplex est: { Quidam naturalis, Alter fortuitus. }

Quid est situs naturalis?

Situs naturalis est relatio partium corporis inter se, quam ratione loci naturalis, in quo collocatæ sunt, habent: vt situs, secundum quem naturaliter caput dicitur esse sursum, respectu aliorũ membrorum, etiam si fortè homo capite deorsum steterit, pedibus in cælum erectis. Situs brachiorum in vtroque latere, aurium circa tempora, & ita de similibus.

Quid est situs fortuitus?

Situs fortuitus est relatio partium corporis inter se, quam ratione fortuiti loci, in quo collocatæ sunt, habent: vt statio, sessio, accubatio, positio manuum super caput, &c.

Quæ subiecta potissimùm denominantur ab eiusmodi situ?

Huiusmodi situs, licet propriè conueniat partibus inter se collatis, frequẽtius tamen integra ipsa denominare solet. Potiùs enim dicimus hominem sedere, stare, iacere, quàm has aut illas partes.

Recita seriem categoriæ situs.

Situs { Naturalis { Capitis sursum, Ventris in medio, Pedũ deorsum, &c. } hic, ille. ; Fortuitus { Sessio, Statio, Accubatio, Situs pedum sursum. }

DE CATEGORIA HABITVS.

Quid est habitus?

Habitus est relatio corporis & potissimùm humani, ad ea, quibus indutum est aut ornatum, vel è diuerso, horum ad illud.

Quare addis in descriptione (& potissimùm humani?)

Quia natura cæteris animātibus, quantùm ad vestes & arma pertinet, prouidit.
- Quibusdam sunt pro vestibus pili, hirsutique villi.
- Aliis duram cutem, aliis testas, aliis squamas, aliis alia vestimentorum loco concessit natura.
- Tauros cornibus armauit: leones vnguibus.
- Apris fulmineos dedit dentes.
- Elephantos præter cutem & molem, promuscide quoque muniuit.
- Delphinis teli vice pinnas addidit.
- Histricem spinis.
- Raiam aculeis defendit.
- Gallis calcar affixit.
- Columbis pernicitate prospexit.
- Quibusdam venenum teli vice tribuit.
- Alia aliter communiuit.

Solum hominem nudum produxit, imbecillem, tenerum, inermem, mollissima carne, læui cute. Nihil vsquam in membris eius, quod pro vestitu vel armis ad pugnam & violentiam datum videri possit: Sed pro omnibus huiusmodi (quod multo præstantius est) donatus est mente & oratione, atque manibus plurimarum artium ministris, quibus sibi parare queat, quæcunque ad corporis sui tuendam salutem necessaria sunt munimenta, à quibus præsentis categoriæ relationes oriuntur. Nihilominus bruta quoque animantia nonnunquam ab hominibus eiusmodi vel ornantur vel armantur indumentis: vt equi phaleris, simiæ tunicellis, canes torquibus: quod si fiat, non minus inter eiusmodi animantia & sua indumenta vel ornamenta, quàm inter homines & suas vestes, intercedet habitus relatio.


Quotuplex est habitus?

Ex descriptione constat duplicem esse:

Videlicet
- Indumenti, quo habetur aliquod indumentum domesticum aut militare.
- Ornamēti, quo aliquid ad ornatum habetur: quo modo plurima habent mulierculæ,

Quæ sua caudato vestigia syrmate verrunt.

Recita seriem categoriæ habitus.



Sic de posterioribus quatuor categoriis scholæ docent.

Non ignoramus, hæc multo aliter nonnullos tractasse, vt videlicet Vbi, Quando, &c. ad circunstantias rhetoricas referantur.

Sed quia hæc tractandi ratio non modò crassior est, minúsque limata, quàm dialecticæ postulat subtilitas (quòd categoriarum inducere videatur confusionem, absoluta cum relatis permiscens) verùm intempestiua quoque est hoc loco; consultò eam, vt Rhetoricæ magis conuenientem, prætermisimus.

Licet enim Rhetorica & Dialectica inter se arctissimo deuinctę sint vinculo, adeò vt vna sine altera prorsus manca sit & imperfecta; (vt nos docent plurima excellentium virorum exempla, qui, tametsi acutissimè doctissiméque cogitare possint, tamen propter dicendi exercitationem neglectam, minimè sunt ad scribendum, vel ad orationem coram multitudine aut coram eruditis viris habendam, idonei. Itaque dolendum est, harum coniunctissimarum artium in huius florentissimę Academiæ 4. Pædagogiorum exercitationibus, natura earum reclamante, factam esse diuulsionē) sunt nihilominus his artibus sua cuique præcepta & documenta, quorum tractatio nequaquam est confundenda.

TERTIA PARS,

VOCVM QVARVNDAM OBSCVRIORVM (QVAS POSTPRAEDICAMENTA VOCANT) INTERPRETATIONEM CONTINENS.

DOCTRINA huius partis plana est atque facilis; nihil enim habet præter grammaticam vocabulorum aliquot obscurorum enarrationem: ob ídque ab Aristotele, postquam absoluit doctrinam categoriarum, adiecta est: vt moneret in omni disputatione atque oratione claritati atque perspicuitati, quatenus rei quę tractatur natura patitur, seruiendum esse.

Explica

Explica igitur quid postprædicamentorũ nomine intelligant dialectici.

Nominant Dialectici postprædicamenta, voces quasdam obscurioris significati, quarum explicationem post absolutas categorias tradidit Aristoteles.

Quotuplicia sunt postprædicamenta?

Postprædicamenta sunt quintuplicia, videlicet
- Opposita,
- Prius,
- Simul,
- Motus,
- Habere.

Liceret ne his postprædicamentis alia addere?

Plura addere nullũ fuerit nefas: sed huius non est instituti, aliorum præter hęc, quę ab Aristotele sunt posita, tractationẽ persequi.

DE OPPOSITIS.

De qua oppositione agit hoc loco Aristoteles?

Hîc non agitur de oppositione enuntiationũ, de qua in sequenti libro περὶ ἑρμηνείας dicetur, sed tantùm de oppositione simplicium, siue vocum, siue rerum: qualis est inter patrem & filium, albedinem atque nigredinem, & alia huiusmodi.

Quomodo definiuntur repugnantia, quæ comparatione oppositorum, rationem generis aut magis communis obtinent?

Repugnantia sunt, quæ de eadem re singulari affirmari eadem ratione non possunt.

Vt, Homo & asinus, album & nigrum, pater & filius.

Quomodo diuiduntur repugnantia?

Repugnantia vulgò diuiduntur in
- Opposita
- &
- Disparata.

Quæ dicuntur opponi?

Opponi ea duntaxat volunt, quæ sic repugnant inter se, vt neutrum eorum cum vllo alio similiter pugnet.

Quo nomine appellat Cicero ea, quæ vulgò nominantur opposita?

Quæ nos opposita vocamus, Ciceronem in Topicis contraria appellasse constat. Boëtius autem quarto commentariorum, quibus Topica Ciceronis enarrauit libro, oppositorum nomen hoc loco commodius esse putat, & ea, quæ à Græcis τὰ ἐναντία, à Cicerone verò Aduersa nominantur; contraria potius quàm aduersa appellari oportere existimat. Cæterùm quandoquidem de re controuersia nulla est, in vsu verborum faciles esse debemus, quatenus sermonis puritas non violetur. Nos Boëtium sequimur, propter scholarum consuetudinem, quæ in istis vocabulis eam quam probat Boëtius significationem confirmauit.

Oppo-

Oppoſita igitur ſunt, album & nigrum, pater & filius, viſus & cæcitas, bonum & non bonum. Album enim, licet non albo opponatur, nulli tamen eodem modo ſeu eodem repugnantiæ genere repugnare inuenietur quo repugnat nigro. nec è diuerſo, nigrũ alij, ſicut albo, aduerſatur: nulli enim alteri contrariè: & ita de cæteris. Vnde planum eſt, idem pluribus oppoſitum eſſe poſſe, ſecundùm diuerſa oppoſitionis genera.

Quot ſunt genera oppoſitorum?

Quatuor,
- ὡς τὰ πρός τι,
  RELATA: vt, duplum & dimidium.
- ὡς τὰ ἐναντία.
  CONTRARIA: vt, bonum & malum.
- ὡς στέρησις καὶ ἕξις.
  PRIVANTIA: vt, cæcitas & viſus.
- ὡς κατάφασις καὶ ἀπόφασις.
  CONTRADICENTIA: vt, ſedet & non ſedet.

Quomodo definit Ariſtoteles oppoſita relata?

Ὅσα μὲν οὖν ὡς τα πρός τι ἀντίκειται, αὐτὰ ἅπερ ἐστί, τῶν ἀντικειμένων λέγεται, ἢ ὁπωσοῦν ἄλλως πρὸς αὐτά.

PER. Ac ea quidem contraria, quæ cum aliquo conferuntur, quicquid ipſa ſunt, ad contraria referuntur, aut quoquo modo aliter ad ea affecta ſunt.

COL. *Oppoſita relata ſunt, quæ quicquid ipſa ſunt, oppoſita eſſe dicuntur, aut quoquo modo aliter ad ea affecta ſunt.*

ARG. Quæ vt ea, quæ ſunt ad aliquid, opponuntur, (ſunt) ea quę id quod ſunt, oppoſitorum, aut alio aliquo modo ad illa dicuntur.

Hoc eſt, Oppoſita relata ſunt voces, quæ ex ſua ſignificatione ad ſe mutuo vel in genitiuo vel alio caſu referuntur. Vt duplum, id quod eſt, alterius dicitur: Item pater, filius: dominus, atque ſeruus.

In quo conſiſtit relatorum oppoſitio?

Conſiſtit relatorum oppoſitio ſecũdùm Boëtium in hoc, quòd non dicantur de eodem, comparatione eiuſdem, ſecundum idem, & eadem ratione.

An iam recitata Ariſtotelis definitio aperit, in quo propriè conſiſtat relatorum oppoſitio?

Non explicat, ſed eſt potius regula quędam vtilis ad cognoſcendum, quænam ſint ad eum modum oppoſita, docens ea ſemper eſſe correlatiua: In omnibus enim & ſolis relatis ſe mutuò reſpicientibus inuenitur relatorum oppoſitio.

Recita contrariorum definitionem.

C O L. *Contraria (alio nomine aduersa) sunt opposita, quæ sub eodem genere posita, maximè à se mutuò distant, eidem subiecto capaci vicissim insunt, à quo mutuò se expellunt, nisi alterum insit à natura.*

L O V. Contraria sunt opposita, quæ posita sub eodem genere, maximè à seinuicem distant, eidem subiecto susceptıcio vicissim insunt, à quo se mutuò expellũt, nisi alterum insit à natura.

Vt, calor & frigus, species sunt eiusdem generis, vtpote qualitatis quę tactu percipitur, & ita secundùm suam naturã repugnant, vt nulla alia sub eodẽ genere posita magis repugnẽt; & cuicunq. subiecto alterum inest, eidem alterum inesse potest vicissim, sic vt vno cedente, alterum succedere possit, seruata tamen exceptione, quam ponit Aristoteles: nam igni vicissim inesse non possunt calor & frigus, quód ei calor insit à natura, hoc est, tam arcta coniunctione, vt eum ab igne permanente nulla vis naturalis separare possit.

Distribue contraria in suas species.

Τῶν ἐναντίων { Τῶν μὲν οὐδέν ἐστιν ἀνὰ μέσον· / Τῶν δὲ ἔστι τι ἀνὰ μέσον.

P E R. Contrariorum { quædam sunt talia, vt inter ea nulla media interiecta sint. / quædam verò sunt talia, vt in medio eorum aliquid sit collocatum.

C O L. *Contrariorum* { *alia sunt contraria* τὰ ἄμεσα, *id est, medio carentia: vt ægritudo & sanitas.* / *alia sunt contraria* τὰ ἔμμεσα, *id est, medium habentia: vt album & nigrum.*

Contrariorum { Alia sunt contraria immediata: Vt, paritas & imparitas. / Alia sunt contraria mediata: Vt, album & nigrum.

Recita definitionem contrariorum medio carentium.

Ὅσα δὲ τῶν ἐναντίων τοιαῦτά ἐστιν, ὥστε ἐν οἷς πέφυκε γίνεσθαι ἢ ὧν κατηγορεῖται ἀναγκαῖον αὐτῶν θάτερον ὑπάρχειν, τούτων οὐδέν ἐστιν ἀνὰ μέσον.

P E R. Quæ autem aduersa sunt eiusmodi, vt necesse sit alterum inesse in iis, in quibus natura insunt, aut de quibus dicuntur, inter ea nulla media interiecta sunt.

C O L. *Contraria medio carentia sunt eiusmodi, vt necesse sit alterum inesse in iis, in quibus natura insunt, aut de quibus dicuntur.*

ARG. Contraria immediata ſunt, quæ talia ſunt, vt ipſorum alterum neceſſariò rebus iis inſit, in quibus aptum eſt fieri, aut de quibus prædicatur.

Hoc eſt, Contraria immediata ſeu medio carentia ſunt contraria, quorum alterum ſemper de quouis ſubiecto ad ipſa ſuſcipienda apto verè affirmari poteſt: vt quilibet numerus aut par eſt, aut impar.

Recita definitionem contrariorum quæ medium habent.

Ὧν μὴ ἀναγκαῖον θάτερον ὑπάρχειν, τούτων ἀνὰ μέσον ἐστί τι πάντως.

PER. Quorum non eſt neceſſe ineſſe alterum, in medio illorum aliquid eſt collocatum.

COL. *Contraria mediũ habẽtia ſunt, quorum non eſt neceſſe alterum ineſſe, in quibus natura inſunt, aut de quibus dicuntur.*

ARG. Contraria mediata ſunt, quorum alterutrum ineſſe neceſſe non eſt.

Hoc eſt, Contraria medium habentia ſunt contraria, quorum vtrumque abeſſe poteſt ab eo ſubiecto, quod ad ipſa ſuſcipienda eſt idoneum: cuiuſmodi ſunt albedo & nigredo. Neque enim cuilibet ſubiecto ad albedinem aut nigredinem ſuſcipiendam apto, neceſſe eſt albedinem ineſſe aut nigredinem, ſed poteſt ei ineſſe pallor, flauus color, &c. Et huiuſmodi corpus, cui neutrum contrariorum ineſt, ab Ariſtotele μέσον, id eſt, medium vocatur.

Medium itaque in contrariis eſt, ſubiectum ad ipſa ſuſcipienda aptum, de quo tamen neutrum verè poteſt affirmari: cuiuſmodi medium eſt paries ruber inter albedinem & nigredinem. Hinc planum eſt, non ob hoc contraria dici habere medium, quòd omnia formam habeant mediam. Licet enim id in multis cernatur, vt in extremis vitiis & pleriſque qualitatibus tertiæ ſpeciei, non tamen omnibus id contingit; quod facilè oſtendi poteſt: neque enim inter iuſtitiam & iniuſtitiam, quæ contraria ſunt, medium habentia, vlla eſt interiecta forma.

Recita definitionem priuantium.

COL. *Priuantia ſunt oppoſita, quæ in eodem ſubiecto aliquo verſantur tempore à natura definito, eoq; ordine, qui viciſſim retrò commeare non poteſt.*

LOV. Priuantia ſunt, quæ verſantur circa quippiam idem, tempore à natura definito, ſic vt commutatio fieri non poſſit.

Pro quibus ſumitur huius definitionis definitum?

Definitum priuantia (quemadmodum habitus & priuatio, quæ

 ſimul

ſimul ſumpta idem quod definitum valent) capitur pro illis, quæ propriè & peculiari quodam modo talia ſunt, hoc eſt, quæ ſic ſe habent, vt ex habitu fieri queat priuatio, non autem contrà: Eiuſmodi autem ſunt, quorum alterum eſt priuatio tollens naturalem aliquam vim: vt viſus & cæcitas ſunt hoc loco Priuantia, quia ſunt oppoſita, quæ verſantur circa quippiam idem, puta circa oculum, ſic vt mutua commeatio fieri non poſſit.

Explica latiùs & clariùs iam recitatam definitionem.

Priuãtia ſunt oppoſita, quæ verſantur circa quoduis idē numero ſubiectum, tali ordine, vt ab vno procedatur ad aliud, non contrà; idque tempore à natura conſtituto, & niſi alterum inſit à natura.

Cur ponitur in definitione iſta pars (tempore à natura definito?)

Ponitur ad declarandum non ſemper ſubiecto ad priuãtia ſuſcipienda apto alterum ineſſe: catulo enim ante nonum diem neque ineſt viſus, neque cæcitas.

Cur iſta pars ponitur (niſi alterum inſit à natura?)

Iſta pars (niſi alterum inſit à natura) neceſſariò additur: Nam tactus & priuatio tactus circa nullum idem verſantur, quia tactus ineſt omni animali ac ſemper; eiúſque naturę ita inſitus eſt, vt nullum priuationi ſibi reſpondenti in eodem ſubiecto locum relinquat: & proinde non eſt hîc viciſſitudo habitus & priuationis.

Quid eſt verſari circa quoduis idem numero ſubiectum?

Eſt tali vinculo priuantia inter ſe connexa eſſe, vt de nullo poſſit dici vnum, de quo eodē numero non ſit reliquum dici aptum. Sic viſus nulli ineſſe poteſt, quod non idem ad ſuſcipiendam cæcitatem ſit idoneum.

Declara aliquid excludi per iſtam partē, quæ verſantur circa quoduis idem numero ſubiectum, quod per reliquas partes non excluditur.

Non verſantur circa quoduis idem quædã contradicentia, quibus definitionis reliquæ partes conuenire videntur: album enim & non album ſi referantur ad cygnum, habent fieri circa ipſum ordine in quo non eſt regreſſus, tēpore à natura definito: nam poſteaquàm conſtituto à natura tēpore, albus eſt cygnus, nunquã erit non albus; ſed non habent fieri circa quoduis idem; nam non album dicitur de Deo, de angelis, & multis aliis, de quibus albũ dici nequit.

Recita definitionem contradicentium.

COL. *Contradicentia ſunt, in quibus nihil, quod verè medium ſit, reperiri poteſt.*

LOV. Contradicentia ſunt, quorum per ſe medium nullum eſt.

Hoc eſt, Contradicentia ſunt, vna eadémque vox ſemel affirmata & ſemel negata, quæ ſic expreſſa tam latè extenditur, vt nihil ſit in

ſit in rerum natura, de quo altera eius pars non verè dicatur; & ita diſſident eius partes, vt nulli eidem rei ſingulari tribui queant. Cuiuſmodi voces ſunt, homo, & non homo; item, currens & non currens: Quicquid enim in rerum natura exiſtit, vel homo eſt, vel non homo. Similiter, Quicquid in rerum natura eſt, vel currens, vel non currens verè dicitur; atque neque homo & non homo, neque currens & non currens, eidem rei ſingulari, propter ſuam oppoſitionem, tribui queunt.

Quid hoc loco dicitur medium?

Medium hoc loco dicitur, res ſingularis exiſtens, de qua duo aliqua verè affirmantur vel negantur: vt inter album & dulce, medium eſt hoc lac, & hoc fel: quorum iſtud quidem medium negationis, illud verò appellatur medium affirmationis.

Explica latiùs, in quibus oppoſitis inueniatur medium, & in quibus non.

Omnibus oppoſitis commune eſt, non habere medium affirmationis, ſaltem comparatione eiuſdem, eadémque ratione; ſed ſolis contradicentibus proprium eſt, ſecundùm ſe nullum omnino nec affirmationis, nec negationis pati medium: nam aliquid eſt, quod neque album eſt neque nigrum: aliquid etiam quod neque ſanum ſit, neque ægrum. Non enim dicuntur contraria quædam medio carere, quia nullum penitus medium habent; ſed quia nullum medium negationis, quòd alterutrius ipſorum ſit capax, habere comperientur.

Similiter quippiã inuenias, quod nec pater ſit nec filius, nec cęcum nec viſu præditum: Sed nihil prorſus exiſtit, quod neque currat neq; non currat; aut quod neq; ſit homo neq; non homo; & ita de cæteris contradicentibus, ſiue verbo, ſiue nomine exprimantur.

Cur adijcitur definitioni iſta particula [per ſe?]

Particulam [per ſe] adiectã volunt, vt excludatur, rationis particeps & non homo: ſubſtantia & accidens, creator & creatura, aliáq. eius generis, quæ aut oppoſita non ſunt, ſed diſparata tantùm; aut ſi ſint oppoſita, quòd non habeant medium, non contingit illis per ſe, hoc eſt, ratione ſuæ oppoſitionis, ſed alia peculiari ratione.

DE PROPRIETATIBVS CONTRARIORVM.

Cur potius contrariorum, quàm aliorum oppoſitorum proprietates commemorantur ab Ariſtotele?

Inter quadruplicia oppoſita prius enumerata, frequentiſſimus eſt vſus contrariorum: ideo Ariſtoteles eorum tradit proprietates ſeu conditiones, vt magis innoteſcant.

Quot ſunt proprietates contrariorum ſecundùm Ariſtotelis doctrinam? Quinque.

Recita primam proprietatem.

Prima proprietas duas habet partes, quarum ista est prior.

Ἐναντίον δέ ἐστιν, ἀγαθῷ μὲν ἐξ ἀνάγκης κακόν.

PER. Bono autem malum aduersum est necessariò.

COL. *Bono malum contrarium est necessariò.*

ARG. Malum bono necessariò contrarium est.

Cuius sensus est: Necessariò si alicui bono quippiam cõtrarium fuerit, illud erit malum. Vel (vt apertiùs dicatur) quicquid contrarium est bono, illud est malum: vt, temperantia bona est, & naturæ conueniens; intemperantiam igitur, quæ illi contraria est, malam esse & à natura alienam, necessarium est.

Non tamen omni bono aliquid est contrarium: vt visus & visio ad bonum oculi eiúsque perfectionem spectant; quibus tamen nihil est contrarium. Intellectus quoque & intelligibiles species, & intelligẽdi actus, bona quędam sunt animi, nullum penitus contrarium habẽtia; idq. in pluribus aliis licet reperire. Non igitur omni bono aliquod est contrarium malum, neque id significant proprietatis verba; sed omne id, quod bono cõtrariũ fuerit, esse de genere malorum. Et quemadmodum non omni bono aliquid est contrarium, sic nec omne malum contrarium habet. Priuationes enim bonorum malæ sunt, quibus tamen nihil opponitur contrariè.

Altera verò pars est:

Κακῷ δὲ, ὁτὲ μὲν ἀγαθόν ἐστιν ἐναντίον, ὁτὲ καὶ κακόν.

PER. Malo verò aliàs bonum, aliàs malum aduersum est.

COL. *Malo aliàs bonum, aliàs malum contrarium est.*

ARG. Malo interdum bonum, interdum malum contrarium est.

Hoc est: Non omne id quod malo est contrarium, est bonum; sed eidem malo aliquando contrarium est vnum, quod bonum est, & alterum quod est malum: vt, timiditati cõtrariè opponitur non solùm fortitudo, sed etiam temeritas: auaritiæ non solùm liberalitas, sed & prodigalitas contraria est.

Recita secundam proprietatem.

Ἔτι τῶν ἐναντίων οὐκ ἀναγκαῖον ἂν θάτερον ᾖ, καὶ τὸ λοιπὸν εἶναι.

PER. Deinde aduersorum si alterum sit in rerum natura, non est necesse esse alterum.

COL. *Contrariorum si alterum sit in rerum natura, non est necesse esse alterum.*

ARG. Non necessarium est, si contrariorum alterum est, & reliquum esse.

Hoc est: Non est necessariũ, si vna qualitas contraria sit, alteram esse: Nam si omnes sint sani, sanitas quidem erit, morbus verò non

erit.

erit. Similiter, ſi omnia ſint alba, albedo quidem erit, non autē nigredo. *Quorſum conducit huius proprietatis cognitio?*

Diſtinguit hæc proprietas ea, quæ denominantur contraria: cuiuſmodi ſunt ſanitas & ægritudo, albedo & nigredo: ab oppoſitis relatis: vt ſunt pater & filius, dominus & ſeruus; quæ ſimul eſſe natura, dictum eſt prius.

Recita tertiam proprietatem.

Μὴ ἐνδέχεται δὲ ἅμα ἀμφότερα τῷ αὐτῷ ὑπάρχειν.

PER. Non poſſunt autem ſimul ambo eidem ineſſe.

COL. *Non poſſunt contraria ſimul ambo eidem ineſſe.*

ARG. Fieri non poteſt, vt ambo ſimul eidem inſint.

Hoc eſt, Fieri non poteſt, vt duo contraria de eadem re ſingulari ſimul verè affirmentur: Nam ſi Pantaleon eſt ſanus, vt ſimul langueat, fieri non poteſt.

An hæc proprietas ſolis conuenit contrariis?

Nequaquam: Nam illis eſt cum reliquis omnibus oppoſitorum generibus communis.

Recita quartam contrariorum proprietatem.

Δῆλον δὲ, ὅτι καὶ περὶ τὸ αὐτὸ εἴδει, ἢ γένει πέφυκε γίνεσθαι τὰ ἐναντία.

PER. Atque etiam illud perſpicuum eſt, in iis, quæ ſunt eiuſdem ſpeciei vel generis, exiſtere ſolere contraria ea, quæ aduerſa diximus.

COL. *Cōtraria in iis, quæ ſunt eiuſdem aut ſpeciei, aut generis, ſolent exiſtere.*

ARG. Patet etiam & circa idem aut ſpecie aut genere contraria fieri ſolere.

Hoc eſt, Omnia contraria aut tantū verſantur in ſubiectis vnius eiuſdémque ſpeciei, aut tantùm in iis ſubiectis, quæ eidem generi ſubiiciuntur. *Quid eſt fieri circa idem ſpecie?*

Fieri circa idem ſpecie, eſt vnius tantummodo ſpeciei ſubiectis poſſe inhærere. Subiectis, inquam, eiuſdem ordinis, hoc eſt, proximis, aut ſaltem æquè propinquis. Sic moralis iuſtitia & iniuſtitia in hominibus duntaxat inhærere comperiuntur, qui omnes eiuſdem ſunt ſpeciei.

Quid eſt fieri circa idem genere?

Fieri circa idem genere, eſt poſſe inhærere ſubiectis non tātùm vnius ſpeciei infimæ, ſed etiam diuerſarum ſpecierum, ſub vno eodémque genere contentarum: conferendo rurſus ſubiecta, proxima cum proximis, aut remota cum aliis æquè remotis. Vnde accidit eadem contraria ſub vtroque membro contineri cum diuerſis ſubiectis comparata. Nam albedo & nigredo habēt fieri circa idem ſpecie; ſi referantur ad proxima ſubiecta, quæ ſunt ſuperficies: Omnes namque ſuperficies eiuſdem ſunt ſpeciei. Si verò ad vltima

ma ſubiecta referantur, fieri habent circa eadem genere: nam circa corpora, quæ in categoria ſubſtantiæ collocantur: omnis enim color proximè in ſuperficie ſubiicitur, huius verò interuentu in corpore ad ſubſtantiæ categoriam pertinente, cuius varias eſſe ſpecies ex categoria ſubſtantiæ palam eſt.

Cur omiſit Ariſtoteles tertiã partem, videlicet, aut circa idẽ numero?

Rectè Ariſtoteles omiſit iſtam tertiã partem; nam nulla contraria vni ſingulari ſubiecto, quod idem numero dicitur, ſunt addicta.

Recita quintam contrariorum proprietatem.

Ἀνάγκη δὲ πάντα τὰ ἐναντία ἢ ἐν τῷ αὐτῷ γένει εἶναι, ἢ ἐν τοῖς ἐναντίοις γένεσιν, ἢ αὐτὰ γένη εἶναι.

P E R. Poſtremò omnia contraria, quæ diximus aduerſa, vel in eodem genere, vel in contrariis generibus ſita ſunt, vel ipſa genera ſunt neceſſariò.

C O L. *Omnia contraria vel in eodem genere, vel in contrariis generibus ſita ſunt, vel ipſa ſunt genera neceſſariò.*

A R G. Cõtraria inſuper omnia aut eodẽ in genere, aut cõtrariis in generibus eſſe, vel ipſa genera eſſe neceſſe eſt.

Vt, Album & nigrum in eodem genere ſunt, vtpote colore: iuſtitia verò & iniuſtitia ſub contrariis generibus, nempe virtute & vitio. At bonum & malum (ſecundùm quorundam veterum opinionem, qui ea ſtatuebant ſumma genera) non ſunt in genere, ſed aliquorum ipſa ſunt genera.

Explica latiùs diſtinctionem membrorum iſtius proprietatis.

Membra iſtius proprietatis, ſi tantùm ratione diſtinguantur, omnia vera ſunt, eorumque diſtinctio in promptu eſt. Sin verò re ipſa diſtinguere velis, vt ex Ariſtotelis declaratione videtur faciendum, vltimum accipiendum erit ſecundùm receptam Ariſtotelis tempore Pythagoricorum ſententiam, qui tantùm ponebant duas rerum ſeries, vnam bonorum, alteram malorum; in quibus ſumma genera erant bonum & malum. Dicentur autem ea eſſe in eodem genere, quæ eidem generi proximè ſubiiciuntur. Ea verò in contrariis generibus, quæ contrariis generibus proximè ſubiiciuntur. Ad quorum priorem ordinem naturalia; ad poſteriorem verò moralia contraria referre ſolent.

Quis eſt vſus oppoſitorum?

Prodeſt oppoſitorum cognitio atque diſtinctio, vt rectiùs intelligantur ea loca tractatus categoriarum, in quibus contrariorum mentio eſt facta: cuiuſmodi eſt iſte: Quantitati nihil, qualitati verò aliquid contrarium eſſe. qui locus vt veritatem habeat, de cõtrariis propriè ſumptis, cuiuſmodi nunc definita ſunt, accipi debet: non de contrariis impropriè & latè ſumptis: quomodo contrariorum nomen vſurpauit Ariſtoteles, cùm dixit in Phyſicis (vt habet vulgata verſio) in omni genere quandam eſſe primam contrarietatem.

Va-

Valet etiam oppositorum cognitio ad Topica rectiùs intelligenda: nam inter locos dialecticos oppositum, omnésque eius formæ recensentur.

DE MODIS PRIORIS.

Quot sunt modi prioris?

SIGNIFICATIONES seu modi Prioris sunt quinque, quatuor quidem, quos ante Aristotelem alij tradidêre, quintus verò quem ipse Aristoteles adiecit.

Recita primum modum prioris.

Πρῶτον καὶ κυριώτατον, λέγεται ἕτερον ἑτέρου πρότερον κατὰ τὸν χρόνον.

PER. Primum genus (s. prioris) & aptissimum tempore.

COL. *Primum genus est, & aptißimum tempore.*

ARG. Primò & propriissimè dicitur prius tempore.

Sic Socrates tempore prior fuit Aristotele.

Recita secundum modum Prioris.

Δεύτερον δὲ τὸ μὴ ἀντιστρέφον κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν.

PER. Alterum quod non vicissim consequens est, cùm rei status exquiritur.

COL. *Secundò prius dicitur, à quo non retrò commeat consecutio, cùm rei status exquiritur.*

ARG. Secundò, id quod non conuertitur essendi consequentia.

Vt, Vnum prius est duobus. Existentibus enim duobus, consequens est vnum esse, & non contrà.

Quid est essendi consequentia?

In qua quòd vnum existat, alterum quoque existere infertur: vt cùm dico, Duo homines sunt, ergo vnus homo est. Item, homo est, ergo animal est. Et hæ cōsecutiones non sunt reciprocæ, neque vicissim cōmeant: quia tametsi sequatur, homo est, igitur animal est; non tamen è diuerso concludere licet, si animal est, ideo hominem esse. Similiter rectè sequitur, duo homines sunt, igitur vnus homo est; non autem è diuerso, vnus homo est, igitur duo homines sunt.

Quæ dicuntur consequentiæ reciprocæ?

In quibus sicut ex antecedente consequens, sic ex consequente antecedens sequitur: vt, Pater est, ergo filius est: & è diuerso, filius est, ergo pater est. Sic, numerus est, ergo binarius est: & vice versa, binarius est, ergo numerus est.

Recita tertium modum Prioris.

Τρίτον δὲ καὶ κατά τινα τάξιν πρότερον λέγεται.

PER. Tertiò, quodam ordine prius appellatur.

COL. *Tertiò, prius quodam ordine appellatur.*

ARG. Tertio modo, ordine quodam dicitur prius.

Vt in Grammatica, elementa priora sunt syllabis: in Rhetorica, exordium prius est narratione.

Recita quartum modum Prioris.

Ἔτι παρὰ τὰ εἰρημένα, τὸ βέλτιον καὶ τιμιώτερον, πρότερον τῇ φύσει δοκεῖ.

PER. Extra ea etiam quæ enumerara sunt genera, quod melius est, & in maiore pretio, id prius naturæ ordine videtur.

COL. *Quarto prius dicitur, quod melius est, & maiore pretio.*

ARG. Præterea id quod est præstabilius honorabiliúsue, prius natura esse videtur.

Hoc est: Id prius altero est, quod alteri dignitate antecellit: Sic Imperator rege prior est, Rex duce, Dux milite, Consul senatore, Homo muto animante.

Recita quintum modum Prioris.

Δόξειε δ' ἂν καὶ παρὰ τοὺς εἰρημένους, ἕτερος εἶναι προτέρου τρόπος· τῶν γὰρ ἀντιστρεφόντων κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν, τὸ αἴτιον ὁπωσοῦν θατέρῳ τοῦ εἶναι, πρότερον εἰκότως τῇ φύσει λέγοιτ' ἄν.

PER. Est etiam prætereà aliud eius genus. Eorum enim, quæ vicissim retrò commeant in argumentatione de statu rei tractanda, quod causa est quomodocunque, cur sit alterum, id rectè prius naturæ ordine dicitur.

COL. *Eorum quæ vicißim retro commeant in argumentatione existendi, id prius esse dicitur, quod caussa est quomodocunque, cur sit alterum.*

ARG. Videbitur autem & vltra dictos alius quidam esse prioris modus; eorum enim, quæ essendi consequentia conuertuntur, alterum quod est causa quouis modo vt alterum sit, prius natura non incongruè dici potest.

Vt, Lux lumine est prior: Nam si lux sit, lumen quoque esse consequitur: & vice versa, Si lumen sit, lucem esse necessarium est. Lux autem luminis est causa, vt in Physicis docetur.

Quot sunt modi Posterioris?

His quinque modis Prioris, totidem respondent modi Posterioris, secundùm communem dialecticæ regulam, quæ habet, Tot modis dici vnum oppositorum, quot modis dicitur reliquum.

Fieri ne potest, vt idem prius sit atque posterius respectu eiusdem?

Dubium non est, quin aliquid possit esse prius altero primo modo, & eodem posterius quarto modo. Hominibus enim natu grandioribus & dignitate inferioribus priores & posteriores sunt iuniores qui illos dignitate superant, & ab iis ætate superantur.

Recita versiculos, quibus ad memoriam iuuandam modorum prioris ordo comprehensus est.

Tempore, natura, priùs ordine, dic & honore;
Et causà effectis dicitur esse prior.

Quis est vsus modorum prioris?

Eò potissimum referuntur isti prioris modi, vt rectiùs intelligamus id quod dictum est, opposita relata esse simul natura; quando quidẽ ea, quæ priora seu posteriora sunt, simul esse nequeunt, & relatum vnum altero non est prius nisi quarto modo, qui planè improprius est, & omnium modorum, teste Aristotele, alienissimus.

DE MODIS SIMVL.

Quot enumerantur apud Aristotelem modi seu significationes Simul?

Tres.

Recita primum modum Simul secundùm Aristotelis doctrinam.

Ἅμα δὲ λέγεται, ἁπλῶς μὲν καὶ κυριώτατα, ὧν ἡ γένεσις ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ.

PER. Simul autem sunt ea omnino & propriè, quorum ortus in eodem tempore est.

COL. *Omnino & propriè ea simul esse dicuntur, quorum ortus in eodem est tempore.*

ARG. Simul ea simpliciter propriissiméque dicuntur, quorum generatio est tempore in eodem.
Sic gemelli sunt simul.

Recita secundum modum Simul.

Φύσει δὲ ἅμα, ὅσα ἀντιστρέφει μὲν κατὰ τὴν τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν, μηδαμῶς δὲ αἴτιον θάτερον θατέρῳ τοῦ εἶναί ἐστιν.

PER. Naturâ verò simul sunt ea, quæ reciprocantur illa quidẽ in argumentatione, quæ ex statu rei ducitur, sed neutiquam alterum causa est ortus alteri.

COL. *Secundus modus est, quo simul esse dicuntur ea, quæ reciprocantur illa quidem in argumentatione, qua si vnum sit, alterum esse concluditur; sed neutiquam alterum causa est ortus alteri.*

ARG. Natura verò ea dicuntur simul, quæ essendi quidem consequentia cùm conuertantur, neutrum tamen, vt sit alterum, caussa est.

Vt, duplum & simplum simul sunt natura: Nam si duplum sit, simplum est; & si simplum sit, est duplum: nec vnum est causa, cur sit alterum. Similiter dominus & seruus secundùm hanc significationem sunt simul; nam & existendi consecutio inter illos reciprocatur, & neuter alterius est causa: necessariò enim sequitur, Si dominus est, seruum quoque esse: & è diuerso, Si seruus est, dominum esse. neque serui dominus, neque domini seruus est caussa.

Recita

Recita tertium modum Simul.

Καὶ τὰ ἐκ τοῦ αὐτοῦ γένους ἀντιδιῃρημένα ἀλλήλοις, ἅμα τῇ φύσει λέγεται.

PER. Atque etiam ea, quæ ex eodem genere quasi ex alterà parte diuidendo respondent, simul natura esse dicuntur.

COL. *Dicuntur etiam simul ea esse, quæ ex eodem genere, quasi ex altera parte diuidendo respondent.*

ARG. Præterea quæ eiusdem generis diuisione sibi opponuntur, simul esse dicuntur natura.

Hoc est: Dicuntur hoc modo esse simul, quæ eiusdem diuisionis sunt mēbra: vt, homo & bestia in diuisione animalis: Item, quantitas continua, & quantitas discreta, quæ tanquam distincta membra sumuntur in eadem diuisione, species quantitati proximè subiectas complectente.

Recense versiculos ad horum modorum memoriam iuuandam à Dialecticis olim excogitatos.

Tempore dico simul, quorum generatio nunc est;
Quæ conuertuntur, dicimus esse simul.
Súntque simul species genus idem distribuentes.

Possentne modi simul in minorem numerum contrahi?

Possent: tres enim iam commemorati modi rectè ad duos reuocantur, hoc pacto:

Simul
- Tempore
- Natura
  - Inter quæ reciprocatur existendi consecutió, & neutrum alterius est caussa.
  - Duę species, in quas gen⁹ aliquod distribuitur.

Quis est vsus modorum simul?

Conferunt hi modi simul ad ea, quę priùs dicta sunt, perfectiùs cognoscenda. Tertius quidem ad omnē diuisionem generis in suas species sub se proximè contentas. Secundus, ad secundam proprietatem Ad aliquid, seu Relatorum, (hîc enim explicatur quæ propriè sint simul natura.) Primus verò ad cognoscendum, quòd ea, quæ sunt diuersa, non ita repugnant, quin possint simul esse tempore, siue eiusdem sint categoriæ, siue diuersarum.

DE MOTVS GENERIBVS.

OB id (vt arbitrantur quidam, non absurdè) agit Aristoteles hoc loco de motu, vt indicet nullius ex suprà commemoratis summis generibus ipsum esse speciem: quanquam non desunt, qui ad actionis passionísque ordinē verba & nomina verbalia motus significantia pertinere putent. quod quàm sit doctrinæ Aristotelicæ consentaneum, relinquo aliis discutiendum: nam curiosa dę eiusmodi argutiis disputatio non est præsentis instituti.

Quot

Quot ſunt motuum ſpecies?

Κινήσεώς ἐστιν εἴδη ἕξ· { γένεσις, φθορά, αὔξησις, μείωσις, ἀλλοίωσις, καὶ ἡ κατὰ τόπον μεταβολή.

C o l. *Motus ſex ſunt genera:* { *Ortus, Interitus, Acceſſio, Deceſſio, Commutatio, & Loci mutatio.*

A r g. Motus ſex ſpecies ſunt: { Generatio, Corruptio, Accretio, Decretio, Alteratio, Ea mutatio quæ loco accõmodatur.

Quid eſt generatio?

Eſt motus à non eſſe ad eſſe.

Quid eſt corruptio?

Eſt motus ab eſſe ad non eſſe.

Expone quid ſit accretio & decretio.

Accretio, eſt motus, quo quantitas fit maior.
Decretio, eſt motus, quo quantitas fit minor.

Quid eſt alteratio?

Eſt motus, quo quippiam nouam acquirit qualitatem: vt, Calfactio, refrigeratio, dealbatio.

Quid eſt loci mutatio?

Loci mutatio, eſt motus, quo quippiam ex vno loco in alium transfertur.

Quorſum prodeſt iſta motuum diſtributio?

Eò prodeſt in primis, vt motuum varietate cognita, rectiùs perfectiúſque intelligatur is locus in tractatu categoriæ ſubſtantiæ, vbi dicit Ariſtoteles, Subſtantiam ſui mutatione ad contraria ſuſcipienda aptam eſſe: quę quidem mutatio, alteratio eſt, quinta motus ſpecies. Præterea etiam hac breui & plana motuum expoſitione, via munitur ad Phyſicam diſciplinam, in qua fuſiſſimè motuum natura & propria ratio explicatur.

DE MODIS HABENDI.

Verbvm Habere, in omnibus linguis latè vagatur, ita vt variæ res atque multiplices non modò Latinè aut Græcè, verumetiam in cuiuſuis alterius generis ſermone haberi dicātur; veluti membra corporis, res contentas, attributa, veſtes, ornamenta,

vxores,

vxores, maritos, secundùm vulgatam &receptam loquendi consuetudinem, haberi dicimus.

Quotuplices igitur res ab Aristotele haberi dicuntur?

Octuplices: videlicet,
- *Qualitas:* vt scientia & virtutes.
- *Quantitas:* vt magnitudo septem pedum.
- *Ea quæ circa corpus sunt:* vt tunica, vel gladius.
- *Aliquid in corporis parte:* vt in manu annulus aureus.
- *Pars:* vt pes, vel manus.
- *Contentum:* vt, modius grana tritici, aut lagena vinum habet.
- *Res possessa:* vt domus, vel ager.
- *Vxor aut vir.*

Sed hic modus omnium maximè improprius videtur Aristoteli: nam qui hoc modo habet, etiam habetur; quod aliis modis non contingit.

Recita versiculos ordine continentes varias illas res quas Aristoteles haberi dicit.

Affectum, quantum, vestitum dic velut aurum,
Membrum, contentum, possessio, vir mulierem.

Quæ est vtilitas istius rerum quæ haberi dicuntur expositionis?

Prodest distinctio modorum τοῦ ἔχειν, seu habendi, ad categoriam habitus, aliásque perfectiùs intelligendas: nam tertius & quartus modus ad habitus categoriam pertinent; ab huius enim categoriæ relatione dicimur habere, tum ea quæ circa corpus existunt, vt vestem vel gladium; tum ea quæ in corporis parte sunt, vt in digito annulum.

Ad quam categoriam referuntur reliqua habendi genera?

Reliqua habendi genera alius aliò, plerique εἰς τὴν κατηγορίαν τῶ πρός τι, seu ad aliquid referunt; alij contra disputant; sed fugienda est otiosa subtilitas. Quare supersedendum videtur anxia inquisitione, vtrùm in eandem aliquam communem rationem omnes habendi significationes incidant, nec ne. & si non incidant, ad quas categoriarum classes singuli pertineant modi. Satis sit tertium & quartum citra controuersiam ad eandem categoriam (vti iam dictum est) pertinere.

OMNIVM,

OMNIVM, QVAE IN CATEGORIIS HACTENVS tradita sunt (ad iuuandam puerorum memoriam) breuis comprehensio.

In Categoriarum libro ab Aristotele tractantur

- Antecedentia categorias
  - Definitio
    - Aequiuocorũ
    - Vniuocorum
    - Denominatiuorum.
    - Hinc discitur vocũ simplicium varietas & triplex prædicatio,
      - Aequiuoca à disciplinis reiiciẽda,
      - Vniuoca, Denominatiua: Philosophicæ.
  - Diuisio
    - Vocũ
    - Rerũ
    - Hinc noscitur à categoriis arcendas esse orationes: Item quæ in eadem, quæ in diuersis sint categoriis, &c.
  - Regula
    - Quando alterum, &c.
    - Diuersorum gen. &c.
    - Hæ docent categorias non debere permisceri, & quæ sit rerũ eiusdem categoriæ inter se cognatio.
- Categoriæ quæ generatim diuiduntur in
  - Substantiam: Quæ in primã & secũdã diuisa, sex proprietatibus explicatur, ostenso vsu: vt in sequentibus quoq; fit.
  - Accidens
    - Absolutum
      - Diuisionis capax: vt est Quãtitas, quę bipartitò diuisa, tribus proprietatibus explicatur.
      - Diuisionis expers: vt est Qualitas, quæ species 4. proprietates tres habet cum vsu.
    - Relatum: Gręcè τὸ πρός τι, vulgo Ad aliquid. Quod Aristoteles duabus definitionib⁹, cõmunitatibus duabus, & totidẽ proprietatibus explicat. Sub relatis reliquas sex categorias (quas breuissimẽ Aristoteles perstrinxit) cõprehẽdere licet.
- Sequentia categorias
  - Opposita
    - Relata
    - Cõtraria
      - Carentia medio
      - Habẽtia medium.
    - Priuãtia
    - Contradicentia.
    - quæ quinq; proprietatibus explicantur. Cognita oppositorũ natura, quædã proprietates Substantię, Quantitatis, Qualitatis, &c. melius intelliguntur.
  - Prius, Simul
    - Tẽpore, Natura, Ordine, Dignitate, Caussa.
      - Horũ vsus est ad 2. proprietatẽ relatorũ pleniùs intelligendã, tum etiam, ad declarandã harũ vocũ multiplicẽ acceptionem.
    - Tempore
    - Natura: quæ reciprocantur, & alterũ nõ est alterius caussa, quæ idem genus diuidunt.
  - Motus, cuius explicatis 5. speciebus, intelligitur substantiã sui mutatione, hoc est alteratione, recipere cõtraria.
  - Habere, cuius explicatis 8. modis, noscitur 3. & 4. ad categoriam habitus pertinere.

COMPENDIARIA DEFINIENDI DIVIDENDI'QVE RATIO.



TSI apud Aristotelem nihil hîc de definiendi diuidendíue ratione sequitur (nam categoriis liber περὶ ἑρμηνείας apud eum cõiunctus est) nos tamen opportunum duximus, hoc loco definiendi diuidendíque doctrinam breuiter perstringere, sine qua mutilata nobis videbatur simplicium verborum, in qua hactenus laboratum est, tractatio; eius præcipua vtilitate, quæ maxima est, silẽtio prætermissa. Neque enim vlla est Dialectices pars in qua magis laborandum esse arbitrantur omnes eruditi, quàm in singulis rebus atque vocibus rectè, pressè, atque apposité definiendis; propterea quòd error, quamlibet in definiendo exiguus, breui fit ingens, procedente disceptatione. Quod si rectè sit ab exordio definitum, omnia certiora existunt, clariora & intellectu faciliora.

Postquam verò quid vnumquodque sit, commoda definitione est declaratum; proximum est, vt quotuplex sit exquiratur, & apta partium enumeratione, quàm latè pateat, ostendatur. Id enim magnopere conducit, ad rei, quæ tractatur, naturã dilucidè patefaciendam: oratio quoque hac ratione efficitur copiosior, dum generis latè patentis singulę species seorsum & nominatim recẽseantur. Caussa igitur, quæ nos ad hunc locum de definiendi atque diuidendi ratione tractãdum impulit, breuiter exposita, ad rẽ ipsam veniamus, & primùm quæ ad definiendi rationem pertinent, declaremus.

Quid est Definitio?

Definitio, est nominis vel rei explicatio.

Quotuplex est Definitio?

Duplex est definitio, { Nominis, & Rei.

Quid est nominis Definitio?

Nominis definitio est qualiscũque vera nominis seu figuræ, seu phrasis interpretatio. pertinétque hoc definiendi genus ad grammatici potiùs quàm ad dialectici munus.

Sumit enim Dialecticus à Grammatica sermonem proprium, purum, perspicuum, sine ambiguitate aliquid certi significantem.

Itaque putandum non est, nominis definitione solam nominis simplicis aut compositi etymologicam interpretationem cõtineri; cuiusmodi ista est, Solstitium est Solis statio. Complectitur enim hoc definitionis genus etiam phrasis & figuratę locutionis in quauis lingua atque materia dilucidam & eruditam explanationem.

Quis est vsus definitionis nominis?

Ob hanc caussam præceperũt Dialectici de nominis definitione, vt ipsa disputatio, sublato obscuritatis vitio, magis esset perspicua: plurimum

plurimum namque lucis allaturum est disputationi, si propria earum linguarum, vnde orta est controuersia, phrasis explicetur; & si veluti inter se paciscantur disputaturi, quo sensu & simplicibus & coniunctis verbis vti debeant; alioquin sæpè accidit etiam in disputationibus susceptis de rebus grauissimis, vt alter alterum verbi amphibolia ludificet. Sic Pelagius, teste beato Augustino, nomen gratiæ ad varias significationes referendo, Catholicis imponere studebat. Rectè quoque Cicero Epicurum tanquam Protea aut Vertumnum insimulat, quòd vocabulo voluptatis, nunc hoc, nunc illud intelligens, sine distinctione vteretur.

Quid nominis vocabulo hoc loco accipiendum est?

Nominis vocabulo hoc loco accipienda sunt in primis quælibet vocabula tam simplicia quàm iuncta seu composita, deinde illæ phrases & figuratæ orationes, sine quarum expositione disputationis claritas constare non potest.

Quotuplex est definitio nominis?

Est multiplex definitio nominis: Decem autem genera recensent multi, quorum PRIMVM EST,

Quod Græci κατὰ λέξιν dicunt: quando videlicet vocem ignotam alia notiore interpretamur: vt, ἀρετὴ Græcè, Latinè est virtus: ἄνθρωπος est animal sursum spectans: Antichristus dicitur, qui est contra Christum: Amen Hebraicè, Græcè γένοιτο, vel πεπληρωμένον ἔστω, Latinè est, firmum sit, vel fiat. Quod quidem definitionum genus apud eos, qui Grammaticam docent, est frequentissimum.

SECVNDVM,

Κατὰ διαφορὰν, hoc est, per differentiam, quando quid inter vocabula intersit, declaratur: vt odium ab ira differt, quòd ira breuis sit, odium diuturnum. Item Tyrannus à Rege, quòd hic religioni studeat moribúsq. sincerioribus subditorum, & tranquillitati reip. Tyrannus verò non subditorum, sed suis vnius commodis studeat.

TERTIVM,

Tertium genus est metaphorica nominis definitio, Græcè κατὰ μεταφορὰν: Quãdo scilicet rei cuiuspiam proprietas vocabulo non propriè, sed figuratè sumpto, indicatur: vt, Homo bulla est; Adolescentia est flos ætatis: Senectus est occasus ætatis. Sic Cicero iustitiam definit: Iustitia, inquit, est domina & regina virtutũ. Huc referuntur quæcunque per μετωνυμίαν, μετάληψιν, συνεκδοχὴν, κατάχρησιν, & alios tropos describuntur. Locum autem maximè habet hoc definiendi genus in laudationibus, vituperationibus, & iis orationis partibus, quæ ad commouendos animos adhibentur.

QVARTVM,

Κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, hoc est, per ablationẽ contrarij, quando

videlicet per contrarium aut priuationem definimus: vt cæcitas eſt viſus priuatio. Item, Virtus eſt fuga vitiorum, canente Horatio:

Virtus eſt, vitium fugere; & ſapientia prima,
Stultitia caruiſſe. ——

Hoc genere definitionis vtimur, cùm notum eſt contrarium: vt, bonum eſt quod malum non eſt.

QVINTVM,

Κατὰ περίφρασιν, hoc eſt, per circumlocutionem, quæ aſciſcitur vel decoris, vel neceſſitatis cauſa: vt cùm dicimus, Euerſorem Carthaginis & Numantiæ, pro Scipione Africano: & cùm Horatius Troiani belli ſcriptorem dixit, Homerum ſignificare volens.

SEXTVM,

Ὡς ἐν τύπῳ, vel *ὡς τύπος*, hoc eſt, quæ craſſo modo, & rudi (vt aiunt) Minerua, exemplo videlicet aliquo producto vocabulum exponit. Eiuſmodi definitio eſt, ſi quæratur quid ſit animal, & reſpondeatur, vt homo. Nomen indè habet hæc definiendi ratio, quòd Græci, vbi hoc genere definitionum vtuntur, inſerere ſoleant clauſulam, *ὡς τύπῳ λαβεῖν, ἢ, ὡς τύπῳ εἰπεῖν.*

Vt Ariſtoteles in categoriis: *Ἔστι δὲ οὐσία μὲν, ὡς τύπῳ εἰπεῖν, οἷον ἄνθρωπος, ἵππος.*

Quod noſter interpres ſic vertit: Eſt autem ſubſtantia, vt figuraliter dicatur, homo, equus. Vbi mirum quàm ſe torqueant quidam, id genus definitionum ignorantes, qui in voce (figuraliter) ſe expedire non poſſunt. Vnde patet, huius definiendi generis cognitionem etiam ad Ariſtotelem faciliùs perfectiúſque intelligendum conducere.

SEPTIMVM,

Κατ' ἔνδειαν πλήρους ἐκ τοῦ ὁμογενοῦς, hoc eſt, per indigentiam pleni ex eodem genere: vt, Enthymema eſt Syllogiſmus imperfectus, in quo vel propoſitio, vel aſſumptio deſideratur. Item, quadrans eſt, cui dodrans deeſt, vt ſit as. Similiter, deunx eſt, cui deeſt vnica vncia, vt ſit quoque integer as. ſic enim definiri ſolent partes aſſis.

OCTAVVM,

Κατὰ ἔπαινον, hoc eſt, per laudem: quando laudamus aliquid, vel epitheto illuſtramus: vt, Lex eſt mens, & animus, & conſilium, & diſciplina ciuitatis.

Hiſtoria eſt teſtis tẽporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuntia vetuſtatis. Dialectica eſt ars artium, ſciẽtia ſcientiarum. Laudatio hæc videtur ridicula, ſed veriſſima eſt ſi rectè intelligatur. ſic autem intelligenda eſt: Dialectica eſt ars artium, & ſcientia ſcientiarum, hoc eſt, non dignitate antecedens, ſed vſus diffuſione; quippe cuius vtilitas ad omnes omnium ſcientiarum

varietates ſeſe extendit: affert enim Dialectica lumen ad cæteras diſciplinas perfectè intelligēdas, armáque ſuppeditat & ad earum veritatem fortiter propugnandam, & ad falſitatem, quæ in omni genere ſcientiarum diſcentibus inſidiatur, facilè repellendam.

Huc quoque referuntur deſcriptiones à vituperio ſumptæ: cuiuſmodi eſt iſta voluptatis apud Platonem deſcriptio: Voluptas eſt eſca malorum.

NONVM,

Κατ' ἀναλογίαν, hoc eſt, per proportionē: quando aliquid ſimilitudine ſeu proportione declaramus: vt, Homo eſt μικρόκοσμος, id eſt, paruus mundus: Mens eſt in homine, quod in mundo Deus: Sol eſt mundi oculus: Magiſtratus eſt lex loquens: Lex eſt anima ciuitatis: Caput eſt arx corporis. Cæterùm in hac definiendi forma ferè fit, vt totum cum toto, partes cum partibus conferantur, & ſingulis rerum ſimilium nomina tribuantur; veluti ſi quis ex partium corporis humani ſimilitudine ciuitatis partes deſcribere velit, Magiſtratum caput ciuitatis: Milites, humeros aut pectus: opifices, manus ciuitatis: otioſos locupletes (qui tametſi nihil facere videantur, tamen ſunt reip. ad eam pecunia, quando opus eſt, iuuandam, vtiles) ſtomachum, aut ventriculum ciuitatis, ei ἀναλογικῶς appellare licebit.

DECIMVM,

Κατ' ἐτυμολογίαν. Hoc definiendi genus apud Ariſtotelem σύμβολον, apud Ciceronem notatio, apud Quinctilianū originatio dicitur. Huius definiendi generis exempla ſunt, Focus, quòd omnia foueat, dictus eſt, ſecundùm Ouid. in Faſtis. Iuſtitium eſt iuris ſtatio. Hæreticus eſt falſi dogmatis religioni aduerſantis elector; nam αἵρεσις eſt ſecta & electio propriæ doctrinæ. Huiuſmodi Athenis quatuor erant, Academica, Peripatetica, Epicurea & Stoica, ex quibus aliæ promanarunt. Sic in Eccleſia, qui peculiaribus & falſis opinionibus pertinaciter adhærentes, catholicæ & orthodoxæ Eccleſiæ contemnunt auctoritatem, hæretici nominantur.

Quid eſt definitio rei?

Definitio rei, eſt oratio, quæ eſſentiam, aut cauſſas, aut partes, aut accidentia rei explicat: nam quod definitur, eſt quoddam velut complicatum, & inuolutum, quod ferè vna voce denotatur, & dicitur Græcè ὁριζόμενον, Latinè nunc Finitum, nunc Definitum: Oratio autem, quæ quid res ſit, explicat, Græcè ὁρισμὸς dicitur, Latinè Definitio.

Quot ſunt neceſſariò obſeruanda, vt definitio rei legitima ſit atque perfecta?

Tria recenſere ſolent, quæ in omni legitima & perfecta definitione obſeruari debent.

PRIMVM EST:

Ne definitio sit angustior definito.

Debet enim legitima definitio omnibus conuenire, quę sub definito continentur. Quare malæ sunt istæ definitiones: Homo est animal litteratum: bestia est animal quadrupes.

SECVNDVM:

Ne latiùs vagetur definitio quàm definitum.

Debet enim soli rei definiendæ conuenire. Quare vitiosa est ista definitio: Fortitudo est periculorum atque laborum contemptus, quippe qua piratę, fures & latrones fortitudine essent prędití, quocirca ad horũ in adeundis periculis nefariã audaciam excludẽdam, & definitionis iam cõmemoratæ vitium tollendum, ista vel similis particula illi esset addẽda, rectæ rationi, seu honestati cõsentaneus.

TERTIVM:

Vt sint verba definitionis propria, perspicua, & sine ambiguitate, rei naturam explicantia.

Ex quo consequitur, abesse debere à definitionibus ambigua, & è longinquo petita verba. Oportet enim semper definitionem esse notiorem quàm definitum.

Quartum addunt nonnulli, sed quod ex duobus prioribus intelligitur, videlicet istud:

Definitionem & definitum debere inter se reciprocari.

Tunc autẽ reciprocantur, quando verè vtrunque de altero vniuersè dicitur ad hunc modum: Omnis homo est animal rationis particeps: & item, Omne animal rationis particeps est homo.

Cur tam accuratè hoc loco de iis, quæ in definiendo seruanda sunt, præcipitur?

Licet de his conditionibus admonere puerile videatur, tamẽ non est prætermittendum. Sæpe enim inter definiendum etiã eruditissimos viros errare contingit. Notum est ex Laërtio in vita Diogenis, quid Platoni acciderit, qui cùm diligenter hominis definitionem reddere videretur, & definiret hominẽ animal bipes implume, Diogenes Cynicus gallum gallinaceum, cui dempserat plumas, in auditorium illius proiiciens, Ecce, inquit, hominem Platonicum.

Modus definiendi quis est?

Modus definiendi est, vt inuento genere, seu magis communi vocabulo, tot, loco verę differentiæ, vocabula congerantur, quot ad rei naturam declarandam terminãdámque sufficiant; ita vt eorum collectio rei definiendæ toti & soli cõueniat. Exempli causa, si quis ciuitatis definitionem contexere vellet, sic illi progrediendum foret: Ciuitas, est multitudo: adest genus. Sed nondum definitio perfecta est: si enim vaga sit multitudo, palàm est non esse ciuitatem.

Adstrin-

Adstringamus igitur arctiùs: Ciuitas est multitudo collecta. Sed nondum legitima est definitio: si enim decem aut centum fuerint, non erit ciuitas. Iterum arctiùs adstringamus: Ciuitas est multitudo collecta ad statum rerum suarum tuendum per se sufficiens. Sed necdum perfecta definitio est: vt sint enim quantumuis multi, sed diffideant animis, non consulant in cõmune, non vitę genere conueniant; non video quomodo ciuitas dicantur. Addamus itaque postremam clausulam, vitæ genere communiúmque legum vinculo coniuncta. iam collige à capite omnia, videbis definitionem secundum conditiones & leges præscriptas absolutam, hanc videlicet: Ciuitas est multitudo collecta, ad statum rerum suarum tuendum per se sufficiens, vitæ genere communiúmque legum vinculo coniuncta.

Ad similem modum res plurimæ definiri poterunt: sed sufficit viam ingeniosis & diligentibus demonstrasse.

Quot sunt formæ definitionis rei?

Sex:
- Essentialis, Οὐσιώδης.
- Caussalis, Αἰτιώδης.
- Per correlatiuum, πρός τι.
- Ex effectis & officiis.
- Collecta ex coaceruatione partium, Κατὰ μέρη.
- Collecta ex accidentium coaceruatione, Υπογραφή.

Cæteri plures modos recitant: nos multitudinem inanem, & memoriæ grauem, resecandam putauimus; alij enim modi ferè in istis includuntur.

Quid est οὐσιώδης definitio?

Οὐσιώδης seu essentialis definitio, est, quæ cõstat ex genere & vera differentia speciẽ efficiẽte: vt, Homo est animal rationis particeps.

Vocatur autem hoc genus definitionum essentiale, quòd in eo rei definiẽdæ essentia distinctè & particulatim explicetur: vt cùm Homo definitur, Animal rationis particeps. Similiter cũ definitur Virtus, habitus animi, operis boni promptitudinẽ afferens, vbi, habitus animi, genus est virtutis; differẽtia verò, afferens promptitudinẽ operis boni quæ à vitiis virtutem secernit; neque minus accidẽtia quàm substantiæ eiusmodi definitionibus explanari possunt.

Generaliter enim hîc nomine essentię vtimur pro rei natura, siue res sit in categoria substantiæ, siue in alia quauis. Hoc definiẽdi genus rarissimum est, longè alioqui illustrissimũ, idque contingit propter differentiarum inopiã, & essentiæ cuiusque rei abditam rationem: & tamen hæ vel solæ definitiones dici merentur. Reliquæ magis declarationes seu expositiones sunt, aut, vt vulgò in Scholis vocãtur, descriptiones; quanquã nolumus adeò anxiè descriptionẽ à definitione separari, cùm differentia frequentissimè cõfundatur.

Quid est Αἰτιώδης definitio?

Αἰτιώδης vulgò Caussalis definitio vocata, est oratio, quæ rei definiendæ vel omnes, vel saltem aliquas caussas, distinctè & nominatim complectitur. Estque affinis superiori: præsertim ex ea parte qua vel ex rei materia aut forma, vel ex vtraque conflatur: materia enim & forma, eius rei quæ ex ipsis constat, essentiam constituunt.

Quomodo disponi debent ea verba, ex quibus caussalis definitio cōstat?

VNO MODO,

Vt caussa in recto de suo effectu enuntietur: vt, cùm dicitur, Lunæ eclipsis est, directa interpositio terræ inter Solem & Lunam, in capite aut cauda Draconis positam.

ALTERO MODO,

Vt causa obliqui casus, inter prædicati partes inclusa, de suo effectu dicatur: vt Eclipsis est priuatio luminis lunaris ex interpositione terræ inter Solem & Lunam in capite aut cauda Draconis versantem, eueniens.

Quomodo diuiditur caussalis definitio?

Caussalis definitio, secundùm quatuor caussarum genera, quadrifariam est diuidenda.

Caussarum genera sunt { *Materia*, *Forma*, *Efficiens*, *Finis*.

Quid est materia?

Materia propriè est, ex qua aliquid fit: vt, Pannus est materia vestis; lana materia panni; ligna & lapides, materia domus.

Aliquando materia dicitur, circa quam res versatur, aut in qua res consistit: sic, color materia est, circa quam oculus versatur: paries autem est materia, in qua color consistit.

Quid est forma?

Forma est id, à quo res suum nomen & propriam peculiarémque sortitur naturam: vt est hominis animus, equi anima, & figura in rebus artificiosis.

Quid est efficiens caussa?

Caussa efficiens est, quæ in re efficienda operam ponit: vt, vestiarius, in veste conficienda; & pistor, in pane pinsendo.

Quid est finis?

Finis est id, cuius gratia fit aliquid: vt, corpora exercentur valetudinis gratia: Bellum fit publicæ pacis, & concordiæ caussa: Litterarum fines sunt, vt nostra vita instituatur sapienter: vt in promptu sit copia & facultas dicendi: vt animus reficiatur omni tempore, loco, & ætate; vt habet Cicero pro Archia poëta.

Ex hisce caussis aut singulis, aut pluribus, aut etiam omnibus fiunt definitiones, quas inopia commodioris vocabuli, caussales appellamus.

Profer exempla singulorum generum definitionis caussalis.

EX MATERIA.

Cereuisia, Græcè ζυθὸς, est potus ex aqua, hordeo, & lupulo confectus.

EX FORMA.

Homo, est animal ex anima rationis & cõsilij participe constans.

Animal, est corpus animatum ex anima sensu prædita constans. ad hunc modum illæ omnes definitiones pertinent, in quibus concretorum natura, abstractorum adminiculo declaratur: vt cùm definiuntur qualia per qualitatem, album per albedinem; & ita de reliquis: Sunt enim qualitas atque albedo formales caussæ albi & qualis, ipsis natura potiores atque notiores.

Hicque definiẽdi modus natura quidem notior est, nobis autem ignotior, qui crassiora & posteriora faciliùs cognoscimus.

EX EFFICIENTE.

Ira est (vt inquit Damascenus) efferuescentia sanguinis circa cor, ex euaporatione, exuscitationéve bilis nascens.

Dies, est latio Solis supra terram.

Nox, est latio Solis sub terra, &c.

EX FINE.

Domus, est ædificium ad prohibenda propulsandáque incommoda ea, quæ tum à ventis, tum ab imbribus, tum ab æstu & frigore hominibus euenire solent, extructum.

Homo, animal est ad perceptionẽ æternæ felicitatis destinatũ.

Pluribus ex caussis vel omnibus conflantur ista:

Homo, est animal ex corpore & animo cõstãs, à Deo creatum ad perpetuam felicitatem.

Ira est appetitus vĩdictę, ex ebullitione sanguinis circa cor nascẽs.

Est & hæc caussalis definitio apud Demosthenem ex pluribus caussis:

„ *Lex est Dei inuentum atque donum, decretum virorum sa-*
„ *pientum, correctio delictorum, consultò vel inconsultò com-*
„ *missorum, vrbis commune pactum, secundum quod omnibus*
„ *ciuibus conuenit viuere.*

Legis caussa efficiens.

Nam caussa efficiens legis, est (Deus) qui insculpsit rationi nostræ sententias certas de moribus, quas vocant ius naturæ, vnde leges omnes nascuntur. Proinde primùm ait (*Legem esse Dei inuentum atque donum.*) neque enim legis vim habere debet, si quid con-

ſtituitur, quod à naturali iure diſſentit: qualia ſunt, Patrem ſenem mactare, apud Triballos: Item, Ne vxor marito defuncto ſuperſtes ſit, apud pleroſque barbaros. Item illa Mileſiorum lex, Nemo noſtrum frugi eſto.

Legis materia in qua, & ſimul efficiens cauſſa.

Deinde in quo ſubiecto ſint leges, aut quibus inſcripſerit Deus, adiicit, cùm ait (*Decretum virorum ſapientum.*) Sunt igitur in hominibus prudentibus leges; horũmque decretum, cauſſa eſt efficiens imperans.

Efficientem verò cauſſam, quæ obſequens nominatur, indicant iſta verba (*Vrbis commune pactum:*) nam non ſtatim omnis ſententia de moribus lex eſt, ſed illa demum ſecundùm Demoſthenem, cui ſe populus adſtrinxit: neque enim ciuiles conſtitutiones vim auctoritatémve legum ſecũdùm Demoſthenis ſententiam habent, niſi ſint communi populi conſenſu comprobatæ.

Sunt autem ſuæ cuique gẽti leges & inſtituta viuendi: hinc prouerbium eſt, Νόμος καὶ χώρα.

Apud Athenienſes publicis deteſtabantur execrationibus eos, qui viatorem de via interrogantem fefelliſſent. præclara & honeſta lex fuit, ſed nobis non eſt lex, ſaltem iure ciuili ſancita; quia talis legis obligatione noſtra ciuitas ſeſe non obſtrinxit.

Apud Perſas capitalis fuit ingratitudo; apud nos non eſt capitalis; quia Magiſtratus noſtri non conſtituerunt certam pœnam aduerſus ingratos.

Finis legis.

Adiicit finem legis, qui eſt (*corrigi vel arceri delicta.*) hoc legis officium eſt, & verus vſus, coërcere quælibet delicta, vt cuiq. ſuum maneat, vt nemo lædatur, vt nocentes puniantur, vt innocentes defendantur & honorentur, ne quo modo hominum inter ſe ſocietatis & charitatis rumpatur vinculum.

Ad finem quoque pertinet, cùm dicitur (*Secundùm quam omnes viuere conuenit.*) Niſi enim legibus ex æquo teneantur omnes, & potentes, & illi qui propter exiguas opes iniuriis obnoxij ſunt, magni motus exiſtunt in rebus publicis: vt, Romæ bellum ciuile exarſit, ob id, quòd Iulius contra leges petebat conſulatum. Parem igitur & æqualem vim legum in omnes eſſe oportet.

Atqui hactenus de legis definitione, quæ apud Demoſthenem exſtat, idcirco verboſius egimus, quòd videremus iuris peritos quoque eam ſuis ſcriptis paſſim inſerere.

Quid eſt definitio πρός τι?

Eſt oratio, qua quid ſit vnum relatorum, per alterum ei oppoſitum declaratur: vt, Patronus eſt qui habet clientem; Diſcipulus, qui præceptorem: Pater, qui filium; Dominus, qui ſeruum.

Quid

Quid est ex effectu & officiis definitio?

Est oratio, quæ rei naturam, eius effecta & officia explicando, declarat.

Vt, Sol est auctor diurnæ lucis.

Luna, sidus est, cuius vi fluunt ac refluunt maria.

Hæmatites, lapis est, qui sanguinem sistit.

Smaragdus, lapis est viridis, impudicitiæ impatiens.

Iustitia, est virtus, tribuens vnicuique quod suum est.

Miles, est persona, auctoritate publica ad id munus delecta, vt à regione quam defendendam suscepit, hostem ingredi conantem vi & armis arceat, vel iam ingressum eiiciat atque propulset.

Huc referuntur omnes ferè omniũ virtutum ac vitiorum; item scientiarum ac artium definitiones.

Quid est definitio Κατὰ μέρη?

Κατὰ μέρη, hoc est, partitione seu partium enumeratione collecta definitio, est oratio cõtinens alicuius totius partes peculiares, vel omnes vel præcipuas, vel alicuius generis species: vt, Philosophia est, quæ præcepta tradit de naturæ obscuritate, de disserendi subtilitate, de vita atque moribus.

Domus est, quæ ex fundamento, parietibus, tectóque constat. Tales sunt & hæ: Pœna legalis est quæ vno ex istis octo modis, nempe aut damno, aut vinculis, aut verberibus, aut talione, aut ignominia, aut exilio, aut seruitute, aut morte, infligitur.

Mundus est cæli & elementorum cum spiritibus ac corporibus, quæ intra horum ambitum continentur, aggregatio.

Explica cur dixeris partes peculiares ad hoc definiendi genus esse assumendas.

Idcircò diximus peculiares partes esse assumendas, quòd illæ partes, quas res definienda cum alia re communes habet, non sint idoneæ ad eius definitionem conficiendam. Non enim rectè Dialectica ad hunc modum definiretur, Dialectica est ars inueniendi & iudicandi; quia Rhetoricæ quoque illæ partes adscribuntur. Sed rectè Grammatica definitur esse ars, constans ex Orthographia, Prosodia, Etymologia, & Syntaxi; quandoquidem eiusmodi partes propriæ sunt Grammaticæ.

Cur in superiori definitione adiectum est (vel præcipuas?)

Adiectum est (vel præcipuas) vt intelligatur in iis, quorum multæ sunt partes, non esse necessarium omnes enumerari, sed sufficere primarias recenseri: vt, si corpus humanũ definire libeat, suffecerit talis partium eius enumeratio: Corpus humanum est substantia ex capite sursum erecto, pectore, ventre, manibus atque pedibus constans. nam si omnes partes hîc enumerarentur, longior fieret oratio, quàm definitionis ratio patiatur.

Cur hæc pars posita est (vel alicuius generis species?)

Adiecta fuit hæc pars in explicatione definitionis Κατὰ μέρη, quia passim, cùm apud iuris peritos, tum apud philosophos morales, eiusmodi definitiones obuiæ sunt, in quibus genus nuda specierum enumeratione declaratur.

Possent ne ad aliud definiendi genus referri illæ definitiones, quæ ex partibus constantur?

Possunt huiusmodi definitiones, præsertim quæ integrales partes continent, referri ad eam speciem definitionis caussalis, quæ ex materia est. Nam partes integrales ad materiam Aristoteles reducendas censet.

Quid est Ὑπογραφή?

Ὑπογραφὴ, Latinè descriptio, est oratio, quæ attributorum seu accidentium collectione, rei alicuius naturam demõstrat, & veluti propriis quibusdam coloribus depictam ante oculos ponit.

Quod est proprium munus huius definitionis?

Proprium munus huius definitionis est (teste Rodolpho, cap. 5. libri primi) non, vt quid res sit indicet, sed vt qualis sit, velut inspiciendum ante oculos ponat.

ID'QVE VEL BREVITER.

Vt: Ignis, est elementum calidum & siccum, & leuitate cætera omnia vincens.

Achilles, est vir acer, inexorabilis, regibus infensus, liber, simplex, atque velox.

VEL VERBOSIVS.

Qualis est ista famæ apud Maronem descriptio:

„ Fama malum, quo non aliud velocius vllum,
„ Mobilitate viget, viresque acquirit eundo:
„ Parua metu primò, mox sese attollit in auras,
„ Ingreditúrque solo, & caput inter nubila condit.
„ Illam terra parens ira irritata Deorum
„ Extremam (vt perhibent) Cœo Enceladóque sororem
„ Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis.
„ Monstrum horrendum, ingens, cui quot sunt corpore plumæ,
„ Tot vigiles oculi subter, mirabile dictu,
„ Tot linguæ, totidem ora sonant, tot subrigit aures:
„ Nocte volat cæli medio, terræque per vmbram
„ Stridens, nec dulci declinat lumina somno:
„ Luce sedet custos, aut summi culmine tecti;
„ Turribus aut altis, & magnas territat vrbes:
„ Tam ficti prauique tenax, quàm nuntia veri.

Copiosa est hæc famæ descriptio, in qua prætermisso definiti genere, quod est sermo, tanquam satis noto (quod in aliis definitio-

nibus

nibus quoque frequenter fieri solet) Virgilius copiosissimè enumerat accidentia & proprietates, adhibita poëtarum more pictura, quibus disertissimè qualis sit fama describitur, cùm famam ita breuiter licuisset describere: Fama est sermo latè sparsus incerto auctore, non minus falsi, quàm veri nuntius.

Quo consilio tam prolixam in hunc locum adduxisti famæ descriptionem?

Non alio consilio, quàm vt iuuentus eam cum breuibus Dialecticorum definitionibus conferat, ne tam aridè eas ab auctoribus semper proponi putet: & vt videant hîc iuniores, quàm appositè ad artis dialecticæ normam summus poëta definiuerit, & quàm concinnè ad Rhetorici artificij præscriptionem, quod alioqui nudum & rude fuisset, ornarit.

Quis est vsus huius formulæ definiendi?

Multū hac definiendi formula vtimur in descriptionibus plantarum, animantium, gemmarum, elementorum, vrbium, populorum, regionum, montium, fluuiorum, fontium, & similium: item ad Indiuiduorum & personarum discrimina indicanda: vt, Mitionem à Demea secernunt accidentia. Inter Catonem & Iulium, ex figura, habitu corporis, voce, statu, gressu, ætate, & animi affectione aptissimè discrimen conficitur.

Sed hæc magis historicorum, oratorum ac poëtarum sunt, quàm philosophorum: quare satis de iis sit dictum.

MONITIO.

Definitionum formulas recensuimus varias, exemplis copiosè illustratas. Optimè autem consuluerint iuuentuti præceptores, si in quotidianis lectionibus plurima monstrent exēpla, & suos discipulos in iis imitandis diligenter exerceant, cùm doctè & appositè definire possit nemo, nisi eius rei vsum sibi quendam confirmauerit. Simulque de vtilitate eos commonefaciant; doceant in omni quæstione seu facilis sit, seu difficilis, cùm homines docendi sunt, fontem esse totius explicationis perspicuam & eruditam definitionem, in qua videlicet argumentorum omnis reliquæ disputationis semina conspiciantur.

Sicut enim actio in dicendo vna dominatur; adeò vt ipsi Demosthenes primas, secundas, postremò & tertias tribuerit; ita nos in accurata & subtili disputatione vnam definitionem maximè dominari, eique iure primas, secundas & tertias deberi existimamus.

Omnium,

Omnium, quæ de ratione definiendi hactenus tradita sunt, ad iuuandam puerorum memoriam, breuis comprehensio.

DEFINITIO

Nominis

Κατὰ λέξιν, Definitio ad verbum, Grammaticis vsitatissima: vt, ἀρετὴ, i. virtus: Amen, i. fiat, vel firmum fit.

Κατὰ διαφορὰν, Definitio per differentiam: vt, Ira breuis, odium inueteratum est.

Κατὰ μεταφορὰν, Definitio per tropū: vt, homo est bulla. sic Apostoli in sacris literis piscatores, sal terræ dicūtur.

Κατ' ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, Definitio per negationē contrarij: vt, Malum est, quod non est bonum.

Κατὰ περίφρασιν, Definitio per circumlocutionē: vt, Numātiæ & Carthaginis euersor, pro Scipione Africano.

Ὡς τύπος, Definitio per exemplum: vt, Substantia est, vt homo: differentia est, vt rationis particeps.

Κατ' ἔνδειαν πλήρους, Definitio per indigentiam pleni: Deunx est, cui deest vnica vncia, vt sit as.

Κατὰ ἔπαινον, Definitio à laude sumpta: vt, Dialectica est ars artium, scientia scientiarum.

Κατ' ἀναλογίαν, Definitio à proportione, vel similitudine: vt, Homo est μικρόκοσμος, minor mundus: Lex anima ciuitatis.

Κατ' ἐτυμολογίαν, Definitio ab expositione nominis sumpta: vt, Iustitiū est iuris statio. Focus dicitur, quòd omnia foueat.

Rei

Οὐσιώδης, Definitio essentialis: vt, Homo est animal rationis particeps.

Αἰτιώδης, Definitio caussalis ex

- Materia: vt, Cereuisia est potus ex aqua, hordeo & lupulo confectus.
- Forma: vt, Homo est animal, in quo consilij & rationis particeps animus præsidet.
- Efficiente: vt, Senatus consultum est, quod senatus iubet atque constituit.
- Fine: vt, Homo animal est ad perceptionem æterni boni destinatum.

Πρός τι, Definitio vnius relati per alterum ei oppositum: vt, Dominus est, qui habet seruum.

Ex effectis & officiis definitio: vt, Sol est auctor diurnæ lucis.

Κατὰ μέρη, Definitio, quæ fit partium vel specierū enumeratione: vt, Homo est, qui constat ex capite sursum erecto, brachiis, pectore, ventre, pedibus atq. manibus.

Ὑπογραφικὴ, Definitio, quæ fit accidētium coaceruatione: vt, Terra est elementum frigidum & siccum, maximáque præditum grauitate.

LEGES DEFINIENDI.

Definitio rei, debet perſpicuè definiti naturam explicare, & cum definito reciprocari. Cæterùm nominis definitio non rarò anguſtior eſt definito, & nonnumquam latiùs vagatur.

MODVS DEFINIENDI.

Inuento genere, ſeu latiùs patente vocabulo, oportet veram differentiam ſeu ſpecificam inquirere, aut tot veræ differentiæ loco vocabula congerere, quot ad rei definiendæ circumſcribendam & declarandam naturam ſufficere videantur. Quare definiendę rei in primis categoria inquiratur; qua inuenta, eò vſque deſcendendum eſt, donec genus proximum inueneris; hoc inuento, quæratur differentia; ea ſæpè formarum eiuſdem diuiſionis inter ſe facta collatione inuenietur. Verbi cauſſa: Cupis virtutem definire? Cogita eam qualitatem eſſe, deinde habitum: poſtea, habitum animi, quæ omnia etiam in vitium conueniunt. denique virtutis à vitio differentiam inquire, hæc autem eſt afferens promptitudinem operis boni, qua cum proximo virtutis genere coniuncta, aptè contexitur virtutis definitio, ad hunc modum: Virtus eſt animi habitus, operis boni promptitudinem afferens.

DE RATIONE DIVIDENDI.

ORDITVR Boëtius librum De diuiſione ab ipſius multiplici acceptione: quòd nomen (diuiſio) ſit homonymũ ſeu æquiuocum, cuius non eſt vna definitio, ſed plures. Poſſet tamen generali deſcriptione diuiſionum varietas comprehendi.

Quæ eſt igitur iſta generalis deſcriptio, omnem diuidendi ſpeciem complectens?

Diuiſio eſt vocabuli magis communis in minus communia diductio. Semper enim quod diuiditur, magis cõmune eſt; diuidentia verò membra minus communia.

Magis commune, inquam, { Aut prædicatione, / Aut continentia, / Aut ſignificatione.

Magis commune prędicatione eſt, quod cum altero cõparatum, de illo vniuersè enuntiari quidem verè poteſt, non autem eidem ſubiici vniuersè: vt eſt animal cum homine comparatum.

Magis commune cõtinentia eſt, quod cum altero comparatum, plures res in ſe coaceruatas habere inuenitur quàm alterum: vt cælum continentia communius eſt aëre.

Magis commune ſignificatione vocãt ὁμώνυμον ſeu æquiuocum cum voce alterum tantùm ex eius ſignificatis denotante comparatum: vt eſt Polypus, ſi cum polypo piſce conferatur.

ADMO-

ADMONITIO.

Quia à Grammaticis vocum ſignificationes ſunt petendæ, de hoc genere diuiſionum nihil in præſentia dicendum eſt. Sed hoc admonendi ſunt diſputaturi, quicunque priuatím aut publicè verſabuntur in grauibus cauſſis: vt ſi quid in verbis diſputandæ quæſtionis inſit obſcuri vel ambigui, illud primùm certa verborum ſignificatione ſtatuta, remoueant; ſic enim tota diſputatio clarior euadet, & eodem ſenſu à diſputante & reſpondente, ſeu audiente, verba accipientur: alioqui fieri non poteſt, quin maximæ tenebræ diſputationi offundantur, & à ſcopo frequenter aberretur.

Sic enim fallere ſtuduit Catholicos (vt ſuprà monuimus) Pelagius hæreticus, vt eſt apud D. Auguſtinum, quòd aliàs aliter Gratiæ nomine vteretur, eo vno (deſperata ſæpè cauſſa) vtens perfugio.

Huius generis quoque exempla in dialogis Platonicis frequenter occurrunt.

Quot ſunt genera diuiſionum magis vulgata?

Duo.

Diuiſio { Generis in ſpecies, / Totius in partes { Subſtantiales, / Integrales. } }

Diuiſio generis in ſpecies propriè diuiſio dicitur, & omnium artium communis eſt: vt animal in ſuas ſpecies ad hunc modum diuiditur:

Animalium { Aliud eſt homo, / Aliud beſtia. }

ITEM:

Beſtiarum alia eſt { Auis, / Piſcis, / Animal quadrupes { Equus, / Leo, / Bos, &c. } / Animal reptile. }

Hæ ſpecies deinde proprietatibus diſcernuntur: vt, Bos eſt animal quadrupes, cornutum, mugiens, &c. Neceſſe eſt autem ſpecies diſcerni vel per differentias, vel per proprietates, vel per accidẽtia, vel per ſubiecta in quibus hærent, vel per obiecta circa quę verſantur, vel per cauſſas, vel per effecta. Quocirca diligenter videndum eſt, vnde commodius diſcrimina ſumi poſſint, ad ſpecies inter ſe diſcernendas, aut genus diuidendum.

Diuiſio totius in ſuas partes propriè nominatur partitio, quo nomine eam Cicero appellat, quia partes ſeu membra ipſius rei diuidendæ complectitur.

Sic hominem in animum & corpus diuidere licet: Item, humanum corpus in caput, collum, pectus, cor, hepar, ventrem, &c.

Quomodo

Quomodo hæc diuidendi forma à superiori distinguitur?

Superior forma inferiora colligit, de quibus diuisum verè enunciari potest: ista verò partes integrales, vel οὐσιώδεις, id est, substantiales, quibus falsò tribueretur diuisum, complectitur.

Quæ cautiones obseruari debent in hac diuidendi forma?

Hic diligenter obseruandum est, quod & Cicero monet, ne partes cum speciebus confundantur. Est autem hæc (propriè & dialecticè loquendo) inter species & partes manifesta differentia, quòd ex partibus totum confletur, ita vt si aliqua earum desideretur, vel totũ non sit omnino, vel relinquatur imperfectum; quod non ita est in speciebus & illatum genere: posset enim genus esse perfectum, vna duntaxat eius, immo nulla existente specie. Præterea genus (vt modò indicatum est) de suis speciebus, non autem totum de suis partibus verè dicitur: & homo enim & bestia animal est, at homo de capite, pectore aut ventre, in proprio sermone dici non potest. licet interim non ignoremus, istam partium & specierum differentiam tam apud dialecticos, quàm apud rhetores frequenter confundi.

Præterea est obseruandum, vt decorus partium ordo seruetur: id quod Homerus in descriptione πανοπλίας τοῦ ἀλεξάνδρου egregiè præstitit.

Postremò monent, partium partes vel specierum species generali diuisioni non esse admiscendas, sed vlteriùs facta diuisione complectendas, ad hunc modum: Animalium aliud rationis particeps, aliud expers rationis: Expertium rationis aliud volucre, aliud aquaticum, &c.

Sunt ne aliæ præterea diuidendi formæ?

Addunt his diuidendi formis & diuisionem subiecti in accidentia: vt, Hominum alij sunt liberi, alij sunt serui: Item, hominum alij probi sunt, alij improbi.

Præterea accidentis in subiecta: vt, Feritas, alia est tigridis, alia crocodili, &c. Candidorum, hoc lilium, illud cygnus, &c. Ad hæc accidentis in accidentia: vt, Dulcium, hoc flauum est, illud album, &c.

Vnde sumenda est diuisionis materia?

Ex singulis categoriis, quemadmodum & definitionis materia sumi debet.

Vt exempli caussa, si sit hominis facienda diuisio, eam ad hunc modum facere licebit: Primùm sumendo partes subiectas,

I. EX SVBSTANTIA;

Ad hunc modum:

Hominum, alius est Socrates, alius Homerus, alius Demosthenes, alius Herodotus, &c.

2. EX QVANTITATE.

Hominum, alius quidem procerus nimium est, alius verò pusillus nimis, alius denique mediam staturam obtinet.

3. EX QVALITATE.

Hominum, alius liberalis, alius prodigus, alius auarus est.

4. Ex τῦ πρός τι, seu EX RELATIS.

Hominum, alius pater est, alius filius: alius dominus, alius seruus, &c.

5. EX ACTIONE.

Hominum, alius pacificè rempub. administrat, alius pro repub. bellum gerit, alius rem familiarem curat, alius aliis rebus operam dando suam transigit ætatem.

6. EX PASSIONE.

Homines partim torquentur conscientia scelerum, partim aliis diuexantur afflictionibus.

7. EX VBI.

Hominum, alij sunt in vrbe nati, alij in agris.

8. EX QVANDO.

Hominum, alij fuerunt tempore legis naturæ, alij tempore legis Mosaicæ, alij tempore Euangelij.

9. EX SITV.

Homines aut iacent, aut sedent, aut stant, &c.

10. EX HABITV.

Hominum, alius exornatus est, alius sine ornamentis: alius armatus est, alius inermis: alius vestitus, alius nudus.

Quot sunt conditiones ad perfectam diuisionem necessariæ?

Duæ tantùm.

Prior est, vt membra inter se pugnent, vnde vitiosa est ista diuisio: Hominum alij pij, alij litterati.

Posterior, vt membra ipsi diuiso paria sint & æqualia, ita vt nihil sub diuiso, quod non sub membris, aut contrà, contineatur.

Addunt nonnulli tertiam, nimirum, diuisionem debere esse bimembrem; verùm cùm sæpè contingat rei diuidēdę latitudinem tantam vel talem esse, vt ad binarium membrorũ numerum commodè reuocari non possit, nequaquam eiusmodi conditionem inter diuidendi leges numerandam putamus.

EPILOGVS DIVISIONIS VSVM EXPLICANS.

Hactenus tradidimus diuisionum formulas exemplis illustratas: reliquum nunc est, vt propositis variis exemplis, in omni diuisionis genere diligenter exerceatur iuuentus: sentiet talis exercitationis vtilitatem longè vberrimam.

In primis vetus dictum est: Qui bene distinguit, bene docet. Et

in Phædro Platonis, longa diuiſionũ laudatio extat, vbi cùm Oratorem inſtituit ac format, nunquam quenquam ait dicendi artificem futurum eſſe, niſi ſciat omnia, de quibus dicendum eſt, diuidere ac partiri, & appoſita certáque definitione vnamquamq. partem comprehendere: & tandem, inquit Socrates, ſi nactus fuero ducem, qui rectè partiri ſciat, ipſius, tanquam Dei, veſtigia ſequar. Inferatur ergo teneris mentibus hæc veriſſima perſuaſio, diuidendi artem ad rerum paulo latius diffuſarum diſtinctam & dilucidam explanationem maximè eſſe neceſſariam. Cùm enim ad munus dicentis atque de re aliqua differentis vel in primis pertineat docere auditores, idque ſine clara diuiſione multis in locis commodè fieri nequeat, perſpicuum eſt ad doctam & dilucidam quæſtionis aliquantulum intricatę pertractationē neceſſarium eſſe diuidendi artificium, alioqui in oratione omnia temerè congerentur, erúntque quod aiunt, πάντα μία κόνις.

Et Cicero Seruium Scęuolæ, quamuis peritiſſimo iuris, tamen ideò præfert, quia Dialecticen addiderat ſcientiæ Iuris, artem, vt ipſe ait, omnium artium maximam, quaſi lucem ad ea, quæ confuſè ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur.

Et Boëtius in libro de diuiſione inquit Andronicum ſcriptum reliquiſſe, diuidendi ſcientiam ſummo in honore ſemper apud Peripateticos fuiſſe, quòd nullam rem ſine hac dilucidè & perſpicuè explicari poſſe putarent.

Præcipuè verò ad differendi copiam, & rhetoricas diſtributiones & amplificationes, diuidendi ars neceſſaria eſt: veluti ſi latè, vt oratorem decet, iſtius aſſertiones [Verres totus eſt mõſtrum] ſententiam exprimere velimus. id percommodè fiet, ſi Verrem in corpus & animum partiamur; deinde ſingulas eius tum corporis tum animi partes nominatim percurrentes, eas monſtroſas eſſe dicamus ad hunc modum: Et animo & corpore monſtrum eſt. Oculos, os, vultum, totam denique corporis figuram inſpice, quid aliud quàm monſtrum præ ſe ferunt? &c.

Atque hęc orationis ornamenta ſeu ſchemata ex diuiſione Dialectica, ceu ex fonte deriuantur: quemadmodum è ſingulis dialecticis locis ſingulæ fermè Rhetorum figuræ naſcuntur.

Poſtremò, vt vſum diuiſionũ abſoluamus, ſicut abſque demonſtratione nulla ſcientia ritè comparari poteſt; ita abſque diuiſione, atque etiam definitione, non ſciẽtiam ſolùm, ſed ne vllam quidem ingenuam artem aſſequi quis poterit. Ipſa namque Diuiſio aditum ad artes omnes & diſciplinas præparat, ſeu diligens quædam exploratrix, quantum quæque res extendatur: Definitio præparatam iam atque exploratam, veluti lumine adhibito illuſtrat: illuſtrata verò accipit Demonſtratio ad ſcientiæ efficiendam certitudinem.

OMNIVM, QVAE DE RATIONE DIVIDENDI hactenus tradita sunt, ad iuuandam puerorum memoriam breuis comprehensio.



Duæ cautiones in diuidendo obseruandæ.

1. Vt membra inter se dissideant.
2. Vt membra diuidentia paria sint & æqualia diuiso.

DE METHODO EXPLICANDI SIMPLICIA THEMATA.

HACTENVS ostendimus vocum varietatem, gradus, itémque classes, ad quæ singula vocabula referri debeant; formas quoque definiendi ac diuidendi tradidimus. Nunc monstrare conabimur, quis sit superiùs traditorum præceptorum vsus, & quomodo ea sint ex schola, & ex vmbra in lucem, ac velut in aciem proferenda; quibus si quis non didicerit vti, is sciat se in eis cognoscendis inanem operam posuisse: non secus quàm miles frustrà sibi compararet ea arma, quibus nesciret vti.

Patet autem in omni sermone hominum, vsus huius partis latissimè: etenim in omni ferè congressu hominum quæri ac dubitari de alicuius certæ rei natura, caussis ac partibus solet. Doceri autem nulla res ac ordine explicari potest, nisi adhibeatur dialectica Methodus.

Quocirca quid nomine Methodi accipiendum sit, paucis explica.

Methodus, est certa & compendiaria discendi atque docendi ratio, ex definiendi diuidendiq; præceptionibus constans.

Perge idem paulo latiùs explanare.

Tradiderunt auctores, vt cùm aut docere aliquid alios, aut discere ipsi, aut iudicare aliqua de re volumus, certas quæstiones sequamur, quæ admoneant, quid in vniuscuiusque rei explicatione requirendum sit, & quid veluti Thesei filum, ne à suo scopo aberret oratio, sit sequendum.

Quot sunt Methodi quæstiones?

Methodi quæstiones, quæ viam simplicis thematis tractandi monstrant, alij Aristotelem sequentes, quatuor duntaxat, alij octo, nonnulli decem recensent: quarum

Prima est, quid vocabulum significet:
Secunda, an res sit:
Tertia, quid res sit:
Quarta, quæ sint rei partes:
Quinta, quæ sint species:
Sexta, quæ caussæ:
Septima, qui effectus:
Octaua, quæ adiacentia:
Nona, quæ cognata:
Decima, quæ pugnantia.

Cæteris in præsentia omissis, quatuor quæstionum genera ab Aristotele tradita latiùs explicato.

Aristoteles in libro Resolutionum posteriorum secundo, quæstionum recenset quatuor genera.

Quæ sunt & in nostro iam commemorato quæstionum catalogo præcipua: videlicet,

An sit	Εἰ ἔστι.
Quid sit	Τί ἐστι.
Quod sit	Ὅτι ἐστί.
Quare sit	Διότι.

An sit, quærit de iisquæ non sunt in conspectu: vt, an sit Deus, an sint spiritus viui sine mole corporum. Ad hanc quæstionem sumitur responsio ab auctoritate, ab experientia, & ab effectibus, seu signis: vt esse spiritus confirmatur, quia à multis fide dignis conspecti sunt.

Esse Deum, maximi & illustrissimi effectus, è quibus sunt ad miranda istius mundi creatio, & sapientissima eiusdem gubernatio.

Quæstione, quid sit, de rei definitione, quæ in omni explicatione caput est, sciscitamur: vt cùm quærimus, quid sit cometa, stellá ne, an halitus inflammatus, &c.

Quod sit, particula apud Aristotelem, non est interrogatio, sed asseueratio, significans aliquid attribui subiecto: vt, Cometa paulatim consumitur. Sic enarrat Aristotelem Ammonius Græcus interpres: τὸ ὑπάρχον τινὶ κατηγορούμενον, id est, quod existit alicui attributum, seu, quod ipsum subiectum sit tale.

Quare sit, quæstio est de caussis: vt dum quæritur, quæ sit cometæ materia: quæ caussæ tantam molem viscosorum halituum contrahant & accendant.

Congruunt igitur Aristotelicę quæstiones cum illis, quas recensui. Congruunt cum vtrisque & loci dialectici, qui infrà recitabuntur: nam illi materiam suppeditāt, qua opus est ad singularum quæstionum explicationem.

Cæterùm vt istarum quæstionum, de quibus agimus, distinctio fiat euidentior, earũque vsus clarè conspiciatur, exemplum de virtute subiiciemus, & ad eius naturã perfectè explicandam, ex quæstionum ordine, commodissimam sumi methodum ostendemus.

Prima quæstio est de vocabuli significatione. Interdum enim virtus generaliter vim seu facultatẽ significat: vt cùm dicitur, virtus hepatis; aliàs aliud significat. Sed hîc virtus, vt Græcis ἀρετὴ, significat habitum parientem honestas & laude dignas actiones.

An sit: Esse virtutem indè conspicitur, quia Scipio dissimilis est Antonio: Scipio abstinet ab alienis, est temperans. Idq. sanæ mentis omnes iudicant conuenire hominis naturæ, rationíque esse consentaneum. E contrario, Antonij mores longè alij sunt, obscœni, sæui, quos probi omnes detestantur.

Ita experientia nos docet esse virtutem, eámque vitij consideratione maximè esse conspicuam.

Quid sit: Cùm quærimus definitionem, inspiciendæ sunt classes categoriarum. Vnde discitur, an res, de qua dicendum est, sit

ſubſtantia an accidens. & ſi eſt accidens, in qua parte ſit, in corpore, an in anima. genus igitur virtutis inuenietur eſſe habitus animi. deinde differentia inquirenda, quæ, collatione ſpecierum iam inuenti generis, facilè inuenietur. nam quod ſpeciei definiendæ toti, aliis verò eiuſdem generis ſpeciebus nequaquam conuenire animaduerſum fuerit, id proculdubiò differentiæ vicem obtinere poterit; cuiuſmodi eſt, operis boni promptitudinem afferens. Itaque rectè ad hunc modum virtus definietur: Virtus eſt animi habitus operis boni promptitudinem afferens.

PARTES.

Habitus non in partes, ſed in ſpecies ſecatur.

SPECIES.

Species multæ ſunt, iuſtitia, fortitudo, modeſtia, temperantia, caſtitas, &c.

CAVSSAE.

Habituum cauſſæ ſunt actiones: ſed actionum honeſtarum efficientes cauſſæ principales ſunt Deus, mens rectè iudicans, & voluntas obtemperans recto iudicio, & conſtanter imperans membris, vt actio cum recto iudicio congruat.

Cauſſæ adiuuantes ſunt, voluntatis in bonam partem naturalis propenſio, & doctrina & diſciplina, hoc eſt, diligens & aſſidua rerum honeſtarum meditatio & exercitatio.

Materiam ex qua, nulla accidentia habent: ſed ſubiectum cui inhærent, eorum materia in qua, vocatur: Sunt autem virtutes in voluntate & animo, qui nomine cordis frequenter ſignificatur.

Propinqui fines omnium habituum ſunt ipſorũ actiones, vnde quidam philoſophi virtutis vltimum & præcipuum finem in eius actione collocauerunt, aſſerentes paſſim virtutem propter ſe eſſe expetendam. Nos Eccleſiæ doctrinam ſequẽtes dicimus, hunc virtutis præcipuum & poſtremum finẽ eſſe, vt officium Deo creatori & redemptori noſtro debitum, eius voluntati obtemperando perſoluamus, & vt illius gloria noſtrorum morum probitate per omnes nationes propagetur, felicitatẽque futuri ſeculi conſequamur.

Sit prætereà & hic finis honeſtæ vitæ, licet non vltimus, vt pœnæ & tragicæ calamitates vitentur. Hanc enim regulam in politica iuſtitia ſeruat De⁹, qui eſt cuſtos & vindex diſciplinæ, vt ferè atrocia delicta puniat manifeſtis pœnis in hac vita: vt ſatis apertè teſtatur Ierem. cap. 14. vbi ait: Nunc recordabitur Dominus iniquitatũ eorum, & viſitabit peccata eorum. & dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo iſto in bonum. Cùm ieiunauerint, nõ exaudiam preces eorum; & ſi obtulerint holocauſtomata & victimas, non ſuſcipiam ea: quoniam gladio, & fame, & peſte conſumam eos.

Eodem quoque pertinet iſta Chriſti ſeruatoris noſtri commi-

Quæ ſunt & in noſtro iam commemorato quæſtionum catalogo præcipua: videlicet,	An ſit	Εἰ ἔστι.
	Quid ſit	Τί ἐστι.
	Quod ſit	Ὅτι ἐστί.
	Quare ſit	Διότι.

An ſit, quærit de iis quæ non ſunt in conſpectu: vt, an ſit Deus, an ſint ſpiritus viui ſine mole corporum. Ad hanc quæſtionem ſumitur reſponſio ab auctoritate, ab experientia, & ab effectibus, ſeu ſignis: vt eſſe ſpiritus confirmatur, quia à multis fide dignis conſpecti ſunt.

Eſſe Deum, maximi & illuſtriſſimi effectus, è quibus ſunt admiranda iſtius mundi creatio, & ſapientiſſima eiuſdem gubernatio.

Quæſtione, quid ſit, de rei definitione, quæ in omni explicatione caput eſt, ſciſcitamur: vt cùm quærimus, quid ſit cometa, ſtellâne, an halitus inflammatus, &c.

Quod ſit, particula apud Ariſtotelem, non eſt interrogatio, ſed aſſeueratio, ſignificans aliquid attribui ſubiecto: vt, Cometa paulatim conſumitur. Sic enarrat Ariſtotelem Ammonius Gręcus interpres: τὸ ὑπάρχον τινὶ κατηγορούμενον, id eſt, quod exiſtit alicui attributum, ſeu, quod ipſum ſubiectum ſit tale.

Quare ſit, quæſtio eſt de cauſſis: vt dum quæritur, quæ ſit cometæ materia: quæ cauſſæ tantam molem viſcoſorum halituum contrahant & accendant.

Congruunt igitur Ariſtotelicę quæſtiones cum illis, quas recenſui. Congruunt cum vtriſque & loci dialectici, qui infrà recitabuntur: nam illi materiam ſuppeditãt, qua opus eſt ad ſingularum quæſtionum explicationem.

Cæterùm vt iſtarum quæſtionum, de quibus agimus, diſtinctio fiat euidentior, earũque vſus clarè conſpiciatur, exemplum de virtute ſubiiciemus, & ad eius naturã perfectè explicandam, ex quæſtionum ordine, commodiſſimam ſumi methodum oſtendemus.

Prima quæſtio eſt de vocabuli ſignificatione. Interdum enim virtus generaliter vim ſeu facultatẽ ſignificat: vt cùm dicitur, virtus hepatis; aliàs aliud ſignificat. Sed hîc virtus, vt Græcis ἀρετὴ, ſignificat habitum parientem honeſtas & laude dignas actiones.

An ſit: Eſſe virtutem indè conſpicitur, quia Scipio diſſimilis eſt Antonio: Scipio abſtinet ab alienis, eſt temperans. Idq. ſanæ mentis omnes iudicant conuenire hominis naturæ, rationíque eſſe conſentaneum. E contrario, Antonij mores longè alij ſunt, obſcœni, ſæui, quos probi omnes deteſtantur.

Ita experientia nos docet eſſe virtutem, eámque vitij conſideratione maximè eſſe conſpicuam.

Quid ſit: Cùm quærimus definitionem, inſpiciendæ ſunt claſſes categoriarum. Vnde diſcitur, an res, de qua dicendum eſt, ſit

ſubſtantia

ſtantia an accidens. & ſi eſt accidens, in qua parte ſit, in corpore, n anima. genus igitur virtutis inuenietur eſſe habitus animi. nde differentia inquirenda, quæ, collatione ſpecierum iam enti generis, facilè inuenietur. nam quod ſpeciei definiendæ i, aliis verò eiuſdem generis ſpeciebus nequaquam conuenire imaduerſum fuerit, id proculdubiò differentiæ vicem obtinere terit; cuiuſmodi eſt, operis boni promptitudinem afferens. Itae rectè ad hunc modum virtus definietur: Virtus eſt animi habis operis boni promptitudinem afferens.

PARTES.

Habitus non in partes, ſed in ſpecies ſecatur.

SPECIES.

Species multæ ſunt, iuſtitia, fortitudo, modeſtia, temperantia, aſtitas, &c.

CAVSSAE.

Habituum cauſſæ ſunt actiones: ſed actionum honeſtarum efficientes cauſſæ principales ſunt Deus, mens rectè iudicans, & voluntas obtemperans recto iudicio, & conſtanter imperans membris, vt actio cum recto iudicio congruat.

Cauſſæ adiuuantes ſunt, voluntatis in bonam partem naturalis propenſio, & doctrina & diſciplina, hoc eſt, diligens & aſſidua rerum honeſtarum meditatio & exercitatio.

Materiam ex qua, nulla accidentia habent: ſed ſubiectum cui inhærent, eorum materia in qua, vocatur: Sunt autem virtutes in voluntate & animo, qui nomine cordis frequenter ſignificatur.

Propinqui fines omnium habituum ſunt ipſorũ actiones, vnde quidam philoſophi virtutis vltimum & præcipuum finem in eius actione collocauerunt, aſſerentes paſſim virtutem propter ſe eſſe expetendam. Nos Eccleſiæ doctrinam ſequẽtes dicimus, hunc virtutis præcipuum & poſtremum finẽ eſſe, vt officium Deo creatori & redemptori noſtro debitum, eius voluntati obtemperando perſoluamus, & vt illius gloria noſtrorum morum probitate per omnes nationes propagetur, felicitatẽque futuri ſeculi conſequamur.

Sit prætereà & hic finis honeſtæ vitæ, licet non vltimus, vt pœnæ & tragicæ calamitates vitentur. Hanc enim regulam in politica iuſtitia ſeruat De⁹, qui eſt cuſtos & vindex diſciplinæ, vt ferè atrocia delicta puniat manifeſtis pœnis in hac vita: vt ſatis apertè teſtatur Ierem. cap. 14. vbi ait: Nunc recordabitur Dominus iniquitatũ eorum, & viſitabit peccata eorum. & dixit Dominus ad me: Noli orare pro populo iſto in bonum. Cùm ieiunauerint, nõ exaudiam preces eorum; & ſi obtulerint holocauſtomata & victimas, non ſuſcipiam ea: quoniam gladio, & fame, & peſte conſumam eos.

Eodem quoque pertinet iſta Chriſti ſeruatoris noſtri commi-

natio: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. ferè enim ita fit, vt qui vi & ferro grassantur, vi & ferro opprimantur. propter cuius rei crebram experientiam vulgò celebrati sunt isti versus:

Ad generum Cereris sine cæde & vulnere pauci
Descendunt reges & sicca morte tyranni.

Sciunt denique pij, benefactis in hac vita mitigari priuatas publicásque calamitates: item dari incrementa donorum spiritalium in præsenti vita, & in posterum expectari æterna præmia.

EFFECTVS.

Tranquillitas cordis, quæ oritur ex conscientia rectæ voluntatis & actionum congruentium, ad regulam diuinæ legis. Multi secundi euentus & prosperi successus; quia plerunque Deus honesta consilia adiuuat. Vtilitas & pax publica: vt, Fabij moderatio profuit Reipub. Romanæ. Honesta exempla inuitant alios ad imitationem, & pudefaciunt negligentiores. E contrario: turpitudo lacerat conscientiam, & adfert horribiles cruciatus, turbat pacem publicam & nocet exemplo, &c.

ADIACENTIA.

Gloria, id est, consentiens laus bonorum, & cordatorum excellentiúmque hominum comprobatio, Odia malorum, Pericula, Diuina defensio in periculis.

COGNATA.

Virtuti cognatæ sunt, in bonam partem voluntatis inclinationes: vt στοργαὶ φυσικαὶ, & aliarum virtutum semina: vt in Alexandro naturalis propensio fuit ad fortitudinem: in aliis ad temperantiam: in aliis ad mansuetudinem.

PVGNANTIA.

Pugnantia sunt, vitia seu turpitudines: Item ὑπόκρισις, seu falsa simulatio virtutis.

Adiiciam prætereà alterum exemplum de homine, vt vsus propositarum quæstionum clariùs conspiciatur.

ETYMOLOGIA SEV VERA ORIGINIS nominis expositio.

Humana creatura indè homo vocata est, quòd ex humo, id est, limo terræ sit creata.

2. AN RES SIT.

Hominem esse est notum.

3. QVID SIT.

Homo est animal rationis consilijque particeps.

4. QVAE PARTES.

Caput, os, pectus, brachia, manus, pedes, lingua, guttur, pulmo, cor, nerui, ossa, sunt hominis partes.

5. SPE-

5. SPECIES.

Homo, cùm infima species sit, in species non diducitur à Phi-
ophis. Vocant tamen scriptores aliquando hominis speciem,
minem doctum, hominem indoctum, hominem Græcum,
minem Barbarum. Item, Italum, Germanum, Gallum, His-
num, &c.

6. QVAE CAVSSAE.

Efficientes, Deus Opt. Max. Sol, Parentes, Solum natale.

Forma & materia, animus & corpus cum elementis, ex quibus
omo componitur.

Finis quem Deus ei destinauit, Aeterna felicitas: finis verò
quem illi praua cupiditas suggerit, opum affluentia, honores,
nomen illustre, voluptates, & similia fluxa atque caduca præsentis
vitæ bona.

7. QVAE EFFECTA.

Ciuitates, leges, litteræ, tot disciplinæ atque artes, &c.

8. QVAE ADIACENTIA.

Robur, imbecillitas, firmitudo, infirmitas, sanitas, morbus, in animo affectus, in mente acumen, hebetudo, memoria, &c.

9. QVAE COGNATA.

Homo cognationem habere videtur cum tota hac mundi machina: vnde μικρόκοσμος dicitur. Cum superis cognationem habet, si virtutibus suprà humanam conditionem assurgere studeat. Cum bestiis verò, si ita sese abiiciat atque prosternat, cupiditatibus corporis immoderatè seruiendo, vt ad mutarum pecudum naturam & vilitatem degeneret, proximéque accedat.

10. QVAE PVGNANTIA.

Lupus, Crocodilus, Basiliscus, &c.

MONITIO.

Hoc pacto per quæstiones, quas recensui, indiscendo, docendóve, quandocúque de simplici vocabulo, vel vna de re dicitur, ipsius natura, certis veluti limitibus est circumscribenda; quo distinctiùs perfectiúsque res ipsa explicari, & quæ ad eius explicationẽ pertinent, faciliùs memoriæ mandari possint. Verùm in grauibus argumentis oratione populari explicandis, omnes tam Rhetoricæ quàm Dialecticæ inueniendi rationes erunt persequendæ; licet interim etiam ad eiusmodi thematum latam & eruditam explicationem, ea, quam modò tradidimus, quæstionum declaratio aditum aperiat, plurimúmque iuuet.

Prodest igitur plurimum hoc exercitationis genus, tum ad linguam, tum etiam multo magis ad mores formandos, dum eorum, quæ in communi vita versantur, propria ratio, caussæ, adiuncta, & cõsequentia diligenter inuestigantur, & inuenta ante oculos

ſtatuuntur. Ideo iunioribus multa exempla in quotidianis exercitationibus, vt vocabula patientiæ, amicitiæ, pacis, belli, & ſimilia, proponere conſultum fuerit.

OMNIVM, QVAE DE METHODO, SEV MODO explicandi ſimplicis rhematis (quo vniuerſa ſuperiorum librorum ſpectat doctrina) tradita ſunt, ad iuuandam puerorum memoriam, ἀνακεφαλαίωσις.

Quandocunque de ſimplici vocabulo, vel de vna re, vt de virtute, vitio, amicitia, &c. dicendũ eſt: viam monſtrãt hæ decem quæſtiones:

1. Quid vox ſignificet.	Virtus eſt, quam Græci ἀρετὴν dicunt.
2. An res ſit.	Virtutem eſſe oſtendit clarè diſcrimen inter vitioſos, & virtute præditos.
3. Quid ſit res.	Virtus eſt animi habitus, operis boni promptitudinẽ & conſtantiam afferens.
4. Quæ ſint rei partes.	Habitus nõ ſecãtur in partes.
5. Quæ ſint ſpecies.	Temperantia, Fortitudo, Modeſtia, &c.
6. Quæ cauſſæ.	Efficientes Deus, actiones ipſæ, voluntas obtemperans recto rationis iudicio: Item doctrina & accurata aſſuefactio. Materiam ex qua, non habet. Materia in qua, eſt volũtas & mens. Finis, ipſæ actiones ſecũdùm quoſdam Philoſophos: at ſecundùm veritatem, Deus, æterna præmia.
7. Qui effectus.	Tranquillitas cordis, multi proſperi ſucceſſus, vtilitas & pax publica.
8. Quæ adiuncta.	Gloria, & laus à probis, Odia ab improbis & pericula; Diuina denique defenſio in periculis.
9. Quæ cognata.	Inclinationes ad bonum.
10. Quæ pugnantia.	Turpitudines & vitia, ὑπόκρισις ſeu falſa virtutis ſimulatio.


LOGI-

LIBER III.

περὶ ἑρμηνείας,

Vulgò

DE ENVNTIATIONE.



EX vocum illarum coniunctione, quas in prædicabilibus & categoriis sigillatim separatimq́. inspiciendas dedimus, conflatur oratio illa dialectica verum falsumve designans; de qua nunc est agendum.

Epigraphe libri huius (qui in Græco quidē textu vnicus est, licet in versionibus Latinis passim bifariam diuisus conspiciatur) est ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ, hoc est, liber Aristotelis de interpretatione. Græcis enim verbum ἑρμηνεύειν, vnde ἑρμηνεία, idem est, quod interpretor: ob id autem de interpretatione inscriptus est hic liber, quòd in eo de enuntiatione, quæ vetus est animi interpres, potissimùm agatur.

Si quis ergo, vt vulgò faciunt, per interpretationem intellexerit ipsam enuntiationem, huius libri inscriptio erit ab ipsius materia, seu subiecto desumpta. Illud enim certū est, præcipuam hîc enuntiationum haberi rationem, & inter has simplicium.

Quòd autem de nomine & verbo paucula Aristoteles præmittat, id ad perfectiorem enuntiationum cognitionem est factū, quæ ex verbis & nominibus, tanquam partibus præcipuis, præcipuáque (attributi nimirum & subiecti) munia obeuntibus, componūtur.

DE NOMINE.

Quomodo definitur nomen ab Aristotele?

Ὄνομα μὲν οὖν ἐστι φωνὴ σημαντικὴ κατὰ συνθήκην ἄνευ χρόνου, ἧς μηδὲν μέρος ἐστὶ σημαντικὸν, κεχωρισμένον.

Per. Nomen igitur vox est ex instituto significans, omnis expers temporis, cuius pars nulla quicquam declarat separatim.

Col. *Nomen est vox ex instituto significans, sine tempore, cuius pars nulla quicquam declarat separatim.*

Arg. Nomē vox est significatiua ex instituto, sine tempore, cuius nulla pars significat separata.

Cuiusmodi nomen hic definitur?

Nomen logicum voce prolatum: & similiter est de Verbo, Oratione, atque enuntiatione, de quibus posteà dicetur iudicandum.

Sunt enim hæc omnia triplicia, nempe { Mente cogitata, Voce prolata, Scripta. }

Quod manifestum est ex libri huius apud Aristotelem initio.

Sed de solis iis, quæ voce proferuntur, in præsenti tractatu agitur.

Explica planius iam recitatæ definitionis sententiam.

Recitatæ iam definitionis hæc est sententia: Nomen est vox vna, seu secundùm vnam significationem accepta, ex hominum instituto rem aliquam significans, nulla ad principalem significationem aut præsentis, aut præteriti, aut futuri temporis (quemadmodum in verbis fieri solet) denotatione annexa, cuius nulla pars, vt in ipsa voce sumitur, significat aliquid separatim accepta.

An nihil est addendum isti definitioni, vt sit plena, & omnibus suis numeris absoluta?

Addendum est ex Aristotelis sententia, Finita & recta.

Quid est vox finita?

Quæ non constat ex negatione, quam vocant infinitantem, cuiusmodi sunt, Homo, terra, cælum, currit, &c.

De voce finita & infinita si latiorem earum declarationē requiris, consule Prodidagmata nostra.

Quid est vox recta?

Vox nominatiui casus, vel præsentis temporis indicatiui modi: vt, Homo, bestia, scribo.

Accommoda verba definitionis alicui exemplo.

Nominatiuus poëta, est nomen, cùm sit vox vna non naturaliter, sed ex instituto significans eum, qui elegantia carmina scribit. neque vllum tempus ad hoc suum significatum adiungit, neque partem significantem habet, neque est vox constans negatione, neque est obliqui casus.

Ad eundem modum his vocibus, dominus, seruus, pater, filius, annus, dies, & aliis similibus, definitionem accommodare licebit.

DE VERBO.

Recita ex Aristotele verbi definitionem.

Ῥῆμα δέ ἐστι, τὸ προσσημαῖνον χρόνον, οὗ μέρος οὐδὲν σημαίνει χωρὶς, καὶ ἔστιν ἀεὶ τῶν καθ' ἑτέρου λεγομένων σημεῖον.

C O L. *Verbum est, quod tempus adsignificat, cuius pars nulla significat separatim, semperq́ue ea declarat & indicat, quæ de altero dicuntur.*

A R G. Verbum est, id quod insuper tempus significat, & cuius nulla pars seorsum significat: atque semper eorum, quæ de alio dicuntur, est signum.

Cuius definitionis sensus est: Verbum logicum voce prolatum, est vocabulum vnum, significans rem aliquam ex institutione hominum, quod vocabulum simul denotat præsens tempus, præteritum, aut futurum, cuius nulla pars separatim sumpta significat aliquid:

quid: & significat id quod semper dicitur de altero, quando videlicet suam significationem retinens in oratione ponitur.

Declara definitionem aliquo exemplo.

Amo verbum est, significans ex arbitrio instituentis, amorem; & consignificans tempus præsens, quo amor ille existit; cuius nulla pars separatim sumpta, aliquid significat. Denique amo, nota est amoris, qui semper prædicati locum tenet, subiecti nunquã, quandocunque vox (amo) suam retinens significationem in enuntiatione ponitur: vt in his enuntiationibus, Ego amo, tu amas, &c.

Nihil ne in recitata iam verbi definitione desideratur?

Modò recitata verbi definitio (vt ipse Aristoteles docet) non est plena & absoluta, nisi adiiciantur duæ voculæ, quas paulo antè nominis definitioni adiiciendas diximus: videlicet finitũ & rectum: aut aliæ, quibus idem quod his, significetur.

Paucis, id solum Aristoteli verbum videtur, quod est grammaticis verbum præsentis temporis indicatiui modi, quódque negatione (quam infinitantem vocant) caret. Hoc addimus, quia, non currit, vel, non laborat, negat Aristoteles esse verbum.

Quam habent inter se rationem verbum grammaticum & logicum?

Verbum grammaticum magis commune est, si cum logico comparetur.

Quæ ratio est inter nomen superiùs definitũ, & nomen grãmaticum?

Inter nomen priùs definitum & grammaticum nomen ratio est excedentis & excessi. Nam plurima sunt nomina grammatica quæ sub nominis logici appellationem non cadunt, nimirum, omnes casus obliqui nominum grammaticorum. contrà: Sunt quædam nomina logica, quæ nominis grammatici ambitu non continẽtur; vt sunt ista pronomina, Ego, tu, & similia. denique plurimæ sunt voces, quibus vtrumque & grammaticum & logicum nomen verè tribuitur; cuiusmodi sunt pater, dominus, poëta, & aliæ infinitæ.

Quæ voces se mutuò excedant, latè declaratum est suprà, & in Logices prodidagmatis.

DE ORATIONE.

Insitam nobis à natura cognoscẽdi viam (quæ, vt primo Physicorum libro dicitur, à confusis & longè latéque vagantibus rebus ad earum, quæ arctiores & contractiores sunt, notitiam ducit) sequens Aristoteles, cùm de enuntiatione agere statuisset, ab oratione, quæ genus illius est, suam auspicatus est declarationem.

Recita igitur ex Aristotele orationis definitionem.

Λόγος δέ ἐστι φωνὴ σημαντική, ἧς τῶν μερῶν τι σημαντικόν ἐστι κεχωρισμένον ὡς φάσις, ἀλλ' οὐχ ὡς κατάφασις.

Per. Oratio est vox quæ significat, cuius pars aliqua seiuncta separatáque, vt nomen, non vt affirmatio significat.

COL. *Oratio est vox, quæ significat, cuius pars aliqua seiuncta separatáq́ȝ, vt nomẽ, non vt affirmatio aut negatio significat.*

ARG. Oratio est vox significatiua, cuius partium aliqua separata, significat vt dictio, sed non vt affirmatio vel negatio.

Hoc est, Oratio est vox vna, seu vnius sensus, ex instituto significans, cuius aliqua pars separata, nec verum nec falsum significat: hoc enim indicat sequens pars, non vt affirmatio vel negatio, quæ ex sententia Boëtij & Alexandri Aphrodisiẽsis explicationis caussa additur, ne quis ambiguitate vocabuli (dictio) fallatur: nam dictio aliquãdo pro affirmatione sumitur, & dicere pro affirmare: & apud Ciceronem tota oratio dictio appellatur, & dicere est orare. Similísque est in voce φάσις, apud Græcos ambiguitas, vt quod apud Aristotelem, post ipsam in ista definitione sequitur, etiam expositionis, eius quod antecesserat, loco positum esse meritò credatur.

Profer aliqua exempla definitionis.

Vt, Homo albus, homo est albus. Si probus est Paulus, improbus non est.

Quomodo diuiditur oratio?

Orationum alia { Perfecta, Imperfecta.

Oratio perfecta quid est?

Quæ sententiam absoluens, animum eius qui audit, reddit quietum; vel quæ eius animo qui audit, sententiam offert absolutam: vt, Ioannes scribit.

Oratio imperfecta quid est?

Quæ mutilatam & imperfectam continens sententiam, eius, qui audit, animum relinquit suspẽsum: vt, Socrates & Plato, quisquis ambulat, homo albus: nondum enim percepit audiens, quid sibi velit, qui huiusmodi voces profert.

Quomodo diuiditur oratio perfecta?

Orationum perfectarum alia est oratio { Perfecta non enuntians, Perfecta enuntians.

Quid est oratio perfecta non enuntians?

Quæ licet perfectum gignat sensum in animo audientis, non tamen verum aut falsum designat.

Enumera

Enumera partes orationis perfectæ non enuntiantis.

Orationes perfectæ non enuntiãtes, sunt omnes illę, quibus
- Deprecamur: vt, Deus propitius esto mihi misero peccatori.
  Parcite Dardanidæ de tot, precor, hostibus vni.
- Imperamus: vt, *Claudite iam riuos pueri.* ——
- Interrogamus: vt,
  Est aliquid quò tendis? & in quod dirigis arcum?
  An passim coruos sequeris testaq́; lutoq́;?
- Optamus: vt,
  O mihi præteritos referat si Iuppiter annos.
- Vocamus: vt, *Huc ades, ô Meliboæ.*

Ad quos pertinet harum orationum vsus, quæ licet perfectæ sint, tamen nulla in iis veritas neque falsitas conspicitur?

Ad oratores & poëtas, inquit Aristoteles, quorũ studium atque conatus maximè in eo versatur, vt animi motus concitare, delectare, atque persuadere possint, subtili veritatis inquisitione, quæ philosophorum propria est, frequenter prætermissa.

Quorsum spectant ea, quæ hactenus de nomine, verbo & oratione sunt dicta?

Vt, quid sit enuntiatio, clariùs perfectiúsque intelligatur: cùm enim nomen & verbum præcipuæ sint enuntiationis partes, oratio verò illius sit genus; nisi hæc prius rectè percepta sint, plena perfectáque enuntiationis cognitio haberi non potest.

DE ENVNTIATIONE, ET EIVS DIVISIONIBVS.

Quid est enuntiatio?

Ἀποφαντικὸς λόγος ἐστι, ἐν ᾧ τὸ ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι ὑπάρχει.

PER. Ea sola oratio enuntiat ac dicit, quæ vel verum vel falsum cõplectitur.

COL. *Enuntiatio est oratio, quæ vel verum vel falsum complectitur.*

ARG. Enuntiatiua oratio est, quæ vera est vel falsa. Vt, Deus est verax: Omnis homo est mendax. Item:

—— Ingenuas didicisse fideliter artes
Emollit mores, nec sinit esse feros.

Quibus nominibus appellari solet ab auctoribus enuntiatio?

Enuntiatio ab Aristotele nunc λόγος ἀποφαντικὸς, nunc ἀπόφανσις dicitur; à Cicerone effatum, enuntiatũ, enuntiatio, vel pronuntiatum vocatur; à Varrone proloquium; à Stoicis verò ἀξίωμα.

Quomodo diuidit Aristoteles enuntiationem?

Λόγος ἀποφαντικὸς { εἷς / πολλοί.

COL. Enuntiatio { *Vna,* / *Multa.*

LOV. Enuntiationum alia { Vna, Plures.

Quæ enuntiatio hic diuiditur?

Non ea duntaxat, quæ est priùs definita (quæ videlicet est vna seu vnius sensus oratio) verùm & ea, & ei similis, vt enuntiationes ambiguæ, vel coniunctionibus carentes, (quas πολλὰς, id est plures, hîc Aristoteles vocat) comprehendantur.

Recita definitionem enuntiationis vnius.

Ἔστι δὲ εἷς λόγος ἀποφαντικὸς, ἢ ὁ ἓν δηλῶν, ἢ ὁ συνδέσμῳ εἷς.

PER. Vna autem enuntiatio est, quæ aut vnum aliquid declarat, aut ex vna vincta coniunctione.

COL. *Enuntiatio vna est, quæ aut vnum aliquid declarat, aut quæ vna fit per coniunctionem.*

ARG. Est autem enuntiatiua vna oratio, aut ea quæ vnum significat, aut ea, quæ coniunctione est vna.

Hoc est, Enuntiatio vna, est enuntiatio, quæ vnum prædicatum de vno subiecto enuntiat; vel cuius partes inter se cõiunctione sunt vnitæ: vt, Homo est animal: Item, Si homo est, animal est.

Recita ex Aristotele definitionem eius enuntiationis, quam vulgò enuntiationem plures, vocant.

Πολλοὶ δὲ, οἱ πολλὰ καὶ μὴ ἕν, ἢ οἱ ἀσύνδετοι.

PER. Multæ verò quæ vel multa, & non, &c. vt Col.

COL. *Enuntiationes multæ sunt quæ vel multa & non vnum aliquid significant, vel carent coniunctionibus.*

ARG. Plures verò eæ quæ plura, & non vnum significant, aut eæ quæ carent coniunctione.

Hoc est. Enuntiatio plures vocatur, quæ multa & non vnũ tantùm significat, vel quæ est plures enuntiationes inter se cõiunctione non vnitæ: vt, Vidi lupum. Item hę enuntiationes sine coniunctione sumptæ: Aristoteles ambulat, Socrates philosophatur.

Quomodo diuiditur enuntiatio vna?

Τούτων δὲ ἡ μὲν ἁπλῆ ἐστιν ἀπόφανσις, ἡ δὲ ἐκ τούτων συγκειμένη.

PER. Harum autẽ enuntiationũ simplex alia est, alia autẽ quæ ex his cõstat.

COL. *Enuntiationum vnarum alia est* { *Simplex, Coniuncta.*

LOV. Enuntiatio vna, est { Simplex, vel Composita.

Seu. vt Neoterici diuidunt:

Enuntiatio vna, est { Categorica, vel Hypothetica.

Has enim diuisiones pro iisdem habendas, secundùm Aristotelis doctrinam, arbitramur, non ignorantes interim permultos in alia esse sententia.

Recita ex Aristotele priorem simplicis enuntiationis definitionem.

Ἡ μὲν ἁπλῆ ἐστιν ἀπόφανσις, οἷον τὶ κατὰ τινος, ἢ τὶ ἀπὸ τινος.

PER. Simplex alia est, vt quæ aliquid de quodam dicit, &c. vt Col.

COL. *Enuntiatio simplex est, quæ aliquid de quodam dicit, vel aliquid cuidam inesse negat.*

ARG. Enuntiatio simplex est, aliquid dicens de aliquo, aut aliquid de aliquo remouens.

Hoc est: quæ aliquod prædicatum cuipiam subiecto attribuit, vel ab eo remouet atque separat.

Designat enim apud Aristotelem præpositio (κατὰ, Latinè De) compositionem seu affirmationem: (ἀπὸ, Latinè Ab) negationem atque separationem.

Nonnūquam tamen κατὰ seu De, latiùs accipitur, vt ad vtrumque sese extendat: quemadmodum in definitione propositionis, primo Aristotelis libro priorum Resolutionum.

Quomodo distinguuntur partes huius definitionis?

Priore parte comprehenduntur categoricæ affirmationes: vt, Vlysses est eloquens.

Posteriore verò, negationes: vt, Vlysses non est formosus.

Quid dicendum est de iis, quæ copulam habent mistam? vt est ista, Vlysses interfecit vel non interfecit Aiacem.

Relinquendum est illud disputantibus. Sunt enim talia leiuiscula & arbitraria. attamen eruditiorū sententia est, simplices enuntiationes omnes simplicis esse qualitatis.

Recita posteriorem definitionem enuntiationis simplicis.

Ἔστι δ' ἡ ἁπλῆ ἀπόφανσις φωνὴ σημαντικὴ περὶ τοῦ ὑπάρχειν τι ἢ μὴ ὑπάρχειν, ὡς οἱ χρόνοι διῄρηνται.

PER. Simplex pronuntiatū est oratio, quæ aliquid de quodā dicit, &c. vt Col.

COL. *Simplex enuntiatio est oratio, quæ aliquid de quodam dicit vel negat, pro ratione temporum.*

ARG. Simplex enuntiatio, est vox significatiua, essendi quippiam, vel non essendi, vti tempora sunt distincta.

Hoc est: Simplex enuntiatio est eiusmodi enuntiatio, quæ denotát vnum prædicatum vni tribui subiecto, vel negari: quo fit, vt subiectum significetur aliquid esse, vel aliquid non esse secundùm aliquam ex temporum differentiis, hoc est, secundùm tempus præsens aut præteritum, aut aliud. vt in his enūtiationibus, Homo est albus, homo sedet. item, Homo non est albus, homo non sedet.

Quid

Quid est discriminis inter iam dictas enuntiationis simplicis descriptiones?

In verbis aliquod discrimen est, in re nullum; nisi quòd prior videatur negationem & affirmationem magis ad prędicatum referre, cuius est dici vel remoueri: hæc verò ad subiectum, cuius est esse quippiam vel non esse. vt enim prædicatum dicitur de subiecto, vel ab eo remouetur; sic subiectum aliquid est, aut non est.

Cur adiunxit Aristoteles suæ definitioni istam particulam, (quemadmodum tempora diuisa sunt?)

Ne ipsa intelligatur solùm de præsenti tempore, additum est (vt ait Boëtius) quemadmodum tempora diuisa sunt, id est, pro temporum diuersitate.

Num omnis enuntiatio simplex enuntiat prædicatum de subiecto secundùm aliquam temporis differentiam?

Non: quia contingit enuntiationem simplicem constare ex copula nullam temporis differentiam designante. Quapropter intelligemus in definitione, si cauillationes excludere velimus, aut aliquando non habita temporis ratione: vt cùm dicimus, Homo est animal.

Recita definitionem enuntiationis compositæ.

Ἡ δὲ ἀπόφανσις, ἐκ τούτων συγκειμένη, οἷον λόγος τὶς ἤδη συνθέτος.

PER. Alia autẽ enuntiatio, quę ex his constat, iam quasi coniuncta oratio est.

COL. *Enuntiatio coniuncta est, quæ ex his simplicibus constat.*

LOV. Enuntiatio composita est, quæ ex simplicibus enuntiationibus constat.

Videlicet tanquam partibus principalibus sui.

Quæ sunt partes principales enuntiationis?

Partes principales sunt, quæ vniuntur copula totius: vt in hac oratione, Si animus est immortalis, æterna illi quærenda sunt. Partes principales sunt hæ enũtiationes simplices, Animus est immortalis, Æterna illi quærenda sunt; quæ vniuntur copula totius, videlicet coniunctione Si.

Quomodo diuidit Aristoteles enuntiationem simplicem?

Ἁπλῆ ἀπόφανσις { κατάφασις / ἀπόφασις.

PER. Simplex pronuntiatum { Affirmatio, / Negatio.

COL. *Enuntiationum simplicium alia* { *Affirmatio,* / *Negatio.*

LOV. Enuntiationum simplicium alia { Affirmatio, / Negatio.

Quid est affirmatio?

Κατάφασις δέ ἐστιν ἀπόφανσις τινὸς κατά τινος.

C OL. *Affirmatio est enuntiatio, quæ aliquid de quopiam dicit.*

A RG. Affirmatio est de aliquo alicuius enuntiatio.

Hoc est, est enuntiatio simplex, quæ significat aliquod prædicatum subiecto alicui conuenire: vt, Sobrietas est mater virtutum.

Quid est negatio?

Ἀπόφασις δέ ἐστιν ἀπόφανσις τινὸς ἀπό τινος.

C OL. *Negatio est enũtiatio, qua aliquid inesse cuipiã negamus.*

A RG. Negatio est enuntiatio, qua aliquid ab aliquo dimouetur.

Hoc est, Negatio est enuntiatio simplex, quæ significat prædicatum quodpiam ab aliquo subiecto separari: vt, Nulli veniunt sine Marte triumphi. Nemo est vndequaque beatus.

Diuide aliter enuntiationem simplicem.

Subnectũt hoc loco aliam diuisionem Neoterici omnes, quam Aristoteles in primo Priorum recenset; hanc nimirum:

COL. *Enuntiatio simplex, seu propositio categorica* { *Generalis, Specialis, Indefinita.*

LOV. Enuntiatio simplex, seu categorica { Vniuersalis, Particularis, seu specialis, Indefinita.

Profer exempla harum partium enuntiationis simplicis.

Vniuersalis: vt { Omnis homo est mortalis. Nullus homo est immortalis.

Particularis: vt, Quidam homo est candidus.

Indefinitæ: vt, Malus est custos diuturnitatis metus.

Inuenitur ne alia præter has simplicis enuntiationis species?

Inuenitur, nimirum singularis: cuiusmodi est ista, Hic homo est niger.

MONITIO.

De hac diuisione fusiùs in primo Priorum dicturi sumus. Interim non fuit silentio prætereunda propter interrogationum de enuntiatione modos, qui hoc loco explicari solent.

Quot hoc loco commemorari solent à dialecticis interrogationum, quibus de enuntiatione rogatur, modi?

Tres: videlicet, Quæ, Qualis & Quanta.

Declara paulo fusiùs significationem istarum vocum.

Cùm sciscitari volumus de enuntiatione aliqua, vtrum sit categorica,

gorica, an hypothetica, vtimur hoc vocabulo, Quæ, interrogantes, quænam sit hæc, aut illa enuntiatio.

Cùm autem interrogare volumus, affirmans ne sit an negans enuntiatio quæpiam; qualis sit ea enuntiatio quærimus.

Cùm verò quærere volumus de aliqua enuntiatione, vniuersalis ne sit, an specialis, an indefinita vel singularis; quanta sit eiusmodi enuntiatio interrogamus.

Quis est vsus doctrinæ de enuntiationibus, præsertim simplicibus?

Doctrina enuntiationum, licet admodùm tenuis, & puerilis videatur, est tamen ad formanda iudicia iuniorum admodum necessaria; quòd in omnibus controuersiis disceptationibusque iudicandis operæpretium sit, ex iis omnibus, quæ persuadendi caussa producuntur, magna industria, & prudēti iudicio notare, quænam sit illa simplex enuntiatio, in qua velut in cardine quodam tota caussa & controuersia voluatur; cuius intuitu & argumentorum pondus examinari, & de tota disceptatione sententia ferri debet. Prolixas enim disputationes & controuersias, argumēta item, rhetorum figuris illustrata, comprehendere animus hominis nequit, nisi ita ad breues & simplices sententias referantur.

In primis itaque in vnaquaque caussa diiudicanda ipsius caussæ scopus, quem rhetores statum vocant, quærendus est, & vnico pronuntiato comprehendendus: deinde cum illo vniuersæ disputationis argumenta, in breuissimas item, atque simplicissimas sententias redacta, sunt conferenda. Exempli gratia, totius disputationis Milonianæ status hac enuntiatione simplici comprehenditur: Clodius iure cæsus est. Argumenta autem hoc syllogismo, in tres simplices enuntiationes contracto, includuntur:

Vim vi arcere ius naturæ permittit,
Milo vim vi arcens Clodium occidit,
Iure igitur occidit.

Atque sic pronuntiatorum vim vsumque maximum cernere licet. idem clariùs conspicietur in syllogismis contexendis, aliisque efficiendis argumentationibus; denique in locis, reliquisque Dialecticæ partibus excutiendis.

DE OPPOSITIS.

ABSOLVTIS illis, quæ de nomine, verbo, oratione, enuntiatione eiusque speciebus explicat Aristoteles; nunc de oppositione dicendum est, vbi primùm nobis monendus est lector, quemadmodum in simplicibus vocibus vel rebus oppositio reperitur (de qua suprà statim post categorias à nobis dictum est, & in locorum tractatu iterum dicendum erit.) Ita quoque simplicibus enuntiationibus suam inter se esse oppositionem, seu, vt Aristoteles loquitur, contradictionem, de qua in præsenti tractatu agitur.

nam

nam hæc oppositio, categoricæ enunciationis proprietas est quædam, ob idque deinceps ab Aristotele explicatur: eiusdem enim disciplinæ est, subiectum ipsum, & subiecti proprietates accidentiaque pertractare.

Quomodo igitur ab Aristotele definitur contradictio seu oppositio?

Hoc modo:

Καὶ ἔστω τοῦτο ἀντίφασις, κατάφασις καὶ ἀπόφασις ἀντικείμεναι.

PER. Sit autem contradictio, affirmatio negatioque contrariæ.

COL. *Contradictio est affirmatio, negatioq; contrariæ.*

ARG. Contradictio est affirmatio & negatio, quæ opponuntur.

Hoc est, Oppositæ enuntiationes sunt, quarum altera est affirmans, altera negans, eorundem extremorum sensum vnum non ancipitem continentium. Aristoteles autem, ne incertus hæreret lector, quænam affirmatio & negatio oppositæ essent; ita quid sit opponi, declarat.

Λέγω δὲ ἀντικεῖσθαι τὴν τοῦ αὐτοῦ κατὰ τοῦ αὐτοῦ, μὴ ὁμωνύμως δὲ, καὶ ὅσα ἄλλα τῶν τοιούτων προσδιοριζόμεθα πρὸς τὰς σοφιστικὰς ἐνοχλήσεις.

PER. Opponi autem contradictorio nomine dico eam, quæ eiusdem rei est, & de eadem re dicit, de qua altera, non ὁμωνύμως, cæterisque omnibus adiunctis, quæ contra sophistarum molestas rationes constituta sunt, & definita à nobis.

COL. *Opponi autem contradictorio nomine dico eam, quæ eiusdem rei est, & de eadem re dicit, de qua altera, non ὁμωνύμως, cæterisq; omnibus adiunctis, quæ contra sophistarum molestas rationes afferre solemus.*

ARG. Opponi eam dico, quæ est eiusdem de eodē non æquiuocè, & quæcunque alia determinauimus, ad sophistarum molestias euitandas.

Hoc est: Oppositæ sunt affirmatio & negatio eiusdem prædicati atque subiecti non æquiuocè sumpti, ad idem, secundùm idem, similiter, & in eodem tempore. quæ omnia ex definitione Elenchi, ad definitionem oppositarum enunciationum transferri & accommodari debere, indicat Aristoteles.

Quorsum addit Aristoteles (eiusdem de eodem?)

Vt doceat has non esse oppositas: Aethiops est niger, & Germanus non est niger.

Neque item has:

Maro fuit gratus Augusto: Virgilius non fuit gratus Augusto: Omnis cygnus est albus, & quidam cygnus non est candidus. Vult enim Aristoteles idem esse subiectum atque prædicatum in vtraq.

enuntiatione, non significatione tantùm, verumetiam voce, quod repugnantiam seu oppositionem indicet non in mente solùm, sed etiam in vocibus ipsis conspici debere.

Cur ponit Aristoteles in sua definitione istam partẽ [non æquiuocè?]

Quia ὁμωνυμία oppositionem enuntiationum tollit. Non enim opponuntur istæ enuntiationes, Cato se occidit, Cato se non occidit; si ambiguè in ipsis Catonis nomen accipiatur: in vna nimirum pro Vticensi, & in altera pro Censorio Catone.

Cur adiunxit istam partem (ad idem?)

Non sine caussa; nam defectu eius hæ non opponuntur, Decem sunt dupla, Decem non sunt dupla; si in affirmatione duplum acceperis, vt ad quinque fiat relatio, in negatione verò ad sex.

Cur istam partem (secundùm idem) additam putas?

Quia si in contradictione reperiatur aliquod vocabulũ relatum seu comparatum, debet fieri comparatio secundùm idem; alioquin non constaret oppositio. Quare hæ non sunt oppositæ, Ioannes excellit Paulo, Ioannes non excellit Paulo: si vna de excellentia secundùm virtutem, & altera de excellentia secundùm eruditionem accipiatur.

Cur additum est (similiter?)

Quia oportet prædicatum in vtraque oppositionis parte similiter accipi. Nam si quis dixerit Socratem currere, intelligens de cursu quouis in genere: & alter Socratem non currere dicat, intelligens de cursu veloci; non erunt tales enuntiationes inter se oppositæ vel contradicentes.

Cur additum est (in eodem tempore?)

Quia connexio vel separatio subiecti & prædicati in vtraque enuntiatione ad vnum idémque tempus referri debent. Si enim dicas, Iob est vlcerosus; Iob non est vlcerosus; referens ad tempora diuersa, nulla erit oppositio.

Recita oppositarum diuisionem.

COL. *Oppositarum aliæ sunt* { *Contrariæ,*
Subcontrariæ,
Contradicentes. }

LOV. Oppositarum aliæ sunt { Contrariæ,
Subcontrariæ,
Contradictoriæ. }

Quomodo definit Aristoteles enuntiationes contrarias?

Hoc modo:

Ἐὰν μὲν οὖν καθόλου ἀποφάνηταί τις ἐπὶ τοῦ καθόλου ὅτι ὑπάρχει ἢ μὴ ἔσονται ἐναντίαι αἱ ἀποφάνσεις.

PER. Si quis aliquid omnino inesse aut non inesse in quadam re vniuersa confirmet, contrariæ erunt enuntiationes.

COL. *Contrariæ enuntiationes sunt, si quis aliquid vniuersè inesse, aut non inesse in quadam re vniuersa confirmet.*

ARG. Si quispiam vniuersaliter quidem de vniuersali enuntiat, competere, inquam, aut non competere quippiam, erunt enuntiationes istæ contrariæ.

Hoc est, Contrariæ enuntiationes sunt oppositæ, quarum altera est vniuersalis affirmatio, altera vniuersalis negatio: vt, Omne animal est lapis, & nullum animal est lapis. In priori denotatur, lapis animali vniuersè inesse: in posteriori, vniuersè ab eodem remoueri.

Similiter, Omne album fuit nigrum, & Nullum album fuit nigrum, sunt contrariæ enuntiationes.

Quomodo subcontrariæ secundùm Aristotelem definiuntur?

COL. *Subcontrariæ sunt, cùm in re vniuersa non vniuersè aliquid inesse, aut non inesse enuntiatur.*

LOV. Subcontrariæ sunt, in quibus de vniuersali non vniuersaliter aliquid enuntiatur.

Hoc est, sunt oppositæ, quarum altera est particularis vel indefinita affirmatio, altera verò talis negatio: vt, Aliquis homo est probus, aliquis homo non est probus.

Quomodo definit Aristoteles contradicentes enuntiationes?

Hoc modo:

Ἀντικεῖσθαι μὲν οὖν κατάφασιν ἀποφάσει λέγω ἀντιφατικῶς, τὴν τὸ καθόλου σημαίνουσαν τοῦ αὐτοῦ, ὅτι οὐ καθόλου.

PER. Affirmatio igitur negationi contradictorio nomine opponitur, quæ rem vniuersam in eodem inesse dicit, sed non omnino.


COL. *Contradicentia sunt affirmatio & negatio, quarum altera vniuersè aut inesse, aut non inesse dicit; altera verò non omnino.*

ARG. Affirmationem & negationem opponi contradictoriè quidẽ dico, cùm vniuersaliter altera significat de eodem, altera verò non.

Hoc est, Contradicentes enuntiationes sunt duæ enuntiationes ex iisdem constantes extremis, quarum altera est vniuersalis, altera particularis; & altera aiens, altera verò negans: cuiusmodi sunt istæ, Omnis albedo dissipat visum, Aliqua albedo non dissipat visum.

Sequitur ſchema, ad ea, quæ ſuperiùs de oppoſitis enuntiationibus dictà ſunt, faciliùs memoriæ commendanda perutile. in quo etiam ſubalternas (licet propriam oppoſitionis rationem non habeant) aliorum Dialecticorum exemplo adiunximus.

Omnis albedo diſſipat viſum. CONTRARIAE. Nulla albedo diſſipat viſum.



Aliqua albedo diſſipat viſum. SVBCONTRARIAE. Aliqua albedo non diſſipat viſum.

OPPOSITIONIS, PAVLO LATIVS EXTENSAE, quàm eam extendit Ariſtoteles, ſecundùm ſcholarum receptam doctrinam explicatio.

QVAE hactenus de oppoſitione tradidimus, ad ea quæ apud Ariſtotelem de ſimplicium enuntiationum oppoſitione extant vtcunque intelligēda, haud dubiè ſufficiunt: verùm cùm Ariſtoteles ad id tantùm ſimplicis enuntiationis genus, quod ex ſubiecto communi conſtat, oppoſitionem retulerit (ſicut ex iis, quę dicta ſunt, manifeſtum eſt) crediderunt recentiores ſe rem non inutilem facturos, ſi paulò latiùs ſpatiantes oſtenderent, nullum eſſe omnino enunciationis vel ſimplicis vel cōpoſitæ genus ab oppoſitione alienum. itaq. iſtius rei declarationem hoc loco veluti auctarium quoddā doctrinæ Ariſtotelicæ adiunxerunt, quorū exemplum nos quoq. ſumus ſecuti. ſi cui tamē hæc tractatio, quę ſpinoſior eſt, non placet, longa eā pertica tranſilire poterit, vſq. ad vſum oppoſitionis, aut etiam ad leges oppoſitarum enuntiationum, de quibus paulo infrà ſecūdùm Ariſtotelis doctrinam dicturi ſumus.

Quo-

Quomodo definiuntur opposita enuntiationes secundùm doctrinam Neotericorum?

C o l. *Opposita sunt affirmatio & negatio eiusdem attributi & subiecti, in quibus reperitur vel eadem vox vniuersè accepta tantùm, vel tantùm vox non vniuersè accepta, vel neque vniuersè vtrobique, neque non vniuersè.*

L o v. Oppositæ enuntiationes sunt, affirmatio & negatio eiusdem de eodem, in quibus vox aliqua cõmunis bis vniuersè, & nulla bis speciatim sumitur: vel è diuerso, in quibus vox aliqua cõmunis bis speciatim capitur, & nulla bis vniuersè: vel in quibus nulla vox cõmunis aut bis vniuersè, aut bis speciatim accipitur.

Prima partis exemplum.

Omnis homo est temperans: &, Nullus homo est temperans.

Secunda partis exemplum.

Quædã gloria est expetẽda: &, Quædã gloria non est expetenda.

Tertia partis exemplum.

Nullum maleficium impunè committitur: &, Aliquod maleficium committitur impunè.

Quomodo definiuntur contraria enuntiationes secundùm Neotericorum doctrinam?

C o l. *Contraria sunt opposita, qua habent aliquam eandem vocem vniuersè acceptam, & nullam eandem, qua non vniuersè vtrobique sumpta sit.*

L o v. Contrariæ sunt oppositæ enuntiationes, in quibus vox aliqua communis bis vniuersè, & nulla bis speciatim accipitur.

Vt huic, Cuiusque hominis oculus est dexter, contraria est ista: Nullius hominis oculus est dexter: non autem ista, Cuiusque hominis oculus non est dexter, eò quòd vna vox communis, videlicet oculus, & in ista negatione, & in priori affirmatione speciatim ponatur.

Item hæ contrariæ sunt: Omnis homo necessariò mouetur, & omnis homo necessariò non mouetur: Ioannes omnem equum possidet: & Ioannes nullum equum possidet: Semper flant Fauonij, & nunquam flant Fauonij: Vbique sunt pigmæi, & nusquam sunt pigmæi.

Defini subcontrarias enũtiationes secundùm Neotericorũ sententiam.

C o l. *Subcontraria sunt opposita, in quibus reperitur aliqua*

eadem vox non vniuersa, & nulla eadem vniuersè sumpta.

LOV. Subcontrariæ, sunt oppositæ enuntiationes, in quibus aliqua vox bis speciatim, & nulla bis vniuersè ponitur.

Vt, Alicuius hominis omnes dentes sunt acuti, alicuius hominis aliqui dentes non sunt acuti: Omnis homo potest ambulare, & quidam homo potest non ambulare.

Non autem hæ, Aliquis homo semper dormit, & aliquis homo nunquam dormit: quia in eis est vna vox communis bis vniuersè sumpta; suntque simul falsæ. Sed subcontraria prioris est hæc, Aliquis homo aliquando non dormit: & posterioris ista, Aliquis homo aliquando dormit.

Quomodo definiunt Neoterici contradicentes enuntiationes?

COL. *Contradicentia sunt opposita, in quibus neque eadem reperitur vox non vniuersa, neque eadem vniuersè accepta.*

LOV. Contradicentes enuntiationes, sunt oppositæ enuntiationes; in quibus nulla vox communis aut bis vniuersè, aut bis speciatim accipitur.

Vt, Cuiusque hominis omnes virtutes omnibus sunt notæ: &, Alicuius hominis aliquæ virtutes non omnibus sunt notæ. Ioannes omnem regionem vidit, Ioãnes aliquam regionem non vidit.

ADMONITIO.

Admonent hîc determinationes acceptas vnica acceptione posse in subcontrariis vtrobique vniuersè sumi: vt hæ sunt subcontrariæ, Homo habens omnem pecuniam, est pauper; homo habens omnem pecuniam non est pauper.

Item posse vtrobiq. speciatim capi in cõtrariis: vt in istis, Omne caput asini auritum est, & omne caput asini non est auritum.

Tertiò posse in cõtradicentibus vtrinq. tum vniuersè, tum speciatim sumi: vt hæ sunt cõtradicentes, Omnis equus hominis currit, aliquis equus hominis non currit: item, Omnis equus cuiuslibet hominis currit, aliquis equus cuiuslibet hominis non currit.

Sed hæc sophisticen nonnihil videntur redolere, ac proinde ab eorum latiore declaratione abstinemus: hoc interim admonentes, non licere talibus determinationibus vniuersitatis notam in vna oppositarũ addere, in altera adimere, salua oppositione: non enim essent eiusdem de eodem. vt in exemplo iam commemorato, si in affirmatione dicatur, omnis equus cuiuslibet hominis; & in negatione, aliquis equus cuiusdam hominis; clarum est, subiectum non mansurum idem. Sed in hac re, quòd ab aliis satis supérque tractata sit, nolumus in præsentia diutiùs immorari.

ADMONITIO ALTERA.

Istud prætereà admonemus, Omni enũtiationi, qualiscunque fuerit, respondere aliquam contradicentem; quia hæc oppositio neque vniuersali, neque speciali vocis acceptioni est adstricta.

Cæteræ verò duæ alteri harum sunt deuinctæ, ideóque non in omnibus enunciationibus possunt inueniri, vt quæ nullam habent vocem vniuersè sumptam, non possunt habere contrariam: vt, Aliquis homo est albus.

Quæ verò nullam habent vocem particulatim sumptam, carent subcontraria. cuiusmodi est ista, Nullus homo est equus.

Et quo plures eædem voces vniuersè sumuntur in duabus oppositis, eò magis contrariæ sunt.

Quo verò plures speciatim, eò magis sunt subcontrariæ.

Quæ est descriptio subalternarum?

COL. *Subalternæ sunt duæ propositiones eorundem extremorum, eiusdemq; qualitatis, in quarum altera inuenitur vox vniuersa, quæ non in altera; & non è diuerso.*

LOV. Subalternæ, sunt duæ enuntiationes eorundem extremorum, eiusdémque qualitatis, in quarum altera vox aliqua vniuersè ponitur, quæ in altera specialem habet acceptionem; non autem è diuerso.

Hoc est, Subalternæ sunt duæ enuntiationes simplices in eo tantum inter se differentes, quòd altera sit vniuersalis, altera verò specialis.

Quænam ex subalternis iudicatur vniuersalis, & quæ specialis?

Semper in subalternis vox aliqua cõmunis ita posita esse debet, vt in altera vniuersè, in altera speciatim accipiatur: eam subalternam, in qua huiusmodi vox communis vniuersè ponitur, vniuersalem; illam verò, in qua speciatim accipitur, specialem vocant.

Profer aliquod exemplum subalternarum.

Semper homo vigilat, & aliquando homo vigilat: Omnis homo est albus, & aliquis homo est albus: Ioannes nihil scit, & Ioannes aliquid non scit. Cuiusque hominis omnis equus est candidus, & alicuius hominis equus est candidus, vel cuiusque hominis aliquis equus est candidus.

Quis est vsus oppositionis?

In omnibus cõtentionibus atque controuersiis diligenter aduertendum, quam sententiam cui, & quomodo opponas: nec enim vna est tantùm opponendi ratio, vt ex iis, quæ diximus, est notum: & sæpè, quæ pugnare inter se videntur, reipsa conueniunt, quando aliqua subest ambiguitas extremorum in alterutra enuntiatione.

Deinde nullum maius in dicendo peccatum est, quàm pugnantia dicere; nec vllum certius crassæ inscitiæ signum, quàm eadem in alienis aut dictis aut scriptis non videre. Quare ad confirmandum & confutandum plurimum, quæ dicta sunt, habere momenti perspicuum est.

Diligenter igitur ediscenda, perfectéque cognoscenda sunt oppositionum genera, ad cauendos multiplices errores, ad dirimẽdas quoque & facilè diiudicandas difficiles eruditorum controuersias: sæpè enim videmus in grauissimis caussis homines contentiosos pugnantia miscere. Ad dissoluenda denique captiosa argumenta quãtam adferat vtilitatem oppositionis cognitio, clarius est, quàm vt res nostra egeat probatione.

DE ENVNTIATIONVM OPPOSITARVM LEGIBVS.

AD eorum, quæ ex Aristotele mox afferentur de oppositarum enuntiationum legibus, faciliorem intelligentiam, notandum est, triplicem inueniri enuntiationum materiam.

Vocant autem materiam enuntiationis, subiectum eius atque prædicatum, ex quorum triplici inter se respectu seu comparatione, triplex materiæ distinctio emanat.

Recita igitur istam materiæ enuntiationum diuisionem.

Materiam enuntiationum diuidunt in { Naturalem seu necessariam, Fortuitam, Remotam.

Quæ enuntiatio ex naturali materia dicitur constare?

Cuius vnum extremum, (subiectum inquam vel prædicatum) cum altero cohæret naturaliter; hoc est, vel essentiæ partem denotat, vel rem necessariò cum ea cohærentem.

Neque hîc refert, vtrum aientes sint enuntiationes an negantes, vtrùm veræ an falsæ: vt, Homo est animal, Substantia est corpus, Nullus homo est animal.

Quæ enuntiatio ex fortuita materia constat?

Cuius extrema, licet non necessariò coniungãtur, possunt tamen inter se cohærere.

Vt, Socrates sedet, Nullus equus est albus.

Quæ enuntiatio dicitur remotam materiam habere?

Quæ ex pugnantibus constat extremis.

Hoc est, talibus, quæ interueniente copula præsentis temporis non possunt verè de se mutuò affirmari: vt, Homo est equus, Nullus lapis est metallum, Aliquod album erit nigrum.

Quis

Quis est vsus istius discriminis materiæ enuntiationum?

Hæc distinctio materiæ enuntiationum conducit ad disceptationum status rectè diiudicandos, necnon ad argumentorum vim prudenter expendendam. plurimùm enim refert scire, quæ argumenta necessaria, quæ fortuita, quæ impossibilia sint. necessaria nanque fidem & scientiam; fortuita opinionem & coniecturam pariunt: impossibilia verò, præterquàm quòd sunt ipsa falsa, etiam sententiam, cui probandæ adhibentur, falsitatis suspectam plerunque reddunt. Cæterùm, quòd ad leges oppositarum rectiùs intelligendas hæc materiæ distinctio conducat, ex sequentibus meridiana luce clarius euadet.

DE LEGIBVS SEV PROPRIETATIBVS enuntiationum oppositarum.

Quæ est lex contrariarum? Ista:

Ταύτας μὲν (ἐναντίως ἀντικειμένας) οὐκ οἷόν τε ἅμα ἀληθεῖς εἶναι.

PER. Esse hæ simul veræ nullo modo possunt.

COL. *Contrariæ simul veræ nullo modo esse possunt, falsæ tamen simul esse possunt.*

ARG. Fieri non potest, vt contrariæ sint simul veræ.

Quomodo intelligi debent ista verba?

Vniuersè sunt intelligenda, hoc nimirũ sensu, quòd nullæ sint, nec esse possint enuntiationes contrariæ, quæ simul, seu ad vnum idémque tempus relatæ, veritatem contineãt: vt in his & similibus videre licet, Omnis homo est animal, & nullus homo est animal: Omnis equus est elephas, & nullus equus est elephas; quæ simul veræ esse non possunt.

DE CONTRARIIS FALSIS.

Tametsi contrariæ enuntiationes simul esse veræ nequeant, frequenter tamen accidit eas simul esse falsas: idque potissimùm in materia fortuita; cuiusmodi est istarum materia, Omnis equus est albus, & nullus equus est albus.

Non itẽ in alia materia, nisi fortè fuerint enuntiationes ex materia naturali inordinatæ: vt, Omne animal est homo, & nullũ animal est homo; aut prędicato affirmãtis enuntiationis contra cõmunem loquẽdi modum addatur signum vniuersale: vt, Omnis equus est omne animal, & nullus equus est animal; quæ sunt simul falsæ.

Idem etiam accidit in quibusdam, quæ remotam habent materiam: vt, Omne album fuit nigrum, & nullum album fuit nigrum.

Quæ est lex subcontrariarum? Ista:

Τὰς δὲ ἀντικειμένας ταύταις (ἐναντίως) ἐνδέχεταί ποτε ἐπὶ τοῦ αὐτοῦ συναληθεύειν.

PER. At his contrariæ simul in eodem dici verè possunt.

COL. *Subcontrariæ propoſitiones non poſſunt ſimul eſſe falſæ, ſed veræ ſunt interdum.*

ARG. Fit vt ſubcōtrariæ veræ nōnunquã ſint de eodem.

In quibus ſubcontrariis contingit vt ambæ ſint veræ?

In quibus maximè locũ habeat iſtud, facile eſt ex iis, quæ circa ſecundam partẽ legis contrariarum diximus, intelligere: nam ſemper, cùm contrariæ ambæ ſunt falſæ, tum neceſſarium eſt, ſubcontrarias illis oppoſitas, veras eſſe.

Exempla breuitatis ſtudio prætermittimus.

Quid addunt recentiores huic ſubcontrariarum legi?

Alienum eſſe à ſubcontrariarum enunciationum natura, vt vel ambæ ſint falſæ vel impoſſibiles, vel vna impoſſibilis, & altera fortuita. Cæterùm fieri poſſe, vt ambæ ſint neceſſariæ, atque etiam vt vna ſit neceſſaria & altera fortuita.

Ratio & exempla patent ex iis quæ ſuprà ſunt dicta.

Quæ eſt lex contradicentium enuntiationum?

Οσαι μὲν οὖν ἀντιφάσεις τῶν καθόλου εἰσὶ καθόλου, ἀνάγκη τὴν ἑτέραν ἀληθῆ εἶναι ἢ ψευδῆ.

PER. Quapropter quæ ex rebus vniuerſis contradictoriæ conſtant, ídque omnino & totum, earum neceſſe eſt alteram veram eſſe vel falſam.

COL. *Contradicentes enuntiationes neque ſimul veræ eſſe poſſunt vnquam, neq; ſimul falſæ; ſed earum neceſſe eſt alteram veram eſſe, & alteram falſam.*

ARG. Contradictiones ita ſeſe habent, vt altera pars eàrum ſit neceſſariò vera, altera falſa.

Quare ſi vna earum vera ſit, neceſſe eſt reliquam eſſe falſam: & è contrario, ſi falſa eſt vna, oportet alteram eſſe veram. quam quidem acerrimam repugnantiam in nullo alio oppoſitionis genere cernere licet.

Quis vſus eſt iſtius contradicentium enuntiationum legis?

Eſt hæc lex, primum Metaphyſicæ principium, adeò manifeſtæ & euidentis veritatis, vt intellecta verborum ſignificatione, nemo ſanæ mentis poſſit non illi ſtàtim aſſentiri (vt in pleriſque locis teſtatur Philoſophus) apud quem ſolet ad hunc modum citari:

„ *De quolibet eſt affirmatio vel negatio vera, de nullo verò ſimul.*

Hoc eſt, de qualibet re per ſubiectũ ſignificata, neceſſe eſt aientem enunciationem veram eſſe, aut negãtem eorundem extremorum. Vtranque autem ſimul veram eſſe non contingit: vel, vt alij explicant, de quolibet ſingulari verè enuntiatur vocabulum finitum vel infinitum ei oppoſitum, de nullo verò vtrunque ſimul.

Quomodo tamen explicatum hoc generale pronuntiatum non nihil

nihil à lege contradicentium enuntiationũ modò exposita recedit.

Stabiliuntur præterea hoc generali principio tanquam fundamento, omnes argumentationes qualescunque fuerint, & in vniuersum omnes disciplinæ inferiores: vt ex sequentibus manifestius euadet.

Quin & cæterarum oppositarum leges per hanc probantur: idcirco enim fieri non potest, vt contrariæ sint simul veræ; quia ex hoc consequeretur, contradicentes enuntiationes simul veras esse, cùm veritatem vniuersalis enũtiationis necessariò specialis enuntiationis veritas sequatur.

Atque ideo non possunt subcontrariæ esse simul falsæ, quia tum contradicẽtes enuntiationes simul falsitati obnoxiæ essent. nam ex falsitate specialis enũtiationis, falsitas vniuersalis rectè cõcluditur.

Quæ est appendix huius legis?

Eam esse contradicentium enuntiationum naturam, vt neque necessariæ neque impossibiles ambæ esse possint; neque tales, vt vna vel necessaria, vel impossibilis sit, altera existente fortuita.

Prætereà omnem hypotheticam disiunctam ex duabus contradicentibus enuntiationibus compositam, esse necessariam. Copulatam verò impossibilem, licet interim nulla eius pars seorsum considerata sit impossibilis.

Admonitio de voce (simul)

Hoc postremò admonendũ est, cùm diximus in his legibus contradicẽtes enuntiationes non posse esse simul veras, &c. aduerbium coniungendi (simul) non ad verbum (posse) sed ad id quod sequitur (esse veras) esse referendum.

Vt hæc sit sententia, Fieri non posse, vt contradicentes enuntiationes simul, hoc est, vno eodémque tempore, veritatẽ contineant: non autem ista, Contradicentes enuntiationes non habere simul potestatem veritatis designandæ. quam sententiam falsam esse arguunt illæ contradicentes enuntiationes, quæ sunt ex fortuita materia conflatæ.

Quæ est lex subalternarum?

Lex subalternarum est, si vera sit vniuersalis, specialem quoque debere esse veram, & non è contrario: nam si specialis sit vera, non continuò ob id sequitur, vniuersalem quoque veram esse.

Prætereà, si specialis sit falsa, vniuersalem à falsitate immunem esse non posse; non autẽ è diuerso. Quæ omnia ex se perspicua sunt, & sine longiori declaratione facilè ab omnibus intelliguntur.

DE AEQVIPOLLENTIA, seu ἰσοδυναμίᾳ.

CONSVEVERVNT Neoterici oppositis enuntiationibus explicatis, de earum ἰσοδυναμίᾳ, seu (vt vocant) æquipollentia protinus

protinus instituere sermonem; neque id malè: quandoquidē ęquipollentiæ præceptiones cognitionem recētem oppositionum exigunt, vt sequentia perspicuè docebunt. deinde ἰσοδυναμία seu æquipollentia facit, vt oppositę alioqui enūciationes, atque inter se tum veritate falsitatéve, tum aut qualitate, aut quantitate, aut vtraque dissentientes, rursum inter se vniantur, atque veritate & falsitate, qualitate item & quantitate, inter se conueniant atque consentiant. Quocirca nos quoque illorum secuti vestigia, æquipollentiæ tractationem hoc loco persequemur.

Quid est isodynamia seu æquipollentia?

Isodynamia est duarum enūtiationum categoricarum, quarum subiecta diuersis affecta sunt signis, in vnam eandémque significationem per negationem, eiusmodi signis præpositam, aut postpositam, aut simul & præpositam & postpositam, reuocatio.

Quot tradere solent de isodynamia generales regulas?

Tres, veriùs grammaticas quàm dialecticas. sed (quoniam ex grammaticis scholis signorum vim & mutationem ad Logicen, vti oportebat, pueri ferè non adferunt) vtiliter hîc à Dialecticis repetitas, quòd earum cognitio ad doctè prudentérque disputandum in primis sit necessaria.

Quæ est prima isodynamiæ regula, & quarum enuntiatiónum oppositionem respicit?

PRIMA REGVLA, QVAE

Contradicentes respicit enunciationes, est ista:

C O L. *Quoties negatio præponitur signo vniuersali vel particulari, ipsa idem valere facit propositiones inter se alioqui contradictorias.*

L O V. Si cuipiam signo vniuersali aut speciali præfigatur negatio, enunciationes alioquin contradicētes ad vnam eandémque reuocabit sententiam.

Vt cùm inter se contradicant, Nulla voluptas est bona, Aliqua voluptas est bona: Si earum vni præponas negationem; vt exempli caussa vniuersali, ac dicas, Nōnulla voluptas est bona; fiet vt hę duę, Nōnulla voluptas est bona, & aliqua voluptas est bona, veritate inter se, & falsitate, itē quātitate ac qualitate consentiāt; & per hoc, vt regula ipsa proponit, idē valeant, & eiusdem penitùs sint sentētiæ.

Ad eúdem modum, si speciali signo præponatur negatio, nempe huic, Aliqua voluptas est bona; atque ita dicatur, Non aliqua voluptas est bona; erunt istę simul veræ & simul falsæ, Non aliqua voluptas est bona, & nulla voluptas bona est: quæ aliâs veritatem inter se falsitatémque diuidebant: eruntque ambæ vniuersales, cùm altera alioqui specialis fuerit. denique ambæ negabunt, cùm ante additam negationem altera affirmandi vim habuerit.

ADMONITIO.

Ad eum modum regulam commemorauimus, quo in scholis recitari consueuit: si tamen Laurētio Vallensi creditur, locum habet tantùm in iis vniuersalibus signis, quæ negationēm, non autem in iis quę affirmationem continent: nam ipsius iudicio, si negatio pręponatur signo vniuersali affirmanti, reddit enūtiationem nec vniuersalem, nec etiam particulari neganti æquiualentem. Contendit enim ille, huiusmodi enuntiationem biparticularem esse; quibusdam rebus per subiectum denotatis prędicatum inesse, quibusdam verò non inesse, denotantem: nam cùm vera sit (inquit) aliquis homo non volat, falsa tamen est, non omnis homo volat, significās aliquos volare, & aliquos non volare. Et propterea differt (inquit) à priori, quæ simpliciter est specialis.

Similiter hæc duo, quiuis & quilibet, si negatio illis præfigatur, reddunt (vt idem auctor docet) enuntiationem biparticularem:

Nam Græcam parœmiam, quæ ita habet;

Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἔσθ' ὁ πλοῦς.

Et Latinè redditur, Non est cuiuslibet nauigare Corinthum: vel, vt Horatius dixit,

Non cuiuis homini contingit adire Corinthum;

nemo dixerit orationem esse specialem absolutè negantem, cùm & Græcis & Latinis biparticularem significationem habeat, hoc sensu: Aliquibus datum est Corinthum nauigare, aliquibus verò non. Hæc tamen relinquimus eruditioribus iudicanda.

Cōtra Laurentiū est auctoritas Aristotelis asserentis eam enuntiationē, quæ μὴ παντὶ, non omni inesse significat, esse particularē: quod ex definitione enuntiationis specialis primo Priorum est manifestissimum, vt nobis videatur ex consuetudine intelligendi potiùs quàm ex vi significandi euenire, quod Laurentius dicit.

Quæ est secunda regula isodynamiæ, & quarum enuntiationum oppositionem respicit?

SECVNDA REGVLA ISODYNAMIAE, CONTRARIAS enuntiationes respicit, quæ sic habet:

COL. *Quoties negatio postponitur signo generali, ipsa idem valere facit propositiones, inter se alioqui contrarias.*

LOV. Si cuipiam signo vniuersali postponatur negatio, enuntiationes alioquin contrarias ad vnam eandémque sententiam reuocabit.

Vt cùm istæ sint contrariæ: Nulli scire desiderant, & omnes scire desiderant, si prioris enuntiationis signo vniuersali postponatur negatio, dicatúrque, nulli non scire desiderant, efficitur per istam negationis adiectionem, vt quæ enuntiationes antè erant contrariæ, iam sensu & significatione penitùs inter se consentiant.

AD-

ADMONITIO.

Similiter hanc regulam signis affirmantibus non cõuenire Valla contendit, quòd in plerisque existimet nil discriminis esse siue pręponatur negatio, siue postponatur: vt, Omnis auis non est prædita plumis, & non omnis auis est prædita plumis, vtraque (inquit) sine discrimine biparticularis est, neque idem valet quod vniuersalis aut purè particularis: significat enim, plumis quasdam aues esse, quasdam non esse præditas. De qua controuersia idem quod de superiori nobis dicendum videtur, eas nimirum enunriationes, in quibus signo vniuersali affirmanti negatio postponitur, ex crasso quodam & populari intelligendi modo, biparticulares à Laurentio censeri; vniuersales tamen negantes esse, si propria ipsarum vis atque sententia ad subtilem Dialecticorum normam examinetur.

Quæ est tertia isodynamiæ regula, & quam enuntiationum oppositionem respicit?

TERTIA REGVLA ISODYNAMIAE, quæ subalternas respicit, ita habet:

COL. *Quoties negatio tam præponitur, quàm postponitur signo siue generali siue speciali, ipsa idem valere facit propositiones sibi mutuò alioqui subalternas.*

LOV. Si cuipiam signo vniuersali aut speciali præponatur & simul postponatur negatio, enuntiationes alioquin subalternas, ad vnam eandémque sententiam reuocabit.

Vt cùm istæ sint subalternæ, Omnes laudant virtutem, & quidam laudant virtutem; si dicamus, Non omnes non laudant virtutem, signo vniuersali prępostita & postposita simul negatione, commutabitur prior propositio per eiusmodi negationis geminationem, in suæ subalternæ sentẽtiam, idémque significabit quod ista: Quidam laudant virtutem.

Recita versiculum ad faciliorem harum regularum memoriam à Dialecticis excogitatum.

Præ Contradic: post Contra: præ póstque Subalter.

Est ne alia isodynamiæ regula?

Adiicitur prædictis & alia regula ordine quarta, ex duabus prioribus veluti contexta, hæc nimirum:

COL. *Quoties in aliqua propositione duo signa generalia negãtia ponuntur, alterũ quidem, quod ad subiectũ, alterũ verò, quod ad prædicatũ referatur, prius contrario iuxta secũdam regulam, posterius contradictorio iuxta regulã primam æquipollet.*

LOV.

Lov. Si in aliqua enũciatione duo ſigna vniuerſalia negationem includentia ponantur, quorum alterum ad ſubiectum, alterum verò ad prædicatum referatur, prius contrarij, iuxta ſecundam regulam, poſterius contradicentis ſigni, iuxta regulam primam, vim obtinebit.

Profer huius regulæ exempla.

Huius regulæ exempla ſunt, Nemo nunquam errat, Nullum corpus nuſquam eſt. quorum ſenſus eſt, Omnis homo aliquando errat, Quoduis corpus alicubi eſt. Talia ſunt & iſta, Nemo nuſquam eſt, Nunquam nemo ſapuit.

Verùm quoniam huiuſmodi loquendi formæ apud idoneos & probatos auctores raro occurrunt; iis in præſentia cum aliis enuntiationibus, quas additis negationum plauſtris hîc fingere conſueuerunt prolixiſſimas, omiſſis, quis ſit vſus & vtilitas huius iſodynamiæ, breuiter dicemus.

Quis eſt eius, quæ modò explicata eſt, iſodynamiæ vſus?

Iſodynamia cõducit non mediocriter ad iudicium rectè formandum circa propriam & natiuam enuntiationum ſignificationem.

Nam inde faciliùs iudicare poſſumus de obſcuriorum enuntiationum tum qualitate tum quantitate, & veritate atque falſitate. vt ſi quiſpiam dubitet, quanta qualis ve ſit iſta enuntiatio, Nonnullus ſapiens eſt diues; facillimè ſe ex eiuſmodi dubitatione expediet iſodynamiæ adminiculo: Si videlicet in iſtam enuntiationem, Aliquis ſapiens eſt diues (quæ dubiæ enuntiationi ſecũdùm ſuperiorem iſodynamiæ doctrinam reſpondet) mentis oculos intendat. quod enim in vna æquipollente perſpicuè videt, idẽ in altera quoque eſſe, licet minus perſpiciatur, certò conſtituet.

Deinde ſi hæc vera ſit, Aliquis ſapiens diues eſt; erit & altera vera, Non nullus ſapiens eſt diues: hoc enim exigit æquipollentium natura, vt vnius veritatem alterius veritas comitetur.

Poſtremò ad copiam augendam iſodynamia valet plurimùm; ad locupletandam enim orationem multum conducit, poſſe multas excogitare loquendi formas, atque ex iis (velut ex magno floſculorum cumulo) aptiſſimam elegantiſſimámque deligere.

TRANSITIO.


Atque hæc habuimus, quæ de categoricarum enuntiationum affectionibus duabus, oppoſitione nimirum & iſodynamia, dicenda viderentur. Reſtat nunc conuerſio, quæ & ipſa affectio quædam eſt iſtiuſmodi enuntiationum, cuius maximus vſus in ſyllogiſmorum imperfectorũ probatione cernitur. Ideóque diligenter nobis

L exponen-

exponenda est, sed non hoc loco, quo alij eam tradere consueuerũt: quia ad Aristotelis ordinem iam ab initio nos obstrinximus. Is autem in primo τῶν ἀναλυτικῶν προτέρων ea tradit, quæ ad conuersionis pertinent explicationem.

Quocirca nunc doctrina primæ huius libri περὶ ἑρμηνείας partis summatim ante oculos posita, secundam eius partem aggrediemur.

OMNIVM EORVM, QVAE PRIORI PARTE LIBRI περὶ ἑρμηνείας continentur, ad iuuandam puerorum memoriam, generalis comprehensio.



PARS

PARS SECVNDA LIBRI ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ.

DIXIMVS antè librum Περὶ ἑρμηνείας apud Aristotelem vnicum esse, & continuata serie perscriptum (teste præter alios Politiano:) at posteriores Dialectici, quos nunc scholæ sequuntur, in duos libros eum secuerunt, quorum secundum hîc incipiunt, quòd inter ea, quę hactenus dicta sunt, & ea quæ deinceps sequuntur, satis magnam differentiam esse iudicarint ad noui libri distinctionem efficiendam.

Nam priùs egit Aristoteles potissimùm de enuntiatione simplici, huiúsque partibus, & proprietate, quæ dicitur oppositio.

Deinceps verò agit de simplicium enuntiationum variè in suo subiecto, prædicato, aut copula affectarum inter se cohærentia, oppositione & ἰσοδυναμίᾳ.

Quot sunt regulæ, quibus Neoterici complexi sunt Aristotelis doctrinam de simplicium enuntiationum, in quibus prædicatum per negationem, nunc additam, nunc remotam, variatum est, inter se cohærentia? Duæ.

Quæ est prior regula?

COL. *Ab affirmatione ad negationem bona est consequentia, attributo variato secundum finitum & infinitum.*

LOV. Affirmans enuntiatio in negantem mutari, ex eáque per legitimam cõsecutionem inferri potest, prædicato variato secundum finitum & infinitum, comparatione eiusdem subiecti.

Quando dicitur prædicatum variari secundùm finitum & infinitum?

Prædicatum dicitur variari secundùm finitum & infinitũ, quando ipsi sumpto in antecedente sine negatione additur in consequente negatio: aut contrà, sumpto in antecedente cum negatione, in consequente adimitur negatio: vt, Paulus est sincerus, ergo Paulus non est non sincerus: siue quod eòdem recidit, ergo Paulus non est insincerus.

Quæ est ratio istius regulæ?

Istius regulę ratio est, quia alioqui contingeret voces, inter quas est contradictionis oppositio, de vno eodémque singulari subiecto verè dici, quod aduersatur primo Dialecticæ principio.

Quot sunt cõditiones obseruãdæ, vt hæc regula in vniuersum sit vera?

Duæ, quarum prima est; vt totum prædicatum mutetur secundùm finitum & infinitum: cuius conditionis neglectu vitiosa est ista consecutio, Ego video equum, ergo non video non equum. Possum namque simul videre equum & non equum: sed ad hunc modum concludi debuit, ergo non sum non videns equum.

SECVNDA VERO:

Quando fit argumentatio ex enuntiationibus constantibus ex verbo præteriti vel futuri temporis, oportet in antecedente tempus vniuersè accipi, vel in consequente speciatim; aut cum relatiuo quod denotet verbum ad idem tempus in consequente esse referendum, ad quod in antecedente referebatur: nam fieri debet, vt loquūtur, verificatio pro eodem tempore. Vnde non sequitur, Homo fuit doctus, ergo nunquam fuit indoctus; sed sequitur, Homo semper fuit doctus, ergo nunquam fuit indoctus. Item rectè sequitur, Homo fuit doctus, ergo aliquo tempore, vel eodem tempore non fuit indoctus.

Alias conditiones prolixitatis vitandæ gratia relinquimus: neq. enim omnia persequi est animus, præsertim in hoc tam raro argumentandi genere.

Quæ est posterior regula?

COL. *A negatione ad affirmationem valet consequentia, attributo variato secundum finitum & infinitum, modo rectè ponatur subiectum cohærere.*

LOV. Negans enuntiatio in affirmantem mutari, ex eáque per legitimam cōsecutionem inferri potest, prædicato variato secūdùm finitum & infinitum, modò ritè ponatur existentia subiecti.

Vt, Homo non est iustus, & homo est; ergo homo est non iustus: Item, Homo non est non iustus, & homo est; ergo homo est iustus. Non posita autem existentia subiecti, volunt non sequi. itaque huiusmodi argumentationem improbant, Hircoceruus non est leo, ergo hircoceruus est non leo.

Et ponenda est ritè existentia, secūdùm rationem copulæ. hinc non sequitur, Socrates non fuit albus, & Socrates est; ergo Socrates fuit non albus. Ponenda enim erat subiecti existentia hoc pacto, Et Socrates fuit.

Item non sequitur, Socrates aliquo tempore non fuit homo, & Socrates aliquo tempore fuit; ergo Socrates aliquo tempore fuit non homo, propter existentiam subiecti non rectè positam: debuit enim ad hunc modum poni, Et Socrates eodem tempore fuit.

TRANSITIO.

Sed huiusmodi argutias, vt nos scholarum consuetudo attingere, ita molestiæ & tędij metus leuiter percurrere cogit: quapropter, accurata earum explicatione aliis relicta, ad illa, quæ deinceps apud Aristotelem sequuntur, exponenda pergemus.

DE

DE RATIONE ARGVMENTANDI, VARIATO *subiecto secundùm finitum & infinitum.*

ARISTOTELES apertè dicit, illas enuntiationes, quę subiectum habent infinitum, nullum habere consecutionis vinculum cum iis, quæ ex finito constant subiecto; quod quidem, si propria eiusmodi pronuntiatorum ratio spectetur, verissimum est: neque enim sequitur, non homo est animal, ergo homo non est animal. Recentiores tamen, qua sunt diligentia (ne dicam curiositate) paulò, quàm Aristoteles, subtiliùs & profundiùs hanc rem examinantes, duas tradiderunt regulas: quibus obseruatis, argumentationis firmitas constat, subiecto variato secundùm finitum & infinitum. quæ tametsi non multum necessariæ doctrinæ nobis continere viderentur; quia tamen ab aliis plerisque hoc loco traduntur, atque, si nihil aliud, saltem ad ingenium exercendum, excolendúmque, nonnihil vtilitatis afferunt, non putauimus eas silentio prætereundas.

Quæ est igitur prior regula argumentandi subiecto variato penes finitum & infinitum?

COL. *Ab affirmatione ad negationem valet consequentia, subiecto variato penes finitum & infinitum, modò caueatur, ne vocē in antecedente non distributam, siue vniuersè acceptam, in consequente distribuamus.*

LOV. Ab affirmante enuntiatione ad negantem firma est consecutio, subiecto variato penes finitum & infinitum; hoc seruato, vt non procedatur à voce particulatim in antecedente sumpta, ad eandem vniuersè in conclusione acceptam.

Vt rectè sequitur, Omnis homo est animal, ergo omnis non homo aliquod animal non est.

Quæ est posterior regula?

COL. *A negatione ad affirmationem, subiecto variato penes finitum & infinitum, valet consequentia, modò subiectum antecedentis capiatur vniuersè, non autem subiectum consequentis; & assumatur prædicatum antecedentis cohærere in rerum natura.*

LOV. A negatione ad affirmationem subiecto penes finitum & infinitum variato, legitima consecutio est, modò subiectū antecedentis capiatur vniuersè, non

autem ſubiectum conſequentis:& aſſumatur exiſtere prædicatum antecedentis.

Vt rectè ſequitur, Nullus homo eſt albus, & album eſt, ergo non homo eſt albus.

DE CONIVNCTIS, ET DIVISIS PRAEDICATIS.

DOCET deinde Ariſtoteles plura prædicata diuiſa in vnum cõiungere prædicatum; & vice verſa, vnum prædicatum coniunctum in partes diſſoluere.

Recita eam diuiſionem, quę hoc loco extat apud Ariſtotelem, ad faciliorem eorum, quæ de diuiſis, & coniunctis prædicatis dicenda ſunt, intelligentiam.

Τῶν χωρὶς κατηγορουμένων {
- Τὰ μὲν κατηγορεῖται συντιθέμενα, ὡς ἓν τὸ πᾶν κατηγόρημα γίνεσθαι.
- Τὰ δ' οὔ.

COL. *Ex his, quæ ſeparatim dicuntur,* {
- *Alia cõiuncta & copulata ſic dicuntur, vt vnũ fiat attributum,*
- *Alia verò non.*

ARG. Eorum quæ ſeorſum prædicantur {
- Alia iunctim ſic etiam prædicantur, vt ynum omnia prędicatum fiant.
- Alia verò minimè.

Quid eſt prædicari ſeorſum de ſubiecto aliquo?

Prædicari ſeorſum de ſubiecto aliquo, eſt verè affirmari de eodem ſubiecto in diuerſis pronuntiatis, aut in eodem pronuntiato coniunctione intermedia.

Quid eſt iunctim prædicari de ſubiecto aliquo: ſeu prædicata compoſita eſſe vt vnum; nam pro iiſdem iſta accipimus?

Iunctim prædicari ſeu prædicata compoſita eſſe vt vnum, eſt duas partes prædicati, quæ diuiſim de ſubiecto aliquo dici poſſent, nulla interiecta coniunctione cohærentes, aptè, & ſeruata ea ſententia, quæ foret, ſi diuiſim dicerentur, de eodem ſubiecto enuntiari: vt in his pronuntiatis, Homo eſt animal, & homo eſt rationis particeps, prædicata animal & rationis particeps, de homine dicuntur ſeorſum, dicũtur quoque iunctim ſeu compoſita: vt vnum prædicatum in hoc pronuntiato, Homo eſt animal rationis particeps. Verùm non omnia (inquit Ariſtoteles) quæ ſeorſum dicuntur, compoſita vt ynum dici poſſunt.

Recita

Recita Aristotelis regulas, quibus docet quæ diuisim dicta, composita vt vnum dici non possunt.

PRIOR ARISTOTELIS REGVLA, DE DIVISIS prædicatis, quæ non possunt coniungi vt vnum, est:

Τῶν δὴ κατηγορουμένων, καὶ ἐφ' οἷς κατηγορεῖσθαι συμβαίνει, ὅσα μὲν λέγεται κατὰ συμβεβηκός, ἢ κατὰ τοῦ αὐτοῦ, ἢ θάτερον κατὰ θατέρου, ταῦτα οὐκ ἔσται ἕν.

PER. Eorum igitur, quæ dicuntur, & eorum, de quibus alia dicuntur, quæcunque per accidens ita dicuntur, vt aut de eodem aliquo subiecto dicatur vtraque, aut alterum de altero, ea omnia non vnum efficiunt.

COL. *Prædicata quæ per accidens, aut de eodem aliquo subiecto dicuntur, aut alterum de altero, ea omnia non vnum efficiunt.*

ARG. Quæcunque cùm vel prædicari de aliis, vel aliis subiici apta sint, per accidens aut de eodem, aut alterum de altero prædicantur, ea vnum non erunt.

Quam regulam pertinere vult Faber ad ea prædicata, quæ accidentia quidem significãt eiusdem subiecti, sed inter se collata, prædicationem efficiunt externam, eam videlicet, quæ superiùs prædicatio per accidens est appellata.

Exemplum regulæ proferens Aristoteles, ait: Vt homo & albus quidem est & musicus; sed non vnum est album musicum.

POSTERIOR REGVLA DE DIVISIS PRAEDICATIS, quæ non possunt vt vnum coniungi, est ista;

Ἔτι ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ ἑτέρῳ· οὐκ ἔσται ἕν.

COL. *Vnum etiam quid non constat ex iis omnibus, quæ in altero posita, rursus repetuntur.*

ARG. Præterea nec vnum ea dicentur, quorum alterum alteri inest.

Hoc est, illa prædicata iunctim sumpta, non possunt dici vnum, quorum posterius in priori continetur: vt prædicata horum pronuntiatorum, Ioannes est homo, & Ioannes est animal, non possunt coniunctim, vel vt vnum dici, siquidem ineptè diceretur, Ioannes est homo animal; continetur enim posterius prædicatum in priori.

DE CONIVNCTIS PRAEDICATIS, quæ non possunt diuidi.

Sicut quædam prędicata separata nequeunt coniungi vt vnum; sic quædam coniuncta nequeunt de eodem dici separatim: de quibus Aristoteles subiicit duas exceptiones.

Quæ sunt illæ exceptiones, quas hoc loco recenset Aristoteles?

PRIOR EXCEPTIO EST:

Ὅταν μὲν ἐν τῷ προσκειμένῳ, τῶν ἀντικειμένων τι ἐνυπάρχῃ, ᾧ ἕπεται ἀντίφασις, οὐκ ἀληθὲς, ἀλλὰ ψεῦδος.

CoL. *Cùm id, quod adiunctum est, aliquid repugnans continet, ex quo etiam repugnantia consequatur; falsum est eadem coniunctim, diuisimq́ dici.*

ARG. Cùm in eo quod adiunctum est, repugnans quippiam sic inest, vt ad id contradictio sequatur, ibi non verum, sed falsum dicetur.

Vt in isto pronuntiato, Cadauer est animal mortuum; id quod secundo loco prædicato adiunctum est, sic inest, vt cum priori non possit seorsum de eodem affirmari; & propterea istius prædicati partes diuidi non possunt, vt dicatur verè, Cadauer est animal, & cadauer est mortuum.

ALTERA EXCEPTIO EST:

CoL. *Cùm alterum attributorum fortuitò dicitur, tunc non rectè de eodem subiecto diuisim dicuntur.*

Lov. Quando alterum prædicatorum secundum accidens enuntiatur, tunc non rectè dicuntur diuisim de eodem subiecto.

Aristotelis verba hoc loco sic habent:

Ὅταν δὲ μὴ ἐνυπάρχῃ, τι τῶν ἀντικειμένων, οὐκ ἀεὶ ἀληθές.

ὥσπερ Ὅμηρός ἐστί τι, οἷον ποιητὴς, ἆρ' οὖν καὶ ἔστιν ἢ οὔ; κατὰ συμβεβηκὸς γὰρ κατηγορεῖται τὸ, ἔστι, τοῦ Ὁμήρου. ὅτι γὰρ ποιητής ἐστιν, ἀλλ' οὐ καθ' αὑτὸ κατηγορεῖται κατὰ τοῦ Ὁμήρου, τό ἐστιν.

Hoc est, Quando verò nihil quod repugnet, inest, non semper est verum.

Vt, Homerus est aliquid, nempe poëta; an ne igitur Homerus est? an non esse dicendum est potiùs? per accidēs enim ipsum (est) de Homero dicitur, nempe quia est poëta; sed non per se de Homero ipsum (est) dicitur.

Quid dicitur secundùm accidens enuntiari?

Illud dicitur secundùm accidens enuntiari, quod ratione adiuncti enuntiatur, & non per se: vt in hac enuntiatione, Aethiops est albus secundùm dentes; vox (albus) enuntiatur secundùm accidens de Aethiope: quia dicitur tantùm ratione adiuncti, videlicet (secundùm dentes.) Per se verò album de Aethiope nequaquam diceretur.

Sic in exemplo illo, Cadauer est homo mortuus; homo de cadauere

dauere dicitur duntaxat, ratione adiunctæ vocis, mortuus: & ita de cadauere dicitur per accidens.

Ex quo facilè intelligitur, omnia exempla, quæ ad priorem exceptionem pertinēt, etiam ad hanc pertinere, sed non contrà; quia frequenter euenit, vt alterum prædicatorum secundùm accidens dicatur, non tamen sit inter ipsa oppositio: vt in hoc exemplo, Homerus est poëta.

Neque enim inter se repugnant hæc duo prædicata, esse, & esse poëtam: quia si Homerus viueret, ambo de eodem verè dicerētur.

DE RATIONE ARGVMENTANDI PER PRAEDICATA nunc diuisim, nunc coniunctim accepta.

Quanquam Aristoteli hoc loco propositum non sit vllam argumentandi formulam præscribere; recentiores tamen, qua sunt diligentia atq. sollertia, quòd in verbis Aristotelis subobscurè & velut eminus indicabatur; latè & diffusè sunt persecuti, rationémque à diuisis prædicatis ad coniuncta, & è diuerso, argumentandi, tradiderunt; de hac in præsentia, ne quid à nobis prætermissum esse quisquam calumniari possit, breuiter agemus.

Quid est argumentari à prædicatis diuisis ad coniuncta?

Argumētari à prædicatis diuisis ad cōiuncta, est prædicata in antecedēte separatim sumpta, eadē in cōclusione inferre cōiunctā.

Vt, Petrus est homo, & est doctus; igitur Petrus est homo doctus.

Quot sunt conditiones obseruandæ, vt firma sit ista argumentandi ratio? Tres.

Quæ est prima conditio?

Si subiectum fuerit vox cōmunis, adsciscet sibi relatiuum idem in secunda parte; cuius conditionis neglectu vitiosa est ista argumētatio, Aliquod animal est cygnus, & aliquod animal est nigrum; ergo aliquod animal est cygnus niger: dicendum enim erat, Et idem animal est nigrum.

Quæ est secunda?

Si copula sit præteriti aut futuri temporis, in secunda antecedentis parte fiet (vt loquuntur) verificatio secūdùm idem tempus. contra quam conditionem peccatur in ista argumentatione, Socrates fuit puer, & Socrates fuit sapientissimus; ergo fuit puer sapientissimus: nam dicendum erat in secunda parte, Et Socrates eodem tempore fuit sapientissimus. atque ita, quemadmodum consequens est falsum, sic etiam antecedens.

Quæ est tertia?

Prædicata diuisim sumpta, debent integra & tota inferri, & non tantùm eorum partes. ob quam conditionem omissam sophistica est ista argumentatio, Video coruum, & video album; ergo video

coruum album: deberet enim sic concludi, Ergo sum videns coruum videns album. Quę conclusio quòd ab vsitata Latinè loquendi consuetudine aliena sit, barbara est iudicanda, & ab omni disputatione procul ámouenda.

Similiter non rectè concludit illud vulgatum sophisma, Album dicitur de pluribus differentibus specie, & dicitur in eo, quod quid est; ergo dicitur de pluribus differentibus specie in eo quod quid est: nam consequens est falsum, antecedente vero. Quod indè contingit, quia non repetuntur in consequēte integra prædicata: sed ita concludi debuit, ergo album est dictum de pluribus differentibus specie dictum in eo quod quid est. Quod consequens quoque ineptum est & repudiandum.

Constat igitur, ex talibus pronuntiatis antecedentis loco positis, nunquam rectè procedi à diuisis prædicatis ad coniuncta, in quibus prædicata coniungenda aptè inter se sine coniunctione media cohærere non possunt: vt exempla iam adducta satis declarant.

Quid est argumentari à coniunctis prædicatis ad diuisa?

Est prædicata coniunctim in antecedente sumpta, inferre in conclusione eadem diuisa.

Quot modis hic argumentari licet?

Duobus: affirmando, & negando: non tamen similiter. quia dum argumentamur affirmando, vtimur in consequēte copulandi particula: vt, Paulus est homo pius, ergo est homo, & est pius.

Negando verò argumentantes, disiungendi particulam in consequente adhibemus: vt, Elephas non est bestia alba, ergo elephas non est bestia, vel elephas non est albus.

Quomodo argumentandum est à subiectis coniunctis ad diuisa?

A subiectis coniunctis ad diuisa sic argumentamur:

Homo albus currit, ergo homo currit, & album currit.

TRANSITIO.

Verùm quia nunquam aut perrarò inter disputandum eiusmodi argumētationibus vtuntur eruditi, propterea iis omissis ad modificatas enuntiationes, quas vulgò modales vocant, explicandas, accedimus.

DE MODIFICATIS ENVNTIATIONIBVS.

VENDICANT sibi non immeritò peculiarem apud Aristotelem tractationem enuntiationes illæ, quæ Modales, aut modificatæ, à quatuor modis his, Possibile, Contingens, Impossibile & Necesse, nominantur.

Aliter enim quodāmodo in his & isodynamia & oppositio consideratur, quàm in simplicibus illis, in quibus enuntiatur prædicatum simpliciter de subiecto, citra talium modorum adiectionem.

Quam

Quam vocant modificatam enuntiationem?

Eam enuntiationem modificatam vocant, cuius copula afficitur aliquo horum quatuor modorum, Poßibile, Contingens, Impoßibile, Necesse, vel alia voce eandem vim habente.

Vt sunt: Oportet, potest, accidit, euenit, contingit, exorabilis, inexorabilis, expiabilis, inexpiabilis, aliaque eiusmodi vocabula, quorum significationem per necesse, possibile, vel impossibile, eorúmve synonyma commodè interpretamur.

Quo nomine appellantur eæ enuntiationes, quarum verbalis copula libera est ab istorum modorum affectione?

Alias enũtiationes omnes, quarum copula verbalis his modis affecta non est, vocant enũtiationes de inesse, quia simpliciter & sine dictis modis, prædicatum subiecto inesse vel non inesse denotant.

Quo ordine & qua ratione tractat Aristoteles quæ ad earum enuntiationum, quæ modificatæ dicuntur, cognitionem pertinent?

Harum enuntiationum oppositiones & isodynamias traditurus Aristoteles, constituit quatuor ordines enuntiationum, & in singulis ordinibus quatuor enuntiationes eiusdem planè significationis, idque hoc semper ordine, vt prima constet ex possibili, secunda ex contingenti, tertia ex impossibili, & quarta ex necesse.

Ad qualitatem verò eiusmodi enuntiationum in singulis ordinibus demonstrandam, excogitatæ sunt à Dialecticis voces quædam artificiosæ, singulis respondentes ordinibus, quarum vocales, vbi collocanda aut sit aut non sit negatio, in singulis istorum ordinum enuntiationibus clarè ostendunt.

Voces à Dialecticis excogitatæ sunt hæ:
- Amabimus,
- Edentuli,
- Iliace,
- Purpurea.

Quæ tametsi prima fronte ridiculæ videantur, ad memoriam tamen iuuãdam, & huius loci doctrinam facilè cõprehendendam, mirum in modum sunt accommodatæ, si modò vocalium, quæ in eis cernuntur, significatio rectè sit intellecta, quæ ita se habet:

A, significat nullam omnino adesse debere negationem.

E, significat adhibendam esse verbo tantùm.

I, negationem ponendam esse ad modum tantùm.

V, & ad verbum, & ad modum.

Quæ omnia vulgatus iste versiculus breuiter complectitur:

E, verbum negat, Ique modum, nihil A, sed V, totum.

Est ergo oppositarum, & item æquipollentium seu consequentium se mutuò enuntiationum secundùm Aristotelem descriptio huiusmodi:

CONTRARIAE.

Purpurea.

Hæ 4. æquipollent inter se.

Non possibile est non esse.
Non contingẽs est non esse.
Impossibile est non esse.
Necesse est esse.

Iliace.

Et item hæ 4. æquipollent.

Non possibile est esse.
Non contingens est esse.
Impossibile est esse.
Necesse est non esse.

SVBALTERNAE. CONTRA DICENTES. CONTRA DICENTES. SVBALTERNAE.

SVBCONTRARIAE.

Amabimus.

Et item hæ 4. æquipollent.

Possibile est esse.
Contingens est esse.
Non impossibile est esse.
Non necesse est non esse.

Edentuli.

Et item hæ 4. æquipollent.

Possibile est non esse.
Contingens est non esse.
Non impossibile est non esse
Non necesse est esse.

Explica paulò latiùs quæ superiori schemate obscuriùs indicantur.

Harum enuntiationum talis inter se est ratio, vt omni enuntiationi ex possibili respondeat aliqua ex cõtingenti, aliqua ex impossibili, aliqua ex necessario idem prorsus valens, &, vt loquuntur, æquipollens: & similiter cuiuis ex contingenti respondet aliqua ex possibili, impossibili & necessario, & ita de reliquis.

Fit autem hæc isodynamia enuntiationum, diuersos modos habentium, secundùm varias affirmationes & negationes, nunc modi, nunc verbi, nunc simul vtriusque; vt quiuis facilè videre potest in schemate modò descripto, vbi singulorum ordinũ quatuor enuntiationes inter se æquipollere denotantur. Sic omnes in Purpurea idem valent: Item, quæ sunt in Iliace. & de aliis similiter est iudicandum.

Ad oppositionem verò istorum pronuntiatorum cognoscẽdam, aduer-

aduertendum eſt, pronunciata, quæ in ſuperiori ſchemate vocibus Purpurea & Iliace, ſubiiciuntur, contraria eſſe, propriè quidem, ſi eoſdem modos habeant: vt, Non poſſibile eſt non eſſe, & non poſſibile eſt eſſe: Item, Neceſſe eſt eſſe, & neceſſe eſt non eſſe.

Impropriè verò & ſecundùm ſignificationem duntaxat, ſi ex diuerſis conſtent modis: vt, Non poſſibile eſt non eſſe, & neceſſe eſt non eſſe; quia diuerſitas modorũ, etiam extremorum diuerſitatem inducit, quam non patitur propriæ & abſolutæ oppoſitionis ratio.

At propoſitiones quæ ſubſcribuntur, Amabimus & Edentuli, ſunt inter ſe ſubcontrariæ: vt, poſſibile eſt eſſe, poſſibile eſt non eſſe.

Item, poſſibile eſt eſſe, & non neceſſe eſt eſſe: ſed hę quidem impropriè: illæ verò propriè ſunt ſubcõtrariæ: quemadmodum paulò ſuperiùs de contrariis eſt dictum.

Similiter quæ ſubſcribuntur Purpurea & Edentuli, aut Iliace & Amabimus, ſibi mutuò contradicunt.

Quæ verò ſubſcribuntur Purpurea & Amabimus, aut Iliace & Edentuli, ſunt inter ſe ſubalternæ.

Quorum omnium rationem facilè intelliget, qui perpenderit hos quatuor modos, neceſſe, impoſſibile, poſſibile, & poſſibile non, eadem planè ratione efficere oppoſitionem in pronuntiatis modificatis, qua hæc quatuor ſigna, Omnis, nullus, aliquis, & aliquis non, in pronuntiatis (quæ vocant) de ineſſe: nam quemadmodum in iſta deſcriptione quatuor horum pronuntiatorum,

Omnis homo eſt ╳ Nullus homo eſt,
Quidam homo eſt ╳ Quidam homo non eſt;

Duo ſuprema ſunt inter ſe contraria: duo infima ſubcontraria: illa quæ ſecundùm diametrum ſumuntur, ſibi mutuò contradicunt, & duo paria ex duobus lateribus ſumpta, ſunt ſubalterna.

Sic etiam in ſimili deſcriptione harum quatuor modificatarum enuntiationum,

Neceſſe eſt eſſe, ╳ Impoſſibile eſt eſſe,
Poſſibile eſt eſſe, ╳ Poſſibile eſt non eſſe;

Duæ ſupremæ ſunt contrariæ, duæ infimæ ſunt ſubcontrariæ: illæ quæ ſecundùm diametrum ſumuntur, ſibi mutuò contradicunt; & duo paria à lateribus ſumpta, ſunt ſubalterna: nec eſt, quòd quiſpiam miretur, nullam hîc mẽtionem fieri enuntiationum ex contingenti; quia quantum ad hanc rem attinet, contingens non differt à poſſibili.

Quid prætereà ſcitu neceſſarium eſt de enuntiationibus modificatis?

Iſtud quoque de iſtis enuntiationibus ſciendum eſt, quaſdã ſimplicem, alias verò duplicem habere ſenſum: nam hę enuntiationes, Poſſibile eſt hominem ſtare, Impoſſibile eſt hominem eſſe equum, & ſimiles, quæ non conſtant ex duobus concretis accidentia denotantibus,

tantibus, vnicum habent sensum, quem neque compositum neque diuisum appellare solemus.

Quæ verò constant ex duobus concretis accidentia denotantibus, duplicem habent sensum, quorum alter compositus, alter diuisus appellatur: eiusmodi enuntiationes sunt, Possibile est album esse nigrum, possibile est calidum esse frigidum.

Quis est sensus compositus istarum enuntiationum?

Sensus compositus est, quando significatur fieri posse, vt album manẽs album simul sit nigrum, & calidum manens calidum simul etiam sit frigidum. *Quis est diuisus?*

Diuisus verò erit, si significetur fieri posse, vt ea res, quæ est alba, aliquando, albedine deposita, sit nigra, & vt ea quæ est calida, aliquando, calore cedente, sit frigida.

Profer alia exempla ad eandem rem declarandam.

Eiusdem generis sunt hæc: Impossibile est iustũ esse iniustum, Impossibile est sedentem stare. in sensu composito significant fieri non posse, vt iustus manens iustus, simul sit iniustus; & sedens manens sedens, simul stet. In sensu verò diuiso significant fieri non posse, vt is qui iustus est, aliquando sit iniustus: & is qui nunc sedet, aliquando stet.

Quorsum prodest eiusmodi enuntiationum multiplices sensus nouisse?

Prodest non parum istorum sensuum cognitio, ad cõsideratè & prudẽter de veritate atque falsitate eius orationis, in qua tales modificatæ enuntiationes occurrunt, pronuntiandum: ferè enim præmissa distinctione, rarò absolutè, de istiusmodi oratione est respondendum, quòd plerunque contingat eam in vno sensu veram, & in altero falsam esse: nam duæ enuntiationes ex possibili superiùs positæ, sunt in sensu composito falsæ, & in sensu diuiso veræ. contra verò, illæ quæ ex impossibili constant, sunt in sensu composito veræ, & in sensu diuiso falsæ.

Istud quoque de modificatis enuntiationibus notatu dignum est, in iis enũtiationibus modificatis, in quibus modus nomen est, attributi locum obtinens, duplicem esse qualitatem atque quantitatem, vnam ratione modi, alteram verò ratione dicti.

Dictum hoc loco (vt etiam istud obiter dicamus) appellãt Dialectici eam orationem ex infinitiuo & eius casu vel casibus constantem, quæ in hoc modificatarum enuntiationum genere subiecti vice fungitur. Exempli caussa, ista modificata enuntiatio, Possibile est nullos mortales esse iustos, ratione modi, affirmãs est atque specialis; ratione dicti verò, quod est, nullos mortales esse iustos, negans est, atque vniuersalis.

TRANSITIO.

Hanc de enuntiationibus modificatis doctrinam quãta fieri potuit

fuit luce atque breuitate perstrinximus; in qua describenda eam adhibuimus moderationem, vt plurimis ieiunis cauillationibus,& vanissimis nugis prætermissis, ea dũtaxat proponeremus, quorum cognitionem, & ad probatorum auctorum scripta facilius perspicienda,& ad doctorum hominum disputationes rectius intelligendas, necessariam putabamus. Superest nunc, vt de coniunctis seu hypotheticis enuntiationibus breuiter, vt nostri instituti postulat ratio, dicamus.

DE CONIVNCTIS ENVNTIATIONIBVS, quæ vulgò Hypotheticæ appellantur.

NE studiosis adolescentibus, quos instituendos suscepimus, deesse videamur; de hypotheticis enuntiationibus, quas suo loco in hoc libro Περὶ ἑρμηνείας cum Aristotele prætermisimus, latiùs hîc putauimus agendum.

Quæ est definitio enuntiationis hypotheticæ?

COL. *Enuntiatio coniuncta seu hypothetica est, quæ plures habet simplices & categoricas præcipuas sui partes, coniunctione aliqua inter se connexas.*

LOV. Enuntiatio composita seu hypothetica est, quæ plures habet categoricas, principales sui partes, coniunctione aliqua inter se connexas.
Vt, Si dies est, lux est.

Num in omni hypothetica expreßè ponuntur plures categoricæ?

Inueniuntur quædam hypotheticæ enuntiationes, quę vi significationis tantùm non expreßè neque apertè ex pluribus constant categoricis: cuiusmodi sunt istæ, Si dies esset, lux esset: Si resurrectio non esset, pij Christiani omnibus hominibus eßẽt miseriores.

Quot modis diuiditur enuntiatio hypothetica?
Duobus.

Quæ est prior diuisio enuntiationis hypotheticæ?

Enuntiationum hypotheticarum alia est.
- *Copulata*, cuius partes principales copulante coniunctione vniuntur: vt, Narcissus est formosus, & Thersites est turpis.
- *Disiuncta*, cuius partes principales coniunctione disiungente inter se vinciuntur: vt, Aut dies est, aut nox est.
- *Conditionẽ* *continens*: Vt, Si homo est, animal est.
- *Rationem* *continens*: Vt syllogismi, de quibus posteà dicetur.
- *Caussam* *continens*: Vt, quia præclara res est doctrina, litteris diligens opera nauati debet.

Quæ

Quæ est altera diuisio enuntiationis hypotheticæ?

Hypotheticarũ enuntiationũ alia { *Affirmat*, Cuius copula principalis non negatur, siue partes aliquam contineant negationem, siue non: vt, Si lux non est, dies non est.
Negat, Cuius principalis copula negatur : vt, Non quia Græcus est, ideo leuis est. }

Quam vocas hoc loco principalem copulam?

Principalis copula hîc dicitur, à qua enuntiatio hypothetica suam speciem accipit : à qua autem coniunctione enuntiatio hypothetica suam accipiat speciem, manifestius est ex iis, quæ paulo antè dicta sunt, quàm vt hoc loco sit repetendum.

Quæ oppositio inuenitur in hypotheticis enuntiationibus?

Quoniam hypotheticis enuntiationibus tribuitur affirmatio & negatio, hinc fit, vt etiam in ipsis reperiatur contradictionis oppositio, quæ ex affirmatione & negatione nascitur : vt hæ sibi mutuò contradicunt, Si lux est, dies est: &, Non si lux est, dies est.

Contraria verò & subcontraria oppositio certam quantitatẽ postulant : quæ cùm in hypotheticis non inueniatur, consequẽs est, neque cõtrarias neque subcontrarias enuntiationes in iis inueniri.

DE VERITATE ET FALSITATE hypotheticarum enuntiationum.

Expône breuiter, quænam in singulis enuntiationum hypotheticarum generibus ad eorum veritatem sint necessaria.

Ad veritatem enuntiationis copulatæ affirmantis necessaria est vtriusque partis veritas: vt ad veritatem huius, Homo natus est ad laborem, & auis ad volatum ; necessaria est veritas vtriusque categoricæ, ex qua componitur. Cęterùm ad disiunctæ veritatem sufficit alterius partis veritas, nec obest si plures partes sint veræ. Nam illorum opinioni qui putant in disiunctionibus veris vnam tantummodo partem veram esse debere, aduersatur illud Virgilianum pro vero positum;

Aut hoc inclusi ligno occultantur Achiui,
Aut hac in nostros fabricata est machina muros,
Aut aliquis latet error.

Huius enim disiunctæ enuntiationis partes omnes sunt veræ.

Conditionem continens affirmatio est vera, si inter antecedens & consequens firma sit connexio, siue partes veræ sint, siue falsæ: vt, Si cælum non mouetur, cælum quiescit.

Istud quoque animaduertendum, omnem enuntiationem, quæ conditionem continet, si vera sit, necessariam ; si verò falsa, impossibilem semper esse.

Enuntiatio rationem continens sua vi & copulatam, & eam, qua conditio significatur, comprehendit ; ideoque vt affirmans vera sit, duo

duo ei sunt necessaria: videlicet vtriusque partis veritas, & consecutionis firmitudo: vt, Petrus studet, igitur non dormit.

Idem sentiunt quidam de enuntiatione caussam continente, sed falsò: non enim exigit huius generis enuntiationum affirmātium veritas legitimam vnius partis ex altera consecutionem; sed ad veritatem earum & necessarium est, & sufficit vtranque partem esse veram, ac eam partem, qua caussa denotatur, veram caussam continere, siue firmam efficiat consecutionem, sine non: vera namque est ista enuntiatio, Quia peccauit homo, punitus est: in cuius tamen partibus nulla cernitur legitimæ consecutionis ratio.

Consultò hîc præterimus, quid ad vniuscuiusque hypotheticarum enuntiationum falsitatem, aut quid ad negantium veritatem sit necessarium; eò quòd hæc omnia ex iis, quę modò diximus, probè intellectis sua sponte elucescant.

Quis est vsus eorum, quæ in hac secunda libri περὶ ἑρμηνείας parte declarata sunt?

Quæ in hac secunda libri περὶ ἑρμηνείας parte declarata sunt, conducunt ad orationis copiam: docet enim hæc pars multiplicare pronūtiata simplicia; hoc est, tradit quomodo multa cōtexi queant pronuntiata eiusdem sentētiæ, idque vel per additionem negationis: vt, Pantaleon est candidus, Pantaleon non est non candidus.

Vel per coniunctionem & separationem eorum, quæ siue coniunctim siue separatim efferantur, vnam eandémque repræsentant sententiam: vt exempli caussa, siue coniunctim & vna simplici enunriatione ita dicas, Pantaleon est homo candidus: siue separatim & duplici enuntiato, ad hunc modum, Pantaleon est homo, & Pantaleon est candidus, nihil hac variatione de orationis sensu mutaueris.

Vel denique per horum modorum, Possibile, contingēs, impossibile, necesse, variationem; idem enim valent ista pronuntiata:

Possibile est esse candidum,
Contingens est esse candidum;
Non est impossibile esse candidum,
Non est necesse non esse candidum.

Hinc liquidò constat, ad iudicium quoque de pronuntiatorum veritate & falsitate, huius partis cognitionem plurimum habere momenti.

Postremò, his, quæ iam dicta sunt, ritè perceptis, intelligitur plurimarum orationum legitima connexio atque consecutio; siquidem pronuntiata vnam eandémque sententiam continentia, se mutuò & sequi & inferre, omnibus est, per sensum communem, perspicuum.

OMNIVM EORVM, QVAE POSTERIORI PARTE libri Περὶ ἑρμηνείας continentur, ad iuuandam puerorum memoriam generalis comprehensio.

IN SECVNDA PARTE LIBRI περὶ ἑρμηνείας agitur rursus de enunciatione, sed quatenus

- Nunc additur, nunc adimitur negatio
  - Prædicato vel Subiecto:
    - Fiuntque ex huiusmodi enuntiationibus argumentationes, quæ aliquot regulis declarantur.
- Prędicata
  - Coniuncta diuiduntur
  - Diuisa coniunguntur
    - idque cōsecutionis seruata firmitate, additis ad eius rei declarationem aliquot regulis.
- Est affecta his modis
  - Possibile
  - Contingens
  - Impossibile
  - Necesse.
    - Et dicitur paucis de huiusmodi enuntiationū *ἰσοδυναμία*, oppositione, & sensu cōposito atque diuiso.
- Est hypothetica
  - Affirmans
  - Negans
    - Copulata
    - Disiuncta
    - Conditionē
    - Caussam
    - Rationem
      - continens.

ADMONITIO.

Quod attigerat tantùm priori parte Aristoteles, nos in hanc posteriorem partem reiectum latiùs explicamus de hypotheticis enuntiationibus.

LOGI-

LOGICES
LIBER IIII.

DE ARGVMENTATIONE.

Ἐξ Ἀριστοτέλους ἀναλυτικῶν προτέρων καὶ ὑστέρων.

id est,

Ex libris Analyticis prioribus, posterioribusque Aristotelis.



RISTOTELES eos libros, quos de ratione aliud ex alio concludendi seu ratiocinandi scriptos posteris reliquit, Περὶ τῶν ἀναλυτικῶν inscripsit, quòd argumẽtationis præsertim syllogismi, & item demonstrationis dissolutio in sua principia in iis tradatur.

Est enim ἀναλύσαι apud Græcos, rem quampiam ex multis conflatam partibus retexere, & in suas partes dissoluere.

Nos, præstantissimos Dialecticorum coryphæos (vt hactenus) secuti, De argumentatione hunc librum inscripsimus. qua in re aliorum magis, quàm nostro iudicio sumus obsecuti; nobis enim titulus hic, De syllogismo, aut secundùm Aristotelem περὶ τῆς ἀναλύσεως, magis placuisset.

Sed missa hæc arbitraria faciamus, & à diuisione doctrinę huius libri, eius explicationem auspicemur.

Quæ est libri huius quarti diuisio?

Præsens liber diuiditur in tres partes, secũdùm ordinem & methodum, quam Aristoteles in suis τῶν ἀναλυτικῶν libris est secutus.

Quid docet prima pars?

Prima pars docet conficere syllogismos ex suis principiis, & iam confectos, in eadem dissoluere, idque ἐξ Ἀριστοτέλους ἀναλυτικῶν προτέρων, α.

Quid in secunda parte agitur?

In secunda parte agitur de quibusdã proprietatibus syllogismorum, aliisque argumẽtationum formis, ἐξ ἀναλυτικῶν προτέρων, β.

Quid in tertia parte agitur?

In tertia agitur de demõstratione ex vtroque, τῶν ἀναλυτικῶν ὑστέρων.

PARS PRIMA,

Ex primo priorum analyticorum Aristotelis.

DE PRINCIPIIS SYLLOGISMI.

Quid est argumentatio?

Argumentatio oratio est, qua aliud ex alio concluditur.

Quomodo diuiditur argumentatio?

Argumentationum species secundùm communem Dialecticorum, & receptam in scholis doctrinam, sunt quatuor; Syllogismus,

 indu-

inductio, exemplum & enthymema, quibus alia quædam rariora argumentandi genera inferiùs addentur.

Quis est vsus argumentationis?

Vsus præcipuus argumentationis est, vt in omni sermonis genere firmiter & perspicuè veritas confirmari, atque persuaderi, falsitas autem confutari atque explodi possit. Deinde vt in longis & prolixis disputationibus, quæ exstant apud bonos auctores, ad hasce argumentandi formas tota oratio reuocetur, iisque veluti certissima quadam trutina expendatur atque examinetur. Quæ quidem diligentia in doctorum virorum scriptis euoluendis omnino est adhibenda; efficit enim vt res ipsas altiùs inspiciamus, falsasq. connexiones deprehendamus citiùs, & facillimè totius orationis neruos, & argumentandi ordinem atque dispositionem percipiamus.

De qua potissimùm argumentandi forma in his περὶ τῶν ἀναλυτικῶν libris agit Aristoteles?

Agit quidem de omnium, quæ paulo antè commemorauimus, argumentationum formis, sed præcipuè & omnium accuratissimè de syllogismo: est enim syllogismus forma argumentandi longè perfectissima, ad quam & cæteræ quodammodo, vt imperfectiora solent ad perfecta, reducuntur.

Quem sequitur Aristoteles ordinem in iis quæ ad syllogismi explicationem pertinent, declarandus?

Cùm nulla res perfectè cognosci possit, nisi principia eius, præsertim ea, ex quibus ipsa constat, prius cognoscantur, Aristoteles primùm de syllogismi principiis disserit; deinde reliqua, quæ huius loci propria sunt, persequitur.

Digere in ordinem & seriem aliquam syllogismorum principia.

Principia syllogismorum
- *Ad materiam eorum pertinentia*
  - Remota, vt termini.
  - Propinqua, vt pronuntiata.
- *Ad formam eorum pertinentia*
  - Remotum, quod respondet terminis, & vocatur figura.
  - Propinquum, quod respicit pronuntiata, & modus appellatur.
- *Dirigentia*, quibus tanquam regulis quibusdam dirigitur omnis syllogismus: Et sunt duo huiusmodi principia sumpta ex definitionibus: Dici de omni, & dici de nullo.
- *Perficientia*, quibus imperfecti syllogismi ad perfectos reducuntur: quæ sunt,
  - Conuersio
    - In oppositam qualitatem,
    - In terminis.
  - & Transpositio pa[illegible]m antecedentis.

Recita ex Aristotele definitionem protasis, seu pronuntiati.

Πρότασις μὲν οὖν ἐστὶ λόγος καταφατικὸς ἢ ἀποφατικὸς, τινὸς κατά τινος.

COL.

COL. *Propositio oratio est, qua aliquid alteri conuenire aut confirmamus, aut negamus.*

LOV. Propositio est alicuius de aliquo affirmatiua, negatiuáve oratio.

Vt, Felix est is, quem faciunt aliena pericula cautum. item, Virtuti nullum est theatrum conscientia maius.

ADMONITIO.

Propositionis nomen (quo hîc vti cōsueuerunt Dialectici) non quamuis enuntiationem simplicem, sed primam duntaxat ratiocinationis seu syllogismi partem apud Ciceronem, primarium latinitatis auctorem, significat: sic enim apud eum lib. 1. De inuentione rhetorica, definitur propositio:

Propositio est, per quam breuiter locus is exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis.

Quocirca huius vocabuli abusum fugientes, in eius locum pronuntiati nomen, quod ad πρότάσεως interpretationem accommodatius videbatur, non alicuius nouitatis inducēdæ studio, sed proprietatis vocabulorum conseruandæ animo, substituere maluissemus, si per receptas in scholis definitiones (in quibus aliquid leui de caussa immutare temerarium videbatur) licuisset; nihilominus tamen in nostro commentario, in quo liberior nobis est verborum delectus, quoad fieri poterit, propositionis nomini ea, quam illi Cicero tribuit, seruabitur significationis proprietas.

Quod pronuntiati genus hic definit Aristoteles?

Categoricum simplicis qualitatis.

Exclude hypotheticas enuntiationes ab hac definitione, & eas, quæ sunt mistæ qualitatis.

Excluduntur hypotheticæ enuntiationes, quòd non secundùm suam totam significationem affirment aliquid de aliquo, aut negent. qua ratione etiam mistæ qualitatis enuntiationes excluduntur: cuiusmodi est ista, Quodlibet est vel non est.

An hac definitione etiam singulares enuntiationes comprehenduntur?

Comprehenduntur: nam quòd dicunt nōnulli, Aristotelem nullam singularium habuisse rationem, falsum est; docet enim quomodo in tertia figura expositorij syllogismi fieri debeant, & quomodo per hos alij eiusdem figuræ syllogismi perficiantur.

Cur repetit hoc loco Aristoteles pronuntiati categorici sub nomine πρότάσεως enuntiationis simplicis definitionem?

Quoniā recenti illius memoria ad eorum, quę hoc loco tractantur, facilē intelligentiam est opus. ideo autē prius de protasi, quàm de termino agit: quia in definiendo termino vtitur πρότάσεως seu pronuntiati nomine. quod si anteà definitum non fuisset, aliquas

definitioni termini ea res tenebras offundere potuisset.

Quomodo diuidit Aristoteles pronuntiatum?

Οὗτος δὲ (λόγος) ἢ καθόλου, ἢ ἐν μέρει, ἢ ἀδιόριστος.

PER. Hæc (oratio) aut generalis, &c. vt Col.

COL. *Propositio aut generalis est, aut specialis, aut indefinita.*

ARG. Ea verò (propositio) aut vniuersalis est, aut particularis, aut indefinita.

Quibus partibus est addenda & ista, aut singularis.

Quæ est definitio pronuntiati vniuersalis?

Λέγω δὲ καθόλου μὲν, τὸ, παντὶ ἢ μηδενὶ ὑπάρχειν.

PER. Dico autem generalem, cùm vniuerso generi, &c. vt Col.

COL. *Generalis est, qua vniuerso generi, aut nulli generis parti, aliquid conuenire dicitur.*

LOV. Vniuersalis est, cùm aliquid aut omni aut nulli inesse significat.

Hoc est, Illud pronũtiatum est vniuersale, quod prædicatum aliquod subiecti cõmunis cuilibet inferiori aut denominato tribuit, vel ab eo remouet: vt, Omnis virtus est laudanda: Omne genus de specie dicitur, Nullus mortalium est ex omni parte beatus, Nulla præsentis vitæ bona possunt hominis animum explere.

Quæ est definitio particularis pronuntiati?

Ἐν μέρει δὲ (λέγω) τὸ τινι, ἢ μή τινι, ἢ μὴ παντὶ ὑπάρχειν.

PER. Specialem autem (dico) cùm aut alicui generis parti, &c. vt Col.

COL. *Specialis est, qua aut alicui generis parti, aut non alicui, aut certè non omni conuenire aliquid dicitur.*

ARG. Particularis est, cùm alicui, aut non alicui, aut non omni inesse significat.

Hoc est, Illud pronuntiatum, est particulare quod significat prędicatum subiecto communi, particulari signo affecto, tribui vel ab eo remoueri.

Accipitur apud Aristotelem μὴ τινὶ, non alicui, pro, alicui non: & quod sequitur μὴ παντὶ, id est. non omni, ipsum declarat; sub quo facilè intelligitur quarta pars huic definitioni necessaria: videlicet, nonnulli.

Profer exempla definitionis.

Exempla sunt, Aliquis homo est eruditus, Aliquis homo non est eruditus, Non omnis qui dicit mihi, Domine, dñe, intrabit in regnum cælorum, Nonnulli Græci sunt leues, Quidã Germani non sunt bibuli; quanquam hoc postremum nõnulli singulare esse contendant. Verùm huiuscemodi disputatio ad Grammaticen potius pertinet. Istud hîc addimus, tametsi nonnulli diuersum sentiant;

nos

nos tamen cum Cæsario & compluribus aliis non indoctis Dialecticis in ea esse sententia, vt vocem, quidam, idoneum esse signum ad particularium pronuntiatorum confectionem putemus.

Quæ est definitio pronuntiati indefiniti?

Ἀδιόριστον δὲ (λέγω) τὸ ὑπάρχειν, ἢ μὴ ὑπάρχειν, ἄνευ τοῦ καθόλου ἢ κατὰ μέρος.

PER. Indefinitam verò (dico) cùm vel conuenire, &c. vt Col.

COL. *Indefinita est, quæ vel conuenire, vel non conuenire sine illo, vniuersè, vel ex parte, cuipiam dicitur.*

ARG. Indefinita est, cùm quid inesse vel non inesse, sine vniuersali particularíve nota significat.

Vt, Homo est animal, homo est albus.

Vnde metienda est propria vis & significatio pronuntiati indefiniti?

Quanquam indefinitum pronuntiatum ex propria significatione sensum habeat dubium & ambiguum, vt incertum sit de parténe an de toto genere sit accipiendum, aufert tamen huiusmodi ambiguitatis magnam partem, extremorum inter se ratio: si enim necessariò in affirmãte, aut impossibiliter in negante, prædicatum subiecto connectatur, generalẽ continet sensum: sin fortuitò, sensu speciali communiter est accipiendum. Rectè proinde singularia pronũtiata, indefinita esse negamus, eáque à definitione indefiniti pronuntiati excludimus, quòd in ipsis non significetur aliquid inesse aut non inesse subiecto communi; sic enim intelligitur ea pars definitionis. Quæ autem vox communis sit, quæque singularis, reperies in Prodidagmatibus nostris à Christophoro Plantino excusis, sub titulo, De vsitatis apud Dialecticos vocis diuisionibus. Commune autem subiectum vocatur, quod latè patet, nec est ad vnicam rem singularem denotandam adstrictum.

Quæ est definitio pronuntiati singularis?

Singulare pronuntiatum est, cuius subiectum est singulare.

Vt, Cicero est orator, Plato est philosophus.

Cur in hunc locum distulit Aristoteles pronuntiati simplicis diuisionẽ?

Vt recens esset memoria eius differentiæ, quæ est inter vniuersale, particulare & indefinitum pronuntiatum.

Quæ sanè differentia omninò scitu est necessaria, tum ad syllogismos cõficiendos, tum ad regulas figurarum, tam speciales quàm generales intelligendas: insuper ad conuersionem enuntiationum, quam statim Aristoteles tractat: ad ipsam denique syllogismorum imperfectorum reductionem: vt ex sequentibus palàm erit.

Quæ est definitio termini?

Ὅρον δὲ καλῶ, εἰς ὃν διαλύεται ἡ πρότασις, οἷον τό τε κατηγορούμενον, καὶ τὸ καθ᾽ οὗ κατηγορεῖται, ἢ προστιθεμένου, ἢ διαιρουμένου τοῦ εἶναι, ἢ μὴ εἶναι.

PER. Verbum autem dico id, in quod, &c. vt Col.

Col. *Terminus seu verbum est, in quod propositio desinit: cuiusmodi est tum id quod dicitur, tum id in quo aliud dicitur, adiuncto verbo esse, vel non esse, aut etiam separato.*

Lov. Terminus est, in quem resoluitur propositio vt prædicatum, & de quo id, vel apposito vel separato esse vel non esse, prædicatur.

Hoc est, Terminus est extremitas quædam ipsius pronuntiati, in quam pronuntiatum veluti in prædicatum, vel id de quo prædicatum interueniente copula verbali affirmata, aut negata, dicitur, potest diuidi. Vel paucis verbis: Terminus est subiectum aut prædicatum cuiuslibet pronuntiati.

Secundum quam significationem definitur hoc loco terminus?

Vox Terminus variè accipitur: nam quãdoque terminus dicitur cuiusuis rei extremitas, siue lineæ, siue panni, siue agri, &c. Antiquitas verò, multorũ deorum superstitiosa cultrix, credidit Terminum deum quẽdam esse, qui agrorum fines immobiliter disterminaret: & hunc sub specie grãdis saxi adorabat. de quo Virgilius:

——— *Capitoli immobile saxum.*

Et Ouidius secundo libro Fastorum:

Nox vbi transierit, solito celebretur honore,
Separat indicio qui Deus arua suo.
Termine, siue lapis, siue es defossus in agro
Stipes, ab antiquis tu quoque nomen habes.

Et nonnullis interpositis:

Tu populos vrbesq́; & regna ingentia finis;
Omnis erit sine te litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est, nullo corrumperis auro,
Legitima seruas credita rura fide.

Aliquando sumitur terminus pro oratione rei naturam breuiter comprehendente, quam Dialectici essentialem definitionem vocant: vt in primo Topicorum.

Hîc autẽ accipitur pro eo, quod incipit aut finit pronuntiatum: qualia sunt subiectum & prędicatum, vt nomina & verba, cùm iam prædicatorum vel subiectorum obeunt munus. vt in his pronuntiatis, Homo est bulla, homo intelligit; termini sunt in priori quidem, homo & bulla; in posteriori autem, homo & intelligit.

Quis est vsus termini?

Vtuntur ista termini voce Dialectici frequẽtissimè ad designãda pronũtiati extrema: éstq. eius cognitio planè necessaria ad ea, quæ de figuris syllogismorum Aristoteles tradit, & ad pleraque alia pręcepta, in quibus terminorum syllogismi mentio fit, intelligenda.

DE SYLLOGISMO EIVSQVE DIVISIONE, & principiis dirigentibus.

Quomodo definit Ariſtoteles ſyllogiſmum?

Hoc modo:

Συλλογισμὸς δέ ἐστι λόγος, ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει τῷ ταῦτα εἶναι.

COL. *Syllogiſmus ſeu ratiocinatio eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliquid aliud ob eam cauſſam quia hæc ſunt, neceſſariò efficitur.*

ARG. Syllogiſmus eſt oratio, in qua quibuſdam poſitis, aliud quiddam ab his, quæ poſita ſunt, neceſſariò accidit, eò quòd hæc ſunt.

Hoc eſt:

Syllogiſmus eſt oratio cōiuncta ſeu hypothetica, vel argumentatio in qua duabus antecedentis enuntiationibus ritè ſecundùm legitimum aliquem modum & figuram diſpoſitis, tertia, vi diſpoſitionis ſuperiorum enuntiationum neceſſariò concluditur.

Vt, Omne vitium eſt deteſtandum,
Omnis ſuperbia eſt vitium; igitur,
Omnis ſuperbia eſt deteſtanda.

Quid excludit illa pars definitionis ſyllogiſmi (quibuſdam poſitis?)

Enthymemata & conuerſiones, in quibus antecedentis loco vnicum ſumitur pronuntiatum; Item inductiones & exempla: Poſtremò ſyllogiſmos ſecundùm modos inutiles cōfectos; nam in his non ſunt duæ antecedentis enuntiationes ſecūdùm legitimum aliquem modum diſpoſitæ: quod facilè ex ſequentibus intelligetur.

Explica ſyllogiſmi etymologiam.

Syllogiſmus dicitur παρὰ τὸ συλλογίζεσθαι, id eſt, computare, colligere, & ratiocinari: metaphora ſumpta ab arithmetica additione: quemadmodum enim in hac arithmetices ſpecie per calculos vel certas notas, complures diuerſi numeri in vnam ſummam conflantur atque colliguntur; ita hîc ex coniunctione partium antecedentis tanquam calculorum, ſumma quædam totius ratiocinationis in concluſione conflatur atque colligitur. Itaque ſi ſola nominis ratio ſpectaretur, ad multa argumentandi genera extendi poſſet ſyllogiſmi vocabulum: verùm hæc non eſt vſitata & conſueta eius acceptio: ſed vt vnam duntaxat eámque præcipuam ratiocinandi formulam deſignet.

Quotuplex eſt ſyllogiſmus generatim ſumptus?

Duplex eſt ſyllogiſmus generatim acceptus: vnus categoricus, cuius propoſitio & aſſumptio categoricæ ſunt enūtiationes: cuiuſ-

M 5 modi

modi eſt iſte ſyllogiſmus, Omnis virtus eſt laudanda: Manſuetudo eſt virtus; Manſuetudo igitur eſt laudanda.

Alter eſt hypotheticus, cuius propoſitio & aſſumptio, vel ſaltem altera earum, eſt hypothetica: vt ſunt hi, Si homo eſt, animal eſt: ſed homo eſt, ergo animal eſt. Si homo eſt immortalis, animal eſt immortale: ſed nullum animal eſt immortale; ergo nullus homo eſt immortalis. Omne animal eſt rationis particeps, vel rationis expers; ſed elephas eſt animal, & non eſt rationis particeps; ergo eſt rationis expers. De quo quidem genere ſyllogiſmorum non agit hoc loco Ariſtoteles.

Quomodo diuiditur ſyllogiſmus categoricus?

Syllogiſmus categoricus (de quo ſolo agit Ariſtoteles) bifariam diuiditur; vel enim ex cōmuni, vel ex ſingulari conſtat medio: Poſteriorem, expoſitorium appellare ſolent Dialectici; qualis eſt iſte,

Socrates eſt patiens,
Et Socrates eſt philoſophus,
Ergo philoſophus eſt patiens.

Quæ eſt diuiſio ſyllogiſmi iam definiti?

Συλλογισμὸς { τέλειος, ἀτελής.

Col. *Ratiocinationum* { *Alia perfecta, Alia imperfecta.*

Lov. Syllogiſmorum { Alius perfectus, Alius imperfectus.

Quod eſt diſcrimen inter perfectum & imperfectum ſyllogiſmum?

Tametſi & imperfectus & perfectus ſyllogiſmus ſuperiori definitione comprehendantur; hoc tamē inter ſe differunt, quòd perfectus euidenter, imperfectus verò ſubobſcurè propoſitum thema concludat.

Quæ eſt definitio perfecti ſyllogiſmi?

Τέλειον μὲν οὖν καλῶ συλλογισμὸν, τὸν μηδενὸς ἄλλου προσδεόμενον παρὰ τὰ εἰλημμένα πρὸς τὸ φανῆναι τὸ ἀναγκαῖον.

Per. Ac perfectam quidem ratiocinationem voco eam, quæ præter ea, quæ, &c. vt Col.

Col. *Ratiocinatio perfecta eſt, quæ præter ea, quæ ſumpta ſunt, nihil aliud requirit, vt res neceſſaria videatur.*

Arg. Syllogiſmus perfectus eſt, qui nullius alius indiget, præter ea quæ ſumpta ſunt, neceſſarium vt appareat.

Quæ eſt definitio imperfecti?

Ἀτελῆ δὲ καλῶ συλλογισμὸν, τὸν προσδεόμενον, ἢ ἑνὸς, ἢ πλειόνων, ἅ ἐστι μὲν ἀναγ-

ἀναγκαῖα, διὰ τῶν ὑποκειμένων ὅρων, οὐ μὴν εἴληπται διὰ προτάσεων.

PER. Imperfectam verò eam ratiocinationem voco, quæ vnum, plurave desiderat, quæ sunt illa quidem necessaria propter posita vocabula, sed tamen non sumpta sunt in propositionibus.

COL. *Ratiocinatio imperfecta est, quæ vnum pluráve desiderat, quæ sunt illi quidem necessaria propter proposita vocabula, sed tamen non sumpta sunt in propositionibus.*

ARG. Syllogismus imperfectus est, qui vnius pluriúmve eget, quæ quidem per subiectos terminos necessaria sint, sumpta verò per propositiones non sint.

Repete paucis ex superioribus ea, quorum ad has definitiones rectè intelligendas meminisse oportet, eaq; ad præsentis loci declarationem accommoda.

Ad harum definitionum faciliorem intelligentiam, reuocanda sunt in memoriam quatuor principiorum genera, de quibus paulò antè, initio videlicet huius quarti libri, dictum est. Ex syllogismorum principiis quædam, vt suprà diximus, ad materiam pertinent: vt termini & pronuntiata, ex quibus omnis syllogismus componitur. Alia formæ rationem habent: vt modus & figura. Alia sunt dirigentia, quæ sumuntur ex descriptionibus, dici de omni, & dici de nullo. Et sunt quartò quædam principia perficientia: vt conuersio in terminis, conuersio in oppositam qualitatem, & duarum antecedentis partium, quas præmissas vocant, transpositio.

Tribus prioribus generibus principiorum nullus syllogismus indigere aut carere potest; quia si aliquod eorũ desideretur, eo ipso talis argumentatio syllogismi nomen amittit.

Sed quartum genus principiorum in iis syllogismis desideratur, qui ex se euidentes non sunt: quia non directè fiunt secũdùm normam principij dici de omni, vel dici de nullo; sed indigent vlteriori probatione, vt ad alterum horum reducantur: quæ probatio fit per principia perficientia; de quibus statim dicetur.

Expone sententiam definitionis syllogismi perfecti.

Syllogismus perfectus, seu per se euidens est, qui nullius alterius principij syllogistici indiget, præter ea, quæ in ipso sunt, vt statim cuiuis sanæ mentis appareat necessaria & euidens esse illius consecutio; sed sufficiunt tria principiorum genera, quæ in omni syllogismo reperiuntur.

Quis est sensus definitionis syllogismi imperfecti?

Syllogismus imperfectus est, qui indiget vnius principij tãtùm, aut plurium, præter ea, quæ sumpta sunt, vt perspicua & euidens sit consecutionis necessitas: quæ quidem principia nullam inducunt terminorum mutationem; nam manent iidem termini: sed

enuntiationum tantùm; siquidem conuersio nouam inducit enuntiationem, manentibus planè iisdem terminis. Paucis & clarè: Syllogismus imperfectus est, cui conuersione tantùm, aut conuersione simul & duarum antecedentis partium transpositione opus est, vt dici possit euidens argumentatio.

Qui syllogismi imperfecti vnius indigent principij, & qui plurium?

Illi qui per solam reducuntur conuersionem, vnius indigét: plurium verò, qui reducuntur simul per conuersionem, & partium antecedentis transpositionem. Prioris partis exempla sunt syllogismi omnes imperfecti, confecti secundùm illos modos, in quorum nomine litera, m, non conspicitur.

Posterioris verò partis exempla sunt syllogismi facti secundùm modos, Fapesmo, Frisesomorum, Camestres & Disamis: qui dum ostensiuè reducuntur, & transpositione egent, & conuersione. quę omnia ex sequentibus erunt manifesta.

De principiis qvibvs syllogismi diriguntur.

Philosophus explicationem dirigentium principiorum aggressurus, quid sit dici de omni, & dici de nullo, primum exponit.

Quomodo igitur definit Aristoteles dici de omni?

Λέγομεν δὲ τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι, ὅταν μηδὲν ᾖ τοῦ ὑποκειμένου λαβεῖν καθ' οὗ θάτερον οὐ λεχθήσεται.

Col. *De toto genere dici, est ita dici, vt nihil eorum, quæ rei subiectæ & propositæ conueniant, sumi poßit, in quo alterum non intelligatur.*

Arg. Dicimus de omni prædicari, cùm nihil sumere subiecti est, de quo alterum non dicatur.

Quis est sensus definitionis?

Dici de omni, est esse prædicatum alicuius enuntiationis, quod dicitur, hoc est, denotatur dici posse de quolibet contento sub subiecto. Vnde euidens est, excludenda esse prædicata harum enuntiationum: Homo est animal, equus est ad hinniẽdum aptus; in quibus prædicata quidem possunt & apta sunt dici de iis omnibus, quę eiusmodi subiectis comprehenduntur: verùm id tali enuntiationis genere non denotatur. At prædicata harum enuntiationum dicuntur de omni, Omnis homo est equus, omnis homo est albus, omne animal est rationis particeps: nam licet prædicata earũ non possint verè dici de quibuslibet contentis sub subiectis; de iisdem tamen denotantur verè posse dici; quod est satis: non enim veritas, sed denotatio hîc requiritur.

Est ergo (vt breuiter & clarè aliis verbis dicamus) dici de omni, esse prædicatum affirmationis vniuersalis.

Quid

Quid est dici de nullo?

Aristoteles inter definiendum quid sit dici de omni, hanc innuit, ipsius dici de nullo, descriptionem:

Τὸ κατὰ μηδενὸς κατηγορεῖσθαι λέγω ὅταν μηδὲν ᾖ τοῦ ὑποκειμένου λαβεῖν ἀφ' οὗ θάτερον οὐκ ἀφαιρεθήσεται.

COL. *Dici de nullo est, cùm nihil eorum, quæ rei subiectæ & propositæ conueniant, sumi possit, à quo alterum non remoueatur.*

LOV. Prædicari de nullo est, cùm nihil sumere subiecti est, à quo alterum non remoueatur.

Hoc est, Dici de nullo, est esse prædicatum enuntiationis alicuius, quod denotatur remoueri à quolibet contento sub subiecto: quod nihil aliud est, quàm esse prædicatũ vniuersalis negationis.

Recita illa axiomata seu dirigentia syllogismorum principia, quæ ex definitionibus dici de omni, & dici de nullo, sumpta, à Dialecticis traduntur.

PRIVS EST:

Quicquid dicitur de subiecto vniuersè accepto, dicitur & de re quauis, quæ assumitur sub illo.

ALTERVM EST:

Quicquid remouetur à subiecto vniuersè accepto, remouetur & à re quauis, quæ assumitur sub eo.

Quis est vsus horum principiorum?

His principiis diriguntur syllogismi omnes constantes ex medio communi, affirmantes quidem per prius, negantes verò per posterius.

Quid est principio aliquo dirigi?

Dirigi principio, est habere talem dispositionem, qualem ipsum principium indicat: cuiusmodi dispositio imperfectis syllogismis clarè conspicitur, in imperfectis verò subobscurè, & ex consequenti tantùm continetur.

Cur vocantur ista dirigentia principia?


Quia ostẽdunt quomodo disponi syllogismi iudicio communis sensus debeant. Nec opus est argumentis accuratè conquisitis ad horum principiorum fidem stabiliendam; tam enim est perspicua eorum veritas, vt solo sensu communi ab omnibus cernatur atque comprobetur.

DE CONVERSIONE.

DEINCEPS Philosophus agit de eo perficiente principio syllogismorum imperfectorum, quod à Dialecticis conuersio appellatur, transpositione partium antecedentis (quæ & ipsa eiusmodi principium est) omissa, propter nimiam eius facilitatem.

Recita

Recita conuersionis diuisionem, vt planum euadat, de qua conuersione in hoc tractatu sit agendum.



De quo genere conuersionis agit hoc loco Aristoteles?

Aliis conuersionibus prætermissis, agit Aristoteles de illa duntaxat conuersione, quæ extremo loco in superiori diuisione posita est, quæ videlicet enuntiationum est, quæque fit manentibus terminis penitus iisdem.

Quomodo definitur ista enuntiationum conuersio, de qua hoc loco agit Aristoteles?

Conuersio, de qua hoc loco apud Aristotelem agitur, est subiecti in prædicatum, & contrà, prædicati in subiectum, manente eadem qualitate, commutatio.

Quæ quidem definitio sumpta est ex Boëtij verbis in libro De categoricis syllogismis: vt, Nullus piscis est planta, ergo nulla planta est piscis.

Quid est conuersio simplex?

Conuersio simplex est, in qua, permutatis terminis, eadem

manet

manet qualitas & quantitas enuntiationum.

Quæ enuntiationes conuersione simplici conuertuntur?

Vniuersalis negans, & particularis seu specialis aiens: vt, Nulla virtus est vituperanda, ergo nullum vituperandum est virtus: Quidam homo est philosophus, ergo quidam philosophus est homo.

Quid est conuersio per accidens?

Conuersio per accidens est, in qua, terminis permutatis, eadem qualitas quidē, sed non eadem quantitas enuntiationū manet.

Quæ enuntiationes conuertuntur per accidens?

Vniuersalis aiens in specialem aientem: vt,
Omnis sitis est appetitus humidi,
Ergo quidam appetitus humidi est sitis.
Similiter & vniuersalis negans in specialem negantem: vt,
Nulla sitis est appetitus sicci, ergo
Aliquis appetitus sicci non est sitis.

Quæ est ratio nominum in hac conuersionum distinctione?

Prior conuersio videtur vocari simplex, quòd simplici terminorum transpositione, nulla alia accedente mutatione perficiatur.

Conuersio autem per accidens dicitur, quia non fit in ipsa tantùm mutatio terminorum, sed etiam variatio quantitatis: quæ quidem quantitas quoddam est enuntiationis accidens.

Quæ sunt conditiones in conuersionibus obseruandæ?

Vt quæ conuersio legitima, & quæ vitiosa sit, meliùs intelligatur, solent hoc loco Neoterici legitimæ conuersionis plurimas recensere conditiones, inter quas quædam sunt planè pueriles: vt illę quæ admonent de dissolutione verbi, & aliis id genus.

Aliæ verò communes sunt omni argumentationi: nimirum, vt vitetur amphibolia: item ne quod in antecedente speciatim positum fuerat, idem in cōsequente vniuersè ponatur: nos vnam tantùm conditionem obseruandam referemus, illis, quòd per se satis sint manifestæ, prætermissis, nimirum in omni conuersionum genere cautissimè seruandum esse,

Vt totum subiectum in totum prædicatum, & totū prædicatum in totum subiectum mutetur.

Ob cuius conditionis defectum vitiosa est ista conuersio: Mus rodit panem, ergo panis rodit murem.

TRANSITIO.

Hactenus de ea conuersione actum est, cuius meminit Aristoteles, & cuius in syllogismis imperfectis ad perfectos reducēdis maximus est vsus. de conuersione per contrapositionem, quam Græci κατ' ἀντίθεσιν vocant, nihil quidem tradit Aristoteles: at Neoterici

fusè

fusè ipsam tractant: quæ res fecit, vt aliquid de ea hoc loco nobis dicendum putaremus.

Quæ est igitur conuersio per contrapositionem?

Est conuersio in terminis, quæ fit in enũtiationibus eiusdem qualitatis, commutatis terminis finitis in infinitos, & è diuerso, terminis infinitis in finitos.

Quis dicitur terminus infinitus, & quis finitus?

Terminus infinitus dicitur prædicatum vel subiectum, cui præposita est negatio quam vocant infinitantem: vt, Non homo, non arbor, non currit. Finitus verò terminus dicitur prædicatum aut subiectum, cui nulla talis præponitur negatio: cuiusmodi sunt, Homo, arbor, currit.

Plura de voce finita & infinita reperies in nostro Prodidagmatum libello, multò quàm anteà correctiùs & auctiùs per Christophorum Plantinum in lucem nuper emisso, sub titulo, De vsitatis apud Dialecticos vocis diuisionibus.

Quæ enuntiationes hanc recipiunt conuersionem?

Vniuersalis aiens cõuertitur in vniuersalem aientem: vt, Omnis homo est animal; ergo omne non animal est non homo: hoc est, vt alij dicunt apertius, Ergo quicquid non est animal, non est homo. & item in specialem affirmantem: sequitur enim, Omnis homo est animal, ergo aliquod non animal est non homo: cuius ratio in promptu est; nam quicquid sequitur ad consequens legitimæ consecutionis, sequitur quoque ad antecedens eiusdem.

Specialis autem negans in specialem negantem conuertitur: vt, Quidam homo non est lapis, ergo quidam non lapis non est non homo. hoc est, ergo aliquid, quod non est lapis, non est nón homo.

Recita versiculum, quo breuiter docetur, quam quæque enuntiationes recipiant conuersionem.

Ecce tibi Simp. armigeros Ac, arma bono Con.
In quo vocalis A, vniuersalem aientem:
E, verò, vniuersalem negantem:
I, particularem aientem: &
O, particularem negantem significat.

Quis est vsus conuersionis?

Magnus quidem est vsus (licet fortasse imperitis, tum propter insulsitatem exemplorum, & spinosas cauillationes, quibus ista doctrina antè obscurata fuit; tum propter ignorantiam grauiorum disciplinarum, ludus quidam ridiculus & puerilis videatur, ita retexere pronuntiata, & vocum ordinem permutare;) vtimur enim huius loci doctrina, cùm posito aliquo pronuntiato, quid ex eo necessariò consequatur volumus inquirere, & vt ex grauioribus materiis demus exempla.

In physicis sequitur per conuersionem simplicem: Nulla stella consumitur, ergo nulla flamma, quam videmus consumi, est stella.

In Euangelio quoque per contrapositionem sic argumentatur Christus, Ioan. 8. Qui ex Deo est, verba Dei audit: vos igitur, cùm non audiatis, ex Deo non estis.

Præterea conspicitur hinc & signorum natura.

Maior vis est signi, nullus, quàm istius signi, omnis: nam in vniuersali negante ita spargitur vis negationis in totam enuntiationem, vt in permutatione signum idem retineatur, conuertendo simpliciter, quod in vniuersali affirmante fieri non posse, superiùs est dictum.

Recitat autem Aristoteles hoc loco doctrinam conuersionum, ob hanc caussam, vt posteà duas figuras syllogismorum, secundam & tertiam, confirmet, & illustret per certam & necessariam enuntiationis conuertentis & conuersæ inter se cohærentiam, atque connexionem.

Est enim conuersio veluti instrumentum per quod imperfecti & non satis euidentes syllogismi perficiuntur.

ADMONITIO.

Proinde Dialecticæ studiosi omnes iterum atq. iterum ea, quæ de ratione conuertendarum enùntiationum iam tradita sunt, relegere, in iisque se sedulò exercere debent: vt ad eum locum, qui est de reducendis syllogismis, hac doctrina muniti, & probè instructi accedant: qua ratione fiet, vt quod alioquin magnam haberet difficultatem, id nullo negotio, nullóque labore percipiant.

DE PRIMA FIGVRA.

DEINCEPS Philosophus de iis principiis, quæ ad syllogismi formam pertinent, agit; quæ sunt duo, Figura videlicet & Modus.

Quid est figura?

Figura est trium terminorum in antecedente syllogismi ordo, ex certa eorum subiectione & prædicatione nascens.

Quæ quidem definitio etsi non expresŝè ab Aristotele tradatur, ex eius verbis tamen satis intelligi potest, siue ea consideremus, quę in figura prima tradit, siue quæ in aliis.

Quibus nominibus appellantur isti tres termini, ex quorum certa dispositione nascitur figura?

Ex his tribus terminis, vnus Maior extremitas, alius Minor extremitas, tertius verò Medium vocatur.

Quid est maior extremitas?

Maior extremitas est terminus, qui cum medio ponitur in propositione, quam maiorem vocare solent.

Quid est minor extremitas?

Minor extremitas est terminus, qui cum medio ponitur in assumptione.

Quid est medium?

Medium est is terminus, qui bis ponitur ante conclusionem.

Quotuplex est figura?

Triplex, { *Prima*, *Secunda*, *Tertia*.

Quid est prima figura?

Prima figura est, qua medium semel subiecti, & semel prædicati locum obtinet.

Hoc est, Talis trium terminorum in syllogismi antecedente dispositio, qua medium in propositione quidem subiecti, in assumptione verò prædicati locum obtinet; vocatur prima figura.

Quid est secunda figura?

Secunda figura est, qua medium bis prædicati munus obit.

Hoc est, Talis trium terminorum in syllogismi antecedente dispositio, qua medium & in propositione & in assumptione prædicati tenet locum, appellatur secunda figura.

Quid est tertia figura?

Tertia figura est, qua medium bis subiecti fungitur munere.

Hoc est, Talis trium terminorum in syllogismi antecedente dispositio, qua medium & in propositione & in assumptione subiecti obtinet locum, nominatur tertia figura.

Quid est modus?

Modus est trium enuntiationum, ex quibus syllogismus constat, secundùm qualitatem & quantitatem certa dispositio: vt Barbara.

Quo nomine appellantur duæ enuntiationes, quæ in omni syllogismo conclusionem antegrediuntur?

Duarum enuntiationum, quæ conclusionem antecedunt, prior propositio; altera assumptio vocatur; & ambæ communi apud dialecticorum vulgus nomine dicuntur præmissæ; ab Aristotele verò προτάσεις appellantur.

Quid est propositio?

Propositio est antecedentis ea pars, in qua præcipuum robur syllogismi continetur; & quia ferè talis est prima syllogismi pars, ob id ista propositionis nomen, cùm apud Ciceronem (vt suprà ostendimus) tum apud cæteros Latinitatis bonos auctores, sibi vendicauit.

Quid

Quid est assumptio?

Assumptio est, quæ adiuuat quidē, sed non continet præcipuam vim consecutionis: id autem ferè euenit ei enunciationi, quæ in syllogismi antecedente secundum obtinet locum. hinc factum est, vt ista enunciatio ab eruditioribus sumptio vel assumptio, à Dialecticis vulgaribus minor propositio appellari consueuerit.

Quomodo diuiditur modus?

Modi singularum figurarum sunt { Vtiles, Græcè συλλογιστικοὶ, vel Inutiles, ἀσυλλόγιστοι.

Suntque numero 64. modi syllogismorum communium in singulis figuris, si inutiles cum vtilibus numerare, & tam conclusionis quàm antecedentis rationem habere velimus, indefinitámque sub speciali, vt facit Aristoteles, comprehendamus.

Oriūtur enim sedecim modorum diuersitates ex duarum enunciationum, quæ in antecedente syllogismi continentur, varietate: nam hæc varietas ratione quatuor enunciationis generum, quæ sunt vniuersalis aiens, particularis aiens, vniuersalis negans, particularis negans, decuplex & sextuplex esse potest.

Harum autem sedecim diuersitatum singulæ quadrifariam ratione conclusionis variari possunt; itaque sexaginta quatuor modorum numerus expletur: quod quidem vt clarius euadat, sedecim modorum varietates, quæ ratione mutati antecedentis contingunt, schemate ob oculos ponemus, in quo A, vniuersalem aientem: E, vniuersalem negantem: I, particularem aientem: & O, particularem negantem denotat.

Si enim singulas has litteras singulis præponas, efficientur sedecim varietates hoc pacto:

A	E	I	O
a a	e a	i a	o a
a e	e e	i e	o e
a i	e i	i i	o i
a o	e o	i o	o o

Quotuplices sunt regulæ, quæ hoc loco à Dialecticis tradi solent ad modos vtiles ab inutilibus secernendos?

Duplices sunt: nimirum { Generales, quæ ad omnium figurarum modos pertinent; cuiusmodi sunt septem: & Speciales, quæ ad singularum figurarum modos vtiles discernendos referuntur, etiam numero septem.

Quæ est prima generalis regula?

Ex solis specialibus legitimus non conficitur syllogismus.

Vt non sequitur:

Animal est quadrupes, &
Aliquis homo est animal; ergo
Aliquis homo est quadrupes.

Quæ regula de syllogismo medij communis, vt cæteræ omnes, non autē de syllogismo expositorio intelligēda est: sequitur enim,

Aliquod animal est bucephalus,
Aliquis equus est bucephalus; ergo
Aliquis equus est animal.

Quæ enim cohærent cum eodem tertio singulari, illa inter se etiam cohærere necesse est; sed non oportet eas res continuò inter se coniungi, quæ in eodem tertio communi conueniunt.

Quæ est secunda regula generalis?

Ex puris negantibus nihil sequitur.

Non enim oportet aliqua ob id mutuò à se separari, quòd ipsa separentur ab eodem tertio: vt non sequitur,

Nullus equus est rationis particeps,
Nullus homo est equus; ergo
Nullus homo est rationis particeps.

Quæ est tertia generalis regula?

Quando vna antecedentis syllogismi enuntiatio est specialis, tunc conclusionem specialem quoque esse oportet.

Effectus enim debiliorem suę caussæ partem sequitur: quod autem est speciale, debilius vniuersali censetur.

Hæc regula secundùm Neotericos patitur exceptionem, quando assumptio in prima figura est vniuersalis negans; & conclusio nouo & inusitato loquendi modo infertur: vt,

Quidam homo est animal,
Nullus equus est homo; ergo
Omnis equus aliquod animal non est.

Sed missa huiusmodi faciamus: veteres enim abstinuerunt ab huiusmodi enuntiationibus, quas nostri de inconsueto modo loquendi vocant; aut eas pro consuetis vsurpatunt. quod & hodie eruditi omnes faciunt, nihil constituentes discriminis inter has, Lapis non est animal, lapis animal non est.

Quæ est quarta generalis regula?

Si in antecedente syllogismi altera enuntiatio fuerit negans, conclusionem quoque negantem esse oportet.

Nam videtur affirmatio perfectionem, negatio verò imperfectum quiddam continere.

Quæ est quinta generalis regula?

Medium nunquam ingredi potest conclusionem.

In omni enim syllogismo quilibet trium terminorum debet bis repeti, & bis duntaxat. Itaque cùm medium in antecedente bis ponatur, nequaquam est in conclusione repetendum.

Quæ est sexta generalis regula?

In omni syllogismo medij communis oportet medium semel saltem in antecedente vniuersè poni.

Quæ est septima & postrema?

In omni syllogismo cauendum est, ne vlla vox communis in antecedente pro parte tantùm accepta, in consequente pro toto genere sumatur.

In quibus duabus regulis fundantur duæ regulæ suprapositæ, nempe prima & tertia: nam quandocunque inter argumentādum contra illas vitium committitur, simul etiam contra alterutram ex istis duabus postremis peccatum esse comperitur: quod quidem exemplis probare, nisi prolixitatem in re per se satis clara metueremus, haud difficile foret.

Pleræque etiam regulæ speciales in singulis figuris posteà recitandæ, altera harum regularum nituntur.

Quot sunt regulæ speciales, quibus vtiles primæ figuræ modi ab inutilibus separantur?

Duas esse eiusmodi regulas non obscurè indicant Aristotelis verba.

Quæ est prior?

Assumptione in prima figura negationem continente, nulla sequi potest syllogistica conclusio.

Nam ita à maiore extremitate in antecedente speciatim accepta, ad eandem in consequente vniuersè sumptam procederetur. quo quidem vitio declinato, nihil prohibebit, quominus in prima figura assumptio negationem contineat. declinatur autem hoc vitium concludendo indirectè, vt fit in Fapesmo & Frisesomorum.

Quæ est posterior?

Propositione existente speciali, in prima figura nihil sequitur.

Nam quando id accidit, medium nusquam in antecedente vniuersè accipitur: assumptio enim (vt iam dictum est) negationem habere non potest; hæc tamen regula in modis directè concludentibus duntaxat habet locum: nam Frisesomorum ex particulari constat propositione.

Quomodo describit Aristoteles modos primæ figuræ vniuersales seu vniuersè concludentes, quos ipse vocat γράμματα, ἔγραψε, Latini verò Barbara, Celarent?

Ὅταν οὖν ὅροι τρεῖς οὕτως ἔχωσι πρὸς ἀλλήλους, ὥστε τὸν ἔσχατον ἐν ὅλῳ εἶναι τῷ μέσῳ, καὶ τὸν μέσον ἐν ὅλῳ τῷ πρώτῳ εἶναι ἢ μὴ εἶναι, ἀνάγκη τῶν ἄκρων εἶναι συλλογισμὸν τέλειον.

COL. *Cùm tria verba eam inter se rationem habent in oratio-*

ne, vt & postremum in medio toto dicatur, & medium in toto primo dicatur, aut non dicatur, ex verbis ita locatis, perfecta absolutaq; conclusio nascatur necessum est.

A r g. Quando tres termini sic se habent ad inuicem, vt & postremus sit in toto medio, & medius in toto primo vel sit vel non sit, extremorum perfectum fieri syllogismum necesse est.

Quorum verborum hæc est sententia:

Cùm tres termini ita inter se in antecedēte syllogismi sunt dispositi, vt medium maiori quidem extremitati vniuersè (siue affirmatè, siue negatè id accidat) subiiciatur, de minore autem extremitate vniuersè & affirmatè dicatur; tum necesse est syllogismum concludentem extremitates directè, esse perfectum.

Quid est directè concludere extremitates?

Directè concludere extremitates, est maiorem extremitatem de minori in conclusione enuntiare.

Quid est indirectè concludere extremitates?

Indirectè concludere extremitates, est minorem extremitatem de maiori in conclusione enuntiare: rectus siquidem ordo postulat, vt maior extremitas prædicati, minor verò subiecti locum teneat.

Quomodo definit Aristoteles medium primæ figuræ?

Καλῶ δὲ μέσον μὲν, ὃ καὶ αὐτὸ ἐν ἄλλῳ, καὶ ἄλλο ἐν τούτῳ ἐστιν.

P e r. Medium autem verbum voco id, quod & ipsum in aliquo, & aliud in ipso dicitur.

C o l. *Medium verbum est, quod & ipsum in alio, & aliud in ipso dicitur.*

A r g. Medium est, quod & ipsum in alio, & aliud in ipso est.

Quis est sensus istorum Aristotelis verborum?

Medium primæ figuræ est, quod in propositione seu prima antecedentis parte maiori extremo affirmatè subiicitur, & in assumptione de minori extremo affirmatè enuntiatur: vnde manifestum euadit, nunc recitatam ex Aristotele medij primæ figuræ descriptionem perfectam non esse; eos enim duntaxat modos respicit qui propositionem affirmantem, non autem eos qui negantem habent, sed ita secundùm phrasim Aristotelicam iam dicta descriptio esset perficienda:

Medium primæ figuræ est, quod in alio vel est, vel non est, & aliud in ipso.

Quid

Quid sibi vult istud, quod adiungit Aristoteles (quod & positione medium est?)

Hoc accipi solet tanquam secunda medij primæ figuræ descriptio. Quod quidem ideo dicitur medium positione, quia semel subiecti & semel prædicati locum tenet. Id enim primum locum in ordine terminorum sibi vendicat, quod frequentissimè prædicatum est: id verò vltimum, quod sæpissimè subiectum est: & id medium, quod partim prędicatum fuerit, partim subiectum. Vnde liquet, in hac figura maiori extremitati primum locum; minori extremitati postremum; medio verò, medium quēdam locum esse tribuendum; quòd maior extremitas semper prædicati, minor extremitas semper subiecti, medium verò semel subiecti, & semel prædicati vicem subeat.

Quomodo describit Aristoteles extrema primæ figuræ?

Ἄκρον δὲ καλῶ, τὸ αὐτό τε ἐν ἄλλῳ ὄν, καὶ ἐν ᾧ ἄλλο ἐστίν.

PER. Primum autem verbum voco, id quod ipsum in alio: extremum verò id, in quo aliud dicitur.

COL. *Extrema huius figuræ sunt, quorum alterum in alio, & alterum in quo aliud dicitur.*

ARG. Extrema voco id, quod & ipsum in alio est, & id, in quo aliud est.

Quæ est istorum verborum sententia?

Ista verba satis manifesta sunt, si aduertatur ablatiuum (alio) & nominatiuum (aliud) pro eodem accipi, nempe pro medio. Continetur autem sub priori parte minor extremitas; & sub posteriori maior: id quod etiam sequentes definitiones satis declarant. Vnde perspicuum est, posteriorem partem huius descriptionis, quæ maiori extremitati tributa est, imperfectam esse; quippe in qua hæc particula (vel non est) desideratur.

Recita seorsum extremitatum primæ figuræ descriptiones.

Λέγω δὲ μεῖζον μὲν ἄκρον, ἐν ᾧ τὸ μέσον ἐστίν.

Ἔλαττον δὲ, τὸ ὑπὸ τὸ μέσον ὄν.

PER. Primum autem verbum voco, quod ipsum in alio:
Extremum verò id, in quo aliud dicitur.

COL. *Primum verbum est, id quod ipsum in alio dicitur:*
Postremum verò id, in quo aliud dicitur.

ARG. Dico autem maiorem extremitatem quidem, in qua medium est:
Minorem verò, quæ sub medio est.

Quomodo describit Aristoteles modos primæ figuræ speciatim concludentes, quos ipse vocat γραφίδι, τεχνικός; Latini verò Darij, ferio?

Εἰδ' ὁ μὲν καθόλου τῶν ὅρων, ὁ δ' ἐν μέρει πρὸς τὸν ἕτερον, ὅταν μὲν τὸ καθόλου τεθῇ πρὸς τὸ μεῖζον ἄκρον ἢ κατηγορικὸν, ἢ στερητικὸν, τὸ δ' ἐν μέρει, πρὸς τὸ ἔλαττον κατηγορικὸν ἀνάγκη συλλογισμὸν εἶναι τέλειον.

PER. Si verò verbum vnum vniuersè dicatur, alterum autem quadam ex parte cum altero collatum, cùm propositio omni ex parte dicit, aut negat, assumptio autem quadã ex parte dicit; absoluta ratiocinatio fit necesse est.

COL. *Cùm propositio omni ex parte dicit aut negat, assumptio autem quadam ex parte dicit; tum absoluta ratiocinatio sit necesse est.*

ARG. Si autem terminorum hic quidẽ in vniuersum, ille verò partim in alio sit, vniuersale quidem maiorem ad extremitatem, vel prædicatiuum vel priuatiuum; particulare verò ad minorem prædicatiuum ponitur, syllogismum esse perfectum necesse est.

Hoc est, Is syllogismus primæ figuræ, in quo propositio quidem vniuersè vel affirmat, vel negat, assumptio autem speciatim affirmat, est perfectus.

Quod intelligendum est, modò directè concludatur.

Cur ex omnibus primæ figuræ modis istos quatuor duntaxat describendos & explicandos sibi sumpsit Aristoteles?

Quia licet (vt antè diximus) in prima figura sedecim inueniantur modi, ratione varietatum, quę in duabus antecedentis enuntiationibus contingere possunt; ex iis tamen omnibus directè cõcludendo, quatuor dũtaxat reperiuntur idonei & vtiles ad firmam euidẽtemq́. argumentationẽ conficiendã: proinde Aristoteles, cæteris omissis, hos quatuor duntaxat explicandos & declarandos putauit.

Profer exempla singulorum modorum perfectorum primæ figuræ.

Γράμ Bar Omne vitium est execrandum, &
μα ba Omnis auaritia est vitium; ergo
τα. ra Omnis auaritia est execranda.

Ε Ce Nullum corpus diuisionem respuit,
γρα la Omnis atomus est corpus; ergo
ψε rent Nulla atomus diuisionem respuit.

Γρα Da Omnis virtus est laudanda,
φι ri Aliqua taciturnitas est virtus; ergo
δι j Aliqua taciturnitas est laudanda.

Te Fe Nullum violentum est perpetuum,
ri Tyrannis est violenta; ergo
xos o Tyrannis non est perpetua.

Sunt ne alij præter hos modi vtiles primæ figuræ?

His modis perfectis addunt Neoterici, partim ex Aristotelis, partim ex Boëtij doctrina, alios quinque, vtiles quidem, sed imperfectos; duos nimirum Fapesmo & Frisesomorũ ex ipso habent Aristotele docente postea: In omni figura ex aiente vniuersali vel speciali propositione, assumptione autem vniuersali negante syllogisticè sequi conclusionem indirectam minoris extremitatis de maiori.

Reliquos tres modos ex Boëtij libro De categoricis syllogismis sumpserunt.

Profer exempla istorum quoque adiectitiorum primæ figuræ modorum.

Ba Omne animal est corpus,
ra Omnis homo est animal; ergo
lip Aliquod corpus est homo.

Ce Nullum animal est lapis,
lan Omnis homo est animal;
tes Nullus igitur lapis est homo.

Da Omnis virtus est habitus bonus,
bi Aliqua taciturnitas est virtus; ergo
tis Aliquis habitus bonus est taciturnitas.

Fap Omnis cupiditas est animi motus,
es Nulla virtus est cupiditas; ergo
mo Aliquis animi motus non est virtus.

Fris Aliqua taciturnitas est digna laude,
es Nulla modestia est taciturnitas; ergo
om. Aliquod dignum laude non est modestia.

Sed cùm non tam dilucidè concludant hi quinque modi, quàm superiores quatuor, solent ab eruditis minus commendari, & ad communem vsum pro inutilibus haberi. Aliorum autem primæ figuræ modorum, quos perfectos diximus, vsus est longè maximus atque frequentissimus.

ADMONITIO.

Exemplis autem vtimur simplicioribus, vt imperiti, & qui adhuc sunt rudiores, in eiusmodi notis & vulgatis vocibus, singulorum terminorum dispositionem tum in antecedente, tum in consequente syllogismi, certiùs & distinctiùs intueri queant: Sunt ta-

men adoleſcentibus inter docendum ex morali & ciuili diſciplina ſumpri ſyllogiſmi proponendi, vt & vſum huius artis intelligant, & eius vtilitatem deguſtare incipiant.

DE SECVNDA FIGVRA.

Quomodo deſcribit Ariſtoteles ſecundam figuram?

Οταν δὲ τὸ αὐτὸ τῷ μὲν παντὶ, τῷ δὲ μηδενὶ ὑπάρχῃ, ἢ ἑκατέρῳ παντὶ ἢ μηδενὶ, τὸ μὲν σχῆμα τὸ τοιοῦτον, καλῶ δεύτερον.

C OL. *Cùm idem verbum vnius omni, alterius nulli parti conuenit, aut vtriuſque omni, aut nulli parti: hanc talem voco ſecundam formam collocationis.*

A RG. Quando verò idem, huic quidem omni, illi verò nulli, vel vtrique omni nullíve ineſt: figuram huiuſmodi ſecundam voco.

Hoc eſt, Ea terminorum ſyllogiſmi diſpoſitio, qua idem medium de altera extremitate vniuersè affirmatur, de altera verò vniuersè negatur, vel de vtraque vniuersè affirmatur, aut vniuersè negatur, ſecunda vocatur figura.

Recita deſcriptiones terminorum ad ſecundam figuram relatorum ex Ariſtotele.

Μέσον δὲ ἐν αὐτῷ ·· δευτέρῳ σχήματι ·· λέγω τὸ κατηγορούμενον ἀμφοῖν.
Ακρα δὲ, καθ᾽ ὧν λέγεται τοῦτο.
Μεῖζον δὲ ἄκρον, τὸ πρὸς τῷ μέσῳ κείμενον.
Ελαττον δὲ, τὸ πορρωτέρω τοῦ μέσου.

P ER. Medium autem verbum in ea ·· ſecunda figura ·· appello, id quod tam in propoſitione, quàm in ſumptione dicitur.
Extrema verò ea, de quibus illud dicitur, quorum primum eſt, id quod medio eſt finitimum.
Poſtremum, id quod ab eodem longius.

C OL. *Medium ſecundæ figuræ eſt id, quod tam in propoſitione, quàm in aſſumptione dicitur:*
Extrema autem ſunt, de quibus medium dicitur:
Primum verbum eſt id, quod medio eſt finitimum:
Poſtremum verò verbum, id quod ab eodem longius eſt.

A RG. Medium autem in hac dico, quod de vtraque ·· extremitate ·· prædicatur.
Extremitates verò, de quib. mediũ hoc prædicatur:
Maiorem quidem, quæ poſita iuxta medium eſt:
Minorem verò, quæ ſita longiùs eſt à medio.

Explica paulò latiùs maioris & minoris extremitatis deſcriptiones.

Vt iſtæ deſcriptiones faciliùs intelligerentur, mox ſubiecit Ariſtoteles

ſtoteles in ordine terminorum huius figuræ, primum locum obtinere ipſum medium, quòd bis prædicati vice fungatur. ex quo conſequens eſt, maiorem extremitatem ſecundo, minorem verò extremitatem tertio & poſtremo loco eſſe collocandam. Vnde liquet, cur dixerit Ariſtoteles minorem extremitatem longiùs à medio eſſe ſitam, nimirum quia medium ſemper, ipſa nunquam prædicati ſubit vicem.

Quot ſunt regulæ ſpeciales ſecundæ figuræ, quibus modi vtiles ab inutilibus ſecernuntur?

Tres numerari ſolent.

Quæ eſt prima?

In ſecunda figura oportet propoſitionem eſſe vniuerſalem.

Nam alioqui à maiore extremitate pro parte tantummodo in antecedente accepta, ad eandem pro toto genere in conſequente acceptam procederetur, propter concluſionem, quæ per negationem efferri debet: vt videre licet in iſta vitioſa argumentatione,

Aliquis homo eſt albus, &
Nullus Aethiops eſt albus; ergo
Aliquis Aethiops non eſt homo.

Patitur ne iſta regula aliquam exceptionem?

Patitur, nimirum quando concluditur indirectè.

Quæ eſt ſecunda regula?

Ex puris affirmationibus non fit ſyllogiſmus in ſecunda figura.

Quia medium in neutra antecedētis parte vniuerſalem haberet acceptionem; particulatim enim, affirmantis enuntiationis prędicatum accipi ſolet. quapropter vitioſa eſt iſta argumentatio,

Omnis homo eſt animal, &
Omnis equus eſt animal; ergo
Omnis equus eſt homo.

Si tamen vitetur iam notatum vitium, legitima poterit eſſe ex puris affirmationibus in ſecunda figura argumentatio. vitatur autem vel capiendo medium ſingulare, vel ſi commune ſit, vniuerſale ſignum illi adiungendo.

Quæ eſt tertia regula?

In ſecunda figura, vt rata ſit & legitima argumentatio, concluſionem oportet eſſe negantem.

Cuius rei ratio eſt, quòd legitimi huius figuræ ſyllogiſmi antecedentis alteram partem ſemper negantem habeant.

Profer exempla quatuor modorum vtilium ſecundæ figuræ.

E Ceſ Nulla virtus eſt vitium,
γρα a Omnis ebrietas vitium eſt;
ψε re Nulla igitur ebrietas eſt virtus.

Κά Ca Omne animal est præditum sensu, &
με mes Nulla spongia est prædita sensu; ergo
στρες tres Nulla spongia est animal.

Μέ Fes Nullus spiritus habet carnem & ossa,
τει ti Corpus gloriosum habet carnem & ossa; ergo
ον. no Corpus gloriosum non est spiritus.

Α Ba Omnis qui ex Deo est, verbum Dei audit,
προ ro Pharisæus incredulus non audit verbum Dei; ergo
λογ. co Pharisæus incredulus non est ex Deo.

DE TERTIA FIGVRA.

Quomodo describit Aristoteles tertiam figuram?

Ὅταν δὲ τῷ αὐτῷ τὸ μὲν παντί, τὸ δὲ μηδενὶ ὑπάρχει, ἢ ἄμφω παντὶ ἢ μηδενί, τὸ μὲν σχῆμα τὸ τοιοῦτον καλῶ τρίτον.

COL. *Cùm eidem verbo toti vnum, alterum nulli eius parti conuenit, aut vtrunque toti aut nulli, eiusmodi collocationis formam tertiam nomino.*

ARG. Si autem eidem, hoc quidem omni, illud verò nulli inest, vel ambo omni, vel nulli insunt; figuram quidem hanc tertiam voco.

Hoc est, Illa terminorum syllogismi dispositio, qua de medio altera extremitas vniuersè affirmatur, altera verò de eodem vniuersè negatur vel ambæ de eodem vniuersè affirmantur, aut vniuersè negantur, tertia vocatur figura.

Quos modos complectitur ista descriptio?

Omnes tertiæ figuræ vniuersales, tam inutiles quàm vtiles.

Recita definitiones terminorum tertiæ figuræ quas iam commemorata definitio non obscurè commonstrat.

Μέσον δ' ἐν αὐτῷ ·· τρίτῳ σχήματι ·· λέγω, καθ' οὗ ἄμφω κατηγοροῦμεν·
Ἄκρα δὲ τὰ κατηγορούμενα·
Μεῖζον δὲ τὸ ἄκρον, τὸ πορρώτερον τοῦ μέσου·
Ἔλαττον δὲ, ἐγγύτερον.

PER. In ea autem medium voco id, de quo vtrumque dicimus:
Extrema verò, ea quæ dicuntur:
Primum, id quod à medio abest longiùs:
Postremum, id quod eidem est vicinius.

COL. *Medium tertiæ figuræ est id, de quo vtrunque dicitur:*
Extrema autem sunt, quæ de medio dicuntur:
Primum est id, quod à medio longiùs abest:
Postremum est id, quod eidem est vicinius.

ARG.

ARG. Medium autem in hac · · tertia figura · · dico, de quo ambo prædicamus:
Extremitates verò, quæ prædicantur.
Maiorem quidem, quæ longiùs à medio:
Minorem verò, quæ propiùs distat.

Cùm medium in hac figura semper subiiciatur, maior extremitas bis prædicati vice fungatur, minor autem in antecedente prædicati, & in conclusione subiecti munus obeat; liquet cur maiorem extremitatem longiùs à medio distare, minorem verò eidem propinquiorem esse dixerit Aristoteles.

Quot sunt modi vtiles tertiæ figuræ?

Sex:
- Duo ex vtraque antecedentis parte vniuersali constantes: { Darapti, Felapton.
- &
- Quatuor ex altera tantùm antecedentis parte vniuersali constantes, { Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Quot sunt regulæ peculiares tertiæ figuræ, quibus modi vtiles ab inutilibus separantur?

Duæ commemorari solent.

Quæ est prior?

In tertia figura non potest assumptio esse negans.

Nam sic à maiore extremitate in antecedente speciatim accepta (esset enim prædicatum propositionis affirmantis) ad eandem in conclusione vniuersè acceptam procederetur: exempli caussa non sequitur,

Omnis elephas est quadrupes, &
Nullus elephas est camelus; ergo
Camelus non est quadrupes.

Committitur enim in ista argumentatione iam dictum vitium: Nam maior extremitas (quadrupes) in antecedente speciatim, in conclusione verò vniuersè accipitur: quod vitium si vitetur, non habebit istius regulæ præceptio locum.

Quæ est posterior?

In tertia figura semper speciatim concludendum est.

Alioqui à minori extremitate pro parte in antecedente accepta, ad eandem pro toto genere in cõclusione sumptam procederetur, cùm secũdum priorem regulam oporteat assumptionem esse affirmantem: qui defectus si vitetur, nihil prohibebit, quominus in tertia figura vniuersè concludatur.

Profer

Profer exempla sex modorum tertiæ figuræ.

A Da Omnis anas natat,
πα rap Omnis anas est auis; ergo
σι. ti Quædam auis natat.

σθέ Fe Nulla scientia nobis est innata,
να lap Omnis scientia est animi promptitudo; ergo
γος ton Non omnis animi promptitudo est nobis innata.

I Dis Quoddam bellum est necessariò ferendum, &
σά a Omne bellum est calamitosum; ergo
κις mis Quoddam calamitosum est necessariò ferendum.

Ασ Da Omnis homo potestatibus sublimioribus subiectus est,
πί tis & Quidam homo est Christianus; ergo
δι. i Christianus subiectus est potestatibus sublimioribus.

O Bo Quædam castitas non est perpetua,
μι car Omnis tamen castitas est virtus; ergo
λος do Quædam virtus non est perpetua.

Φέ Fe Nullæ veteres leges priuata auctoritate abrogari debēt,
ει ris Quædam veteres leges habent aliquid vitij; ergo
σος. on Quædam vitij aliquid habentia, priuata auctoritate abrogari non debent.

Possent ne ista exempla in aliam figuram transferri?

Possent quidem hæc exempla maxima ex parte, aliquantulum mutata medij dispositione, in aliam conuerti figuram; verùm naturali terminorum ordine turbato, & pronũtiatorum inter se connexio durior, & totus syllogismus obscurior redderetur.

Recita summatim omnes omnium figurarum vtiles modos vnà cum versibus ad eorum faciliorem memoriam veterum industria excogitatis.

Summatim colligendo omnes modos vtiles hactenus positos, inuenimus eos numero esse decẽ & nouem; quatuor videlicet primæ figuræ perfectos, & quinque imperfectos: quatuor secundæ figuræ, & sex tertiæ. ad quos faciliùs memoriæ mandandos, firmiúsque memoria tenendos excogitauerunt veteres hos versiculos:

Barbara, Celarent, Darij Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum:
Cesare, Camestres, Festino. Baroco: Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Apud Græcos recensentur quatuordecim modi, hoc pacto:
Primæ figuræ, Γράμματα, Εγραψε, Γραφίδι, Τεχνικός.
Secundæ figuræ, Εγραψε, Κάτεχε, Μέτριον, Αχολον.
Tertiæ figuræ, Απασι, Σθένεος, Ισάκις, Ασπίδι, Ομιλος. Φέρισος.

Quis

Quis est vsus eorum quæ modò dicta sunt de figuris & modis?

Maximus est eorum vsus: ista enim, quæ modò tradita est de modis & figuris doctrina, veluti trutina quædam est certissima atq. commodissima ad momenta rationum, quibus homines vel inter loquendum vel inter scribendum vti solent, sine erroris periculo examinanda. Itaque & ad veritatis inuentionem, & ad prudentiæ corroborationem, hominísque omnibus in rebus fulciendum iudicium, dictu mirum, quantum huius loci præcepta conducant.

DE REGVLIS QVIBVSDAM SYLLOGISMORVM.

ARISTOTELES ex iis, quæ dixit de syllogismis hactenus, colligit quasdã regulas, ad solidiorẽ perfectiorémque reddendam syllogismi cognitionem, de quibus in præsentia strictim agemus.

Quæ est prima regula quam adducit Aristoteles ad magis illustrandam syllogismi cognitionem?

Δῆλον δὲ καὶ ὅτι ἐν ἅπασι τοῖς σχήμασιν, ὅταν μὴ γίγνηται συλλογισμὸς, κατηγορικῶν μὲν ἢ στερητικῶν ἀμφοτέρων, καὶ ἐπὶ μέρους ὄντων τῶν ὅρων, οὐδὲν ὅλως γίνεται ἀναγκαῖον.

PER. Hoc etiam perspicuum est, quando in omni dispositionis forma conclusio non sequatur: si enim vtraque propositio vel aiens sit vel negans, & ad generis partem accommodetur, nihil prorsus ex iis necessariò efficitur.

COL. *In omni figura, si vtraque propositio vel aiens sit vel negans, & ad generis partem accommodetur, nihil prorsus ex iis necessariò efficitur.*

ARG. Omnibus in figuris syllogismus non fit, prædicatiuis quidem priuatiuísve vtrisque terminis, & particularibus existentibus.

Quæ quidem regula nota est ex regulis generalibus syllogismorum paulò antè recitatis.

Quæ est secunda?

Κατηγορικοῦ δὲ καὶ στερητικοῦ καθόλου ληφθέντος τοῦ στερητικοῦ, ἀεὶ γίνεται συλλογισμὸς τοῦ ἐλάττονος ἄκρου πρὸς τὸ μεῖζον.

PER. Cùm autem vna earum dicit, negat altera, si ea quæ negat in toto genere versetur, semper sequitur conclusio verbi postremi de primo.

COL. *In omni figura cùm vna propositionum dicit, negat altera, si ea quæ negat, in toto genere versetur, semper sequitur conclusio verbi postremi de primo.*

ARG. Cùm autem prædicatiuus alter, alter priuatiuus est, & vniuersaliter priuatiuus sumitur; semper syllogismus minoris extremitatis de maiore fit.

Quorsum

Quorſum adduxit Ariſtoteles iſtam regulam?

Vt oſtenderet non omnem abſolutè diſpoſitionem partium antecedentis inutilem eſſe, quæ priùs dicta eſt inutilis: ſiquidem ſecundùm illos duos modos, Fapeſmo & Friſeſom, qui ſuperiùs inter inutiles modos ab Ariſtotele ſunt computati, fieri poſſunt legitimi & firmi ſyllogiſmi, non modò in prima, ſed etiam in ſecunda & tertia figura; hoc vno ſeruato, vt indirectè concludatur; hoc eſt, vt in concluſione minor extremitas de maiore enuntietur.

Quæ eſt tertia?

Δῆλον δὲ καὶ ὅτι τὸ ἀδιόριστον ἀντὶ τοῦ κατηγορικοῦ τοῦ ἐν μέρει τιθέμενον, τὸν αὐτὸν ποιήσει συλλογισμὸν ἐν ἅπασι τοῖς σχήμασι.

PER. Illud etiam perſpicuum eſt, indefinitum, ſi pro certæ rei propoſitione, quę ait, ponatur, eandē in omni diſpoſitionis forma effecturā cōcluſionem.

COL. *In omni figura, indefinita pro ſpeciali poſita eundem efficit ſyllogiſmum.*

ARG. Indefinitum prædicatū particularis loco poſitum, ſyllogiſmum omnibus in figuris eundem parit.

Quæ eſt quarta?

Φανερὸν δὲ καὶ ὅτι πάντες οἱ ἀτελεῖς συλλογισμοὶ τελειοῦνται διὰ τοῦ πρώτου σχήματος, ἢ γὰρ δεικτικῶς, ἢ διὰ τοῦ ἀδυνάτου.

PER. Illud quoque perſpicuum eſt, omnes imperfectas ratiocinationes prima forma poſſe perfici: aut enim directè docendo, aut incommodo concluduntur omnes.

COL. *Omnes imperfectæ ratiocinationes, prima figura, aut directè docendo, aut vrgendo incommodo perficiuntur.*

ARG. Omnes imperfecti ſyllogiſmi per primam figuram perficiuntur, aut oſtenſiuè, aut per impoſſibile.

Oſtenſiuè quidem per conuerſionem: per impoſſibile verò, aſſumendo enuntiationē concluſioni contradicentem cum altera partium antecedentis. quomodo autem id fieri debeat, poſteà dicetur.

Quæ eſt quinta?

Ἔστι δὲ καὶ ἀναγαγεῖν πάντας τοὺς συλλογισμοὺς, εἰς τοὺς ἐν τῷ πρώτῳ σχήματι καθόλου συλλογισμούς.

COL. *Omnes ratiocinationes ad omnes primæ figuræ eas, quæ in toto genere verſantur, reuocari poſſunt.*

ARG. Reducere etiam ſyllogiſmos omnes ad primæ figuræ vniuerſales ſyllogiſmos licet.

Idque intelligitur de reductione oſtenſiua, vel per impoſſibile propinqua vel remota.

TRANSITIO.

Hanc poſtremā regulam ipſe Ariſtoteles abundē declarat: tamen vt eius

Vt eius verba faciliùs intelligantur, vberiorémque capiant iuniores vtilitatem ex iam recitatis regulis, dicemus paucis de syllogismorum reductione præsertim imperfectorum ad perfectos.

ΠΕΡΙ ΔΕΙΚΤΙΚΗΣ ΑΝΑΓΩΓΗΣ, *seu* DE OSTENSIVA REDVCTIONE.

Quando dicitur syllogismus reduci ostensiuè?

Tunc dicitur syllogismus ostensiuè reduci, quando per conuersionem tantùm, aut per conuersionem vnàcum antecedentis partium transpositione reducitur ad alium syllogismum, & ita eius ostenditur firmitudo. Ad posteriorem partem pertinent syllogismi quatuor sequẽtium modorum, scilicet Fapesmo & Friseſomorum in prima figura, Camestres in secunda, & Disamis in tertia. Ad priorem verò reliqui omnes imperfecti syllogismi, exceptis iis qui secundum modos, Baroco & Bocardo, sunt confecti; hi enim per impossibile tantùm, non autem per conuersionem aut transpositionem partium antecedentis reducuntur.

Explica latiùs quo modo fieri debeat ista reductio ostensiua.

Quo pacto vnusquisque modus imperfectus sit ostensiuè reducendus ad modum aliquem perfectum, facillimo compendio docent consonantes litteræ in Latinis modorum nominibus locatæ, istæ nimirum septem, B, C, D, F, M, P, S.

Nam omnem modum aliqua harum quatuor primarum litterarum inchoat, significans ipsum, si imperfectus fuerit, ad eum perfectum modum reduci debere ostensiuè, qui ab eadem inchoatur littera: vt omnes syllogismi imperfecti qui ostẽsiuè reduci possunt, quorum est prima consonans [B] reducuntur ad Barbara:

Quorum verò [C] ad Celarent:

Quorum [D] ad Darij: Et quorum [F] ad Ferio.

Alibi verò positæ eædem consonantes, nullam habent hac in re significationem.

Nisi quòd [C] in medio posita, indicat eum modum non ostensiuè posse reduci, sed per impossibile tantùm; quod in solis Baroco & Bocardo vsu venit.

Ex cæteris verò consonantibus [P] designat in reductione enuntiationem eam, quæ per vocalem antegredientem intelligitur, conuersione per accidens, esse mutandam.

S] verò indicat conuersionem simplicem pronuntiati significati per antecedentem vocalem.

M] autem vbicunque ponatur, transponendarum partium antecedentis est signum,

His diligenter obseruatis, facile erit quemlibet imperfectum

Quomodo describit Aristoteles modos primæ figuræ speciatim concludentes, quos ipse vocat γραφίδι, τεχνικός; Latini verò Darij, ferio?

Εἰ δ' ὁ μὲν καθόλου τῶν ὅρων, ὁ δ' ἐν μέρει πρὸς τὸν ἕτερον, ὅταν μὲν τὸ καθόλου τεθῇ πρὸς τὸ μεῖζον ἄκρον ἢ κατηγορικὸν, ἢ στερητικὸν, τὸ δ' ἐν μέρει, πρὸς τὸ ἔλαττον κατηγορικὸν ἀνάγκη συλλογισμὸν εἶναι τέλειον.

PER. Si verò verbum vnum vniuersè dicatur, alterum autem quadam ex parte cum altero collatum, cùm propositio omni ex parte dicit, aut negat, assumptio autem quadā ex parte dicit; absoluta ratiocinatio sit necesse est.

COL. *Cùm propositio omni ex parte dicit aut negat, assumptio autem quadam ex parte dicit; tum absoluta ratiocinatio sit necesse est.*

ARG. Si autem terminorum hic quidē in vniuersum, ille verò partim in alio sit, vniuersale quidem maiorem ad extremitatem, vel prædicatiuum vel priuatiuum; particulare verò ad minorem prædicatiuum ponitur, syllogismum esse perfectum necesse est.

Hoc est, Is syllogismus primæ figuræ, in quo propositio quidem vniuersè vel affirmat, vel negat, assumptio autem speciatim affirmat, est perfectus.

Quod intelligendum est, modò directè concludatur.

Cur ex omnibus primæ figuræ modis istos quatuor duntaxat describendos & explicandos sibi sumpsit Aristoteles?

Quia licet (vt antè diximus) in prima figura sedecim inueniantur modi, ratione varietatum, quę in duabus antecedentis enuntiationibus contingere possunt; ex iis tamen omnibus directè cōcludendo, quatuor dūtaxat reperiuntur idonei & vtiles ad firmam euidētemq. argumentationē conficiendā: proinde Aristoteles, cæteris omissis, hos quatuor duntaxat explicandos & declarandos putauit.

Profer exempla singulorum modorum perfectorum primæ figuræ.

Γρά Bar Omne vitium est execrandum, &
μμα ba Omnis auaritia est vitium; ergo
τα. ra Omnis auaritia est execranda.

Ε Ce Nullum corpus diuisionem respuit,
γρα la Omnis atomus est corpus; ergo
ψε rent Nulla atomus diuisionem respuit.

Γρα Da Omnis virtus est laudanda,
φι ri Aliqua taciturnitas est virtus; ergo
δι j Aliqua taciturnitas est laudanda.

Τεχ

Tix Fe Nullum violentum est perpetuum,
u ri Tyrannis est violenta; ergo
xòs o Tyrannis non est perpetua.

Sunt ne alij præter hos modi vtiles primæ figuræ?

His modis perfectis addunt Neoterici, partim ex Aristotelis, partim ex Boëtij doctrina, alios quinque, vtiles quidem, sed imperfectos; duos nimirum Fapesmo & Frisesomorū ex ipso habent Aristotele docente postea: In omni figura ex aiente vniuersali vel speciali propositione, assumptione autem vniuersali negante syllogisticè sequi conclusiouem indirectam minoris extremitatis de maiori.

Reliquos tres modos ex Boëtij libro De categoricis syllogismis sumpserunt.

Profer exempla istorum quoque adiectitiorum primæ figuræ modorum.

Ba Omne animal est corpus,
ra Omnis homo est animal; ergo
lip Aliquod corpus est homo.

Ce Nullum animal est lapis,
lan Omnis homo est animal;
tes Nullus igitur lapis est homo.

Da Omnis virtus est habitus bonus,
bi Aliqua taciturnitas est virtus; ergo
tis Aliquis habitus bonus est taciturnitas.

Fap Omnis cupiditas est animi motus,
es Nulla virtus est cupiditas; ergo
mo Aliquis animi motus non est virtus.

Fris Aliqua taciturnitas est digna laude,
es Nulla modestia est taciturnitas; ergo
om. Aliquod dignum laude non est modestia.

Sed cùm non tam dilucidè concludant hi quinque modi, quàm superiores quatuor, solent ab eruditis minus commendari, & ad communem vsum pro inutilibus haberi. Aliorum autem primæ figuræ modorum, quos perfectos diximus, vsus est longè maximus atque frequentissimus.

ADMONITIO.

Exemplis autem vtimur simplicioribus, vt imperiti, & qui adhuc sunt rudiores, in eiusmodi notis & vulgatis vocibus, singulorum terminorum dispositionem tum in antecedente, tum in consequente syllogismi, certiùs & distinctiùs intueri queant: Sunt ta-

men adoleſcentibus inter docendum ex morali & ciuili diſciplina ſumpti ſyllogiſmi proponendi, vt & vſum huius artis intelligant, & eius vtilitatem deguſtare incipiant.

DE SECVNDA FIGVRA.

Quomodo deſcribit Ariſtoteles ſecundam figuram?

Ὅταν δὲ τὸ αὐτὸ τῷ μὲν παντὶ, τῷ δὲ μηδενὶ ὑπάρχῃ, ἢ ἑκατέρῳ παντὶ ἢ μηδενὶ, τὸ μὲν σχῆμα τὸ τοιοῦτον, καλῶ δεύτερον.

C o l. *Cùm idem verbum vnius omni, alterius nulli parti conuenit, aut vtriuſque omni, aut nulli parti: hanc talem voco ſecundam formam collocationis.*

A r g. Quando verò idem, huic quidem omni, illi verò nulli, vel vtrique omni nullíve ineſt: figuram huiuſmodi ſecundam voco.

Hoc eſt, Ea terminorum ſyllogiſmi diſpoſitio, qua idem medium de altera extremitate vniuersè affirmatur, de altera verò vniuersè negatur, vel de vtraque vniuersè affirmatur, aut vniuersè negatur, ſecunda vocatur figura.

Recita deſcriptiones terminorum ad ſecundam figuram relatorum ex Ariſtotele.

Μέσον δὲ ἐν αὐτῷ ·· δευτέρῳ σχήματι ·· λέγω τὸ κατηγορούμενον ἀμφοῖν.
Ἄκρα δὲ, καθ' ὧν λέγεται τοῦτο.
Μεῖζον δὲ ἄκρον, τὸ πρὸς τῷ μέσῳ κείμενον.
Ἔλαττον δὲ, τὸ πορρωτέρω τοῦ μέσου.

P e r Medium autem verbum in ea ·· ſecunda figura ·· appello, id quod tam in propoſitione, quàm in ſumptione dicitur.
Extrema verò ea, de quibus illud dicitur, quorum primum eſt, id quod medio eſt finitimum.
Poſtremum, id quod ab eodem longius.

C o l. *Medium ſecundæ figuræ eſt id, quod tam in propoſitione, quàm in aſſumptione dicitur:*
Extrema autem ſunt, de quibus medium dicitur:
Primum verbum eſt id, quod medio eſt finitimum:
Poſtremum verò verbum, id quod ab eodem longius eſt.

A r g. Medium autem in hac dico, quod de vtraque ·· extremitate ·· prædicatur.
Extremitates verò, de quib. mediũ hoc prædicatur:
Maiorem quidem, quæ poſita iuxta medium eſt:
Minorem verò, quæ ſita longiùs eſt à medio.

Explica paulò latiùs maioris & minoris extremitatis deſcriptiones.

Vt iſtæ deſcriptiones faciliùs intelligerentur, mox ſubiecit Ariſtoteles

ſtoteles in ordine terminorum huius figuræ, primum locum obtinere ipſum medium, quòd bis prædicati vice fungatur. ex quo conſequens eſt, maiorem extremitatem ſecundo, minorem verò extremitatem tertio & poſtremo loco eſſe collocandam. Vnde liquet, cur dixerit Ariſtoteles minorem extremitatem longiùs à medio eſſe ſitam, nimirum quia medium ſemper, ipſa nunquam prædicati ſubit vicem.

Quot ſunt regulæ ſpeciales ſecundæ figuræ, quibus modi vtiles ab inutilibus ſecernuntur?

Tres numerari ſolent.

Quæ eſt prima?

In ſecunda figura oportet propoſitionem eſſe vniuerſalem.

Nam alioqui à maiore extremitate pro parte tantummodo in antecedente accepta, ad eandem pro toto genere in conſequente acceptam procederetur, propter concluſionem, quæ per negationem efferri debet: vt videre licet in iſta vitioſa argumentatione,

Aliquis homo eſt albus, &
Nullus Aethiops eſt albus; ergo
Aliquis Aethiops non eſt homo.

Patitur ne iſta regula aliquam exceptionem?

Patitur, nimirum quando concluditur indirectè.

Quæ eſt ſecunda regula?

Ex puris affirmationibus non fit ſyllogiſmus in ſecunda figura.

Quia medium in neutra antecedẽtis parte vniuerſalem haberet acceptionem; particulatim enim, affirmantis enuntiationis prædicatum accipi ſolet. quapropter vitioſa eſt iſta argumentatio,

Omnis homo eſt animal, &
Omnis equus eſt animal; ergo
Omnis equus eſt homo.

Si tamen vitetur iam notatum vitium, legitima poterit eſſe ex puris affirmationibus in ſecunda figura argumentatio. vitatur autem vel capiendo medium ſingulare, vel ſi commune ſit, vniuerſale ſignum illi adiungendo.

Quæ eſt tertia regula?

In ſecunda figura, vt rata ſit & legitima argumentatio, concluſionem oportet eſſe negantem.

Cuius rei ratio eſt, quòd legitimi huius figuræ ſyllogiſmi antecedentis alteram partem ſemper negantem habeant.

Profer exempla quatuor modorum vtilium ſecundæ figuræ.

E Ceſ Nulla virtus eſt vitium,
  a Omnis ebrietas vitium eſt;
  re Nulla igitur ebrietas eſt virtus.

Κά	Ca	Omne animal est præditum sensu, &
τε	mes	Nulla spongia est prædita sensu; ergo
χε	tres	Nulla spongia est animal.
Μέ	Fes	Nullus spiritus habet carnem & ossa,
τρι	ti	Corpus gloriosum habet carnem & ossa; ergo
ον.	no	Corpus gloriosum non est spiritus.
Α	Ba	Omnis qui ex Deo est, verbum Dei audit,
χο	ro	Pharisæus incredulus non audit verbum Dei; ergo
λον.	co	Pharisæus incredulus non est ex Deo.

DE TERTIA FIGVRA.

Quomodo describit Aristoteles tertiam figuram?

Ὅταν δὲ τῷ αὐτῷ τὸ μὲν παντὶ, τὸ δὲ μηδενὶ ὑπάρχει, ἢ ἄμφω παντὶ ἢ μηδενὶ τὸ μὲν σχῆμα τὸ τοιοῦτον καλῶ τρίτον.

COL. *Cùm eidem verbo toti vnum, alterum nulli eius parti conuenit, aut vtrunque toti aut nulli, eiusmodi collocationis formam tertiam nomino.*

ARG. Si autem eidem, hoc quidem omni, illud verò nulli inest, vel ambo omni, vel nulli insunt; figuram quidem hanc tertiam voco.

Hoc est, Illa terminorum syllogismi dispositio, qua de medio altera extremitas vniuersè affirmatur, altera verò de eodem vniuersè negatur vel ambæ de eodem vniuersè affirmantur, aut vniuersè negantur, tertia vocatur figura.

Quos modos complectitur ista descriptio?

Omnes tertiæ figuræ vniuersales, tam inutiles quàm vtiles.

Recita definitiones terminorum tertiæ figuræ quas iam commemorata definitio non obscurè commonstrat.

Μέσον δὲ ἐν αὐτῷ · · τρίτῳ σχήματι · · λέγω, καθ' οὗ ἄμφω κατηγοροῦμεν·
Ἄκρα δὲ τὰ κατηγορούμενα·
Μεῖζον δὲ τὸ ἄκρον, τὸ πορρώτερον τοῦ μέσου·
Ἔλαττον δὲ, ἐγγύτερον.

PER. In ea autem medium voco id, de quo vtrumque dicimus:
Extrema verò, ea quæ dicuntur:
Primum, id quod à medio abest longiùs:
Postremum, id quod eidem est vicinius.

COL. *Medium tertiæ figuræ est id, de quo vtrunque dicitur:*
Extrema autem sunt, quæ de medio dicuntur:
Primum est id, quod à medio longiùs abest:
Postremum est id, quod eidem est vicinius.

ARG.

ARG. Medium autem in hac ·· tertia figura ·· dico, de quo ambo prædicamus:
Extremitates verò, quæ prædicantur.
Maiorem quidem, quæ longiùs à medio:
Minorem verò, quæ propiùs distat.

Cùm medium in hac figura semper subiiciatur, maior extremitas bis prædicati vice fungatur, minor autem in antecedente prædicati, & in conclusione subiecti munus obeat; liquet cur maiorem extremitatem longiùs à medio distare, minorem verò eidem propinquiorem esse dixerit Aristoteles.

Quot sunt modi vtiles tertiæ figuræ?

Sex:
- Duo ex vtraque antecedentis parte vniuersali constantes: { Darapti, Felapton. }
- &
- Quatuor ex altera tantùm antecedentis parte vniuersali constantes, { Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. }

Quot sunt regulæ peculiares tertiæ figuræ, quibus modi vtiles ab inutilibus separantur?

Duæ commemorari solent.

Quæ est prior?

In tertia figura non potest assumptio esse negans.

Nam sic à maiore extremitate in antecedente speciatim accepta (esset enim prædicatum propositionis affirmantis) ad eandem in conclusione vniuersè acceptam procederetur: exempli caussa non sequitur,

Omnis elephas est quadrupes, &
Nullus elephas est camelus; ergo
Camelus non est quadrupes.

Committitur enim in ista argumentatione iam dictum vitium: Nam maior extremitas (quadrupes) in antecedente speciatim, in conclusione verò vniuersè accipitur: quod vitium si vitetur, non habebit istius regulæ præceptio locum.

Quæ est posterior?

In tertia figura semper speciatim concludendum est.

Alioqui à minori extremitate pro parte in antecedente accepta, ad eandem pro toto genere in cõclusione sumptam procederetur, cùm secũdum priorem regulam oporteat assumptionem esse affirmantem: qui defectus si vitetur, nihil prohibebit, quominus in tertia figura vniuersè concludatur.

Profer exempla sex modorum tertiæ figuræ.

Α Da Omnis anas natat,
πα .rap Omnis anas est auis; ergo
σι. ti Quædam auis natat.

σθέ Fe Nulla scientia nobis est innata,
να lap Omnis scientia est animi promptitudo; ergo
ρος ton Non omnis animi promptitudo est nobis innata.

Ι Di∫ Quoddam bellum est necessariò ferendum, &
σά a Omne bellum est calamitosum; ergo
κις mis Quoddam calamitosum est necessariò ferendum.

Ασ Da Omnis homo potestatibus sublimioribus subiectus est,
πί ti∫ & Quidam homo est Christianus; ergo
δι. i Christianus subiectus est potestatibus sublimioribus.

Ο Bo Quædam castitas non est perpetua,
μα car Omnis tamen castitas est virtus; ergo
λος do Quædam virtus non est perpetua.

Φέ Fe Nullæ veteres leges priuata auctoritate abrogari debēt,
ρι ri∫ Quædam veteres leges habent aliquid vitij; ergo
στος. on Quædam vitij aliquid habentia, priuata auctoritate abrogari non debent.

Possent ne ista exempla in aliam figuram transferri?

Possent quidem hæc exempla maxima ex parte, aliquantulum mutata medij dispositione, in aliam conuerti figuram; verùm naturali terminorum ordine turbato, & pronūtiatorum inter se connexio durior, & totus syllogismus obscurior redderetur.

Recita summatim omnes omnium figurarum vtiles modos vnà cum versibus ad eorum faciliorem memoriam veterum industria excogitatis.

Summatim colligendo omnes modos vtiles hactenus positos, inuenimus eos numero esse decē & nouem; quatuor videlicet primæ figuræ perfectos, & quinque imperfectos: quatuor secundæ figuræ, & sex tertiæ. ad quos faciliùs memoriæ mandandos, firmiúsque memoria tenendos excogitauerunt veteres hos versiculos:

Barbara, Celarent, Darij Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum:
Cesare, Camestres, Festino. Baroco: Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Apud Græcos recensentur quatuordecim modi, hoc pacto:
Primæ figuræ, Γράμματα, Ἔγραψε, Γραφίδι, Τεχνικός.
Secundæ figuræ, Ἔγραψε, Κάτεχε, Μέτριον, Ἄχολον.
Tertiæ figuræ, Ἅπασι, Σθέναρος, Ἰσάκις, Ἀσπίδι, Ὁμαλὸς. Φέριστος.

Quis

Quis est vsus eorum quæ modò dicta sunt de figuris & modis?

Maximus est eorum vsus: ista enim, quæ modò tradita est de modis & figuris doctrina, veluti trutina quædam est certissima atq. commodissima ad momenta rationum, quibus homines vel inter loquendum vel inter scribendum vti solent, sine erroris periculo examinanda. Itaque & ad veritatis inuentionem, & ad prudentiæ corroborationem, hominísque omnibus in rebus fulciendum iudicium, dictu mirum, quantum huius loci præcepta conducant.

DE REGVLIS QVIBVSDAM SYLLOGISMORVM.

ARISTOTELES ex iis, quæ dixit de syllogismis hactenus, colligit quasdā regulas, ad solidiorē perfectiorémque reddendam syllogismi cognitionem, de quibus in præsentia strictim agemus.

Quæ est prima regula quam adducit Aristoteles ad magis illustrandam syllogismi cognitionem?

Δῆλον δὲ καὶ ὅτι ἐν ἅπασι τοῖς σχήμασιν, ὅταν μὴ γίγνηται συλλογισμός, κατηγορικῶν μὲν ἢ στερητικῶν ἀμφοτέρων, καὶ ἐπὶ μέρους ὄντων τῶν ὅρων, οὐδὲν ὅλως γίνεται ἀναγκαῖον.

PER. Hoc etiam perspicuum est, quando in omni dispositionis forma conclusio non sequatur: si enim vtraque propositio vel aiens sit vel negans, & ad generis partem accommodetur, nihil prorsus ex iis necessariò efficitur.

COL. *In omni figura, si vtraque propositio vel aiens sit vel negans, & ad generis partem accommodetur, nihil prorsus ex iis necessariò efficitur.*

ARG. Omnibus in figuris syllogismus non fit, prædicatiuis quidem priuatiuísve vtrisque terminis, & particularibus existentibus.

Quæ quidem regula nota est ex regulis generalibus syllogismorum paulò antè recitatis.

Quæ est secunda?

Κατηγορικοῦ δὲ καὶ στερητικοῦ καθόλου ληφθέντος τοῦ στερητικοῦ, ἀεὶ γίνεται συλλογισμὸς τοῦ ἐλάττονος ἄκρου πρὸς τὸ μεῖζον.

PER. Cùm autem vna earum dicit, negat altera, si ea quæ negat in toto genere versetur, semper sequitur conclusio verbi postremi de primo.

COL. *In omni figura cùm vna propositionum dicit, negat altera, si ea quæ negat, in toto genere versetur, semper sequitur conclusio verbi postremi de primo.*

ARG. Cùm autem prædicatiuus alter, alter priuatiuus est, & vniuersaliter priuatiuus sumitur; semper syllogismus minoris extremitatis de maiore fit.

Quorsum

Quorſum adduxit Ariſtoteles iſtam regulam?

Vt oſtenderet non omnem abſolutè diſpoſitionem partium antecedentis inutilem eſſe, quæ prius dicta eſt inutilis: ſiquidem ſecundùm illos duos modos, Fapeſmo & Friſeſom, qui ſuperiùs inter inutiles modos ab Ariſtotele ſunt computati, fieri poſſunt legitimi & firmi ſyllogiſmi, non modò in prima, ſed etiam in ſecunda & tertia figura; hoc vno ſeruato, vt indirectè concludatur; hoc eſt, vt in concluſione minor extremitas de maiore enuntietur.

Quæ eſt tertia?

Δῆλον δὲ καὶ ὅτι τὸ ἀδιόριστον ἀντὶ τοῦ κατηγορικοῦ τοῦ ἐν μέρει τιθέμενον, τὸν αὐτὸν ποιήσει συλλογισμὸν ἐν ἅπασι τοῖς σχήμασι.

PER. Illud etiam perſpicuum eſt, indefinitum, ſi pro certæ rei propoſitione, quę ait, ponatur, eandē in omni diſpoſitionis forma effecturā cōcluſionem.

COL. *In omni figura, indefinita pro ſpeciali poſita eundem efficit ſyllogiſmum.*

ARG. Indefinitum prædicatū particularis loco poſitum, ſyllogiſmum omnibus in figuris eundem parit.

Quæ eſt quarta?

Φανερὸν δὲ καὶ ὅτι πάντες οἱ ἀτελεῖς συλλογισμοὶ τελειοῦνται διὰ τοῦ πρώτου σχήματος, ἢ γὰρ δεικτικῶς, ἢ διὰ τοῦ ἀδυνάτου.

PER. Illud quoque perſpicuum eſt, omnes imperfectas ratiocinationes prima forma poſſe perfici: aut enim directè docendo, aut incommodo concluduntur omnes.

COL. *Omnes imperfectæ ratiocinationes, prima figura, aut directè docendo, aut vrgendo incommodo perficiuntur.*

ARG. Omnes imperfecti ſyllogiſmi per primam figuram perficiuntur, aut oſtenſiuè, aut per impoſſibile.

Oſtenſiuè quidem per conuerſionem: per impoſſibile verò, aſſumendo enuntiationē concluſioni contradicentem cum altera partium antecedentis. quomodo autem id fieri debeat, poſteà dicetur.

Quæ eſt quinta?

Ἔστι δὲ καὶ ἀναγαγεῖν πάντας τοὺς συλλογισμούς, εἰς τοὺς ἐν τῷ πρώτῳ σχήματι καθόλου συλλογισμούς.

COL. *Omnes ratiocinationes ad omnes primæ figuræ eas, quæ in toto genere verſantur, reuocari poſſunt.*

ARG. Reducere etiam ſyllogiſmos omnes ad primæ figuræ vniuerſales ſyllogiſmos licet.

Idque intelligitur de reductione oſtenſiua, vel per impoſſibile propinqua vel remota.

TRANSITIO.

Hanc poſtremā regulam ipſe Ariſtoteles abundē declarat: tamen vt eius

Vt eius verba faciliùs intelligantur, vberiorémque capiant iuniores vtilitatem ex iam recitatis regulis, dicemus paucis de syllogismorum reductione præsertim imperfectorum ad perfectos.

ΠΕΡΙ ΔΕΙΚΤΙΚΗΣ ΑΝΑΓΩΓΗΣ, seu DE OSTENSIVA REDVCTIONE.

Quando dicitur syllogismus reduci ostensiuè?

Tunc dicitur syllogismus ostensiuè reduci, quando per conuersionem tantùm, aut per conuersionem vnàcum antecedentis partium transpositione reducitur ad alium syllogismum, & ita eius ostenditur firmitudo. Ad posteriorem partem pertinent syllogismi quatuor sequētium modorum, scilicet Fapesmo & Frisesomorum in prima figura, Camestres in secunda, & Disamis in tertia. Ad priorem verò reliqui omnes imperfecti syllogismi, exceptis iis qui secundum modos, Baroco & Bocardo, sunt confecti; hi enim per impossibile tantùm, non autem per conuersionem aut transpositionem partium antecedentis reducuntur.

Explica latiùs quo modo fieri debeat ista reductio ostensiua.

Quo pacto vnusquisque modus imperfectus sit ostensiuè reducendus ad modum aliquem perfectum, facillimo compendio docent consonantes litteræ in Latinis modorum nominibus locatæ, istæ nimirum septem, B, C, D, F, M, P, S.

Nam omnem modum aliqua harum quatuor primarum litterarum inchoat, significans ipsum, si imperfectus fuerit, ad eum perfectum modum reduci debere ostensiuè, qui ab eadem inchoatur littera: vt omnes syllogismi imperfecti qui ostēsiuè reduci possunt, quorum est prima consonans [B] reducuntur ad Barbara:

Quorum verò [C] ad Celarent:

Quorum [D] ad Darij: Et quorum [F] ad Ferio.

Alibi verò positæ eædem consonantes, nullam habent hac in re significationem.

Nisi quòd [C] in medio posita, indicat eum modum non ostensiuè posse reduci, sed per impossibile tantùm; quod in solis Baroco & Bocardo vsu venit.

Ex cæteris verò consonantibus [P] designat in reductione enuntiationem eam, quæ per vocalem antegredientem intelligitur, conuersione per accidens, esse mutandam.

S] verò indicat conuersionem simplicem pronuntiati significati per antecedentem vocalem.

M] autem vbicunque ponatur, transponendarum partium antecedentis est signum,

His diligenter obseruatis, facile erit quemlibet imperfectum

ſyllogiſmum oſtenſiuè reducere ad primæ figuræ euidentes modos, ſi modò aliqua accedat exercitatio.

Intelligenda autem ſunt, quæ iam diximus, de ſyllogiſmis ex medio communi conſtantibus.

Si enim medium eſſet ſingulare, non poſſet talis reductio per eiuſmodi conuerſiones procedere ad aliquem modorum quatuor principalium primæ, ſed ad expoſitorium quempiam ſyllogiſmum primæ vel tertiæ figuræ.

Ratio autem cur Baroco & Bocardo nequeant oſtenſiuè perfici, eſt, quia ſi id fieret, componendus eſſet ſyllogiſmus primæ figuræ ex ambabus antecedentis partibus particularibus, aut conuertenda eſſet particularis negans; quorum vtrumque abſurdum eſt, & dialecticæ diſciplinæ contrarium.

Quis eſt vſus huius reductionis oſtenſiuæ?

Quis ſit vſus huiuſmodi reductionis, vno exemplo oſtendemus. Si quis infitietur in ratiocinatione modi Ceſare firmā ineſſe conſecutionem, eò quòd non ſit clara & perſpicua, ita cum illo agendum erit: Ex antecedente ſyllogiſmi ſecundum modum Ceſare confecti neceſſariò ſequitur antecedens ſyllogiſmi ad modum Celarent diſpoſiti: ſed hoc antecedens complexionem, quæ priùs in ſyllogiſmo ſecundæ figuræ erat illata, firmiter & neceſſariò concludit; igitur neceſſaria eſt conſecutio ſyllogiſmi ad modum Ceſare confecti: nam quicquid ſequitur ad conſequens legitimæ argumentationis, id ſequatur neceſſum eſt ad antecedens eiuſdem: quod in hoc ſyllogiſmo euidentiſſimè oſtendi poteſt:

Nullus homo eſt quadrupes, &
Omnis aſinus eſt quadrupes; ergo
Nullus aſinus eſt homo.

Mutata enim prima antecedentis parte, ſecundùm ſimplicem cōuerſionem, totus ſyllogiſmus in primam migrat figuram, omnibus eius partibus ad modum Celarent diſpoſitis.

ΠΕΡΙ ΤΗΣ ΤΩΝ ΣΥΛΛΟΓΙΣΜΩΝ
ἀναγωγῆς διὰ τοῦ ἀδυνάτου, *ſeu,*
DE REDVCTIONE SYLLOGISMORVM
per impoſſibile, quæ locum habet in omnibus
ſyllogiſmis imperfectis.

Quid eſt reductio per impoſſibile?

Reductio per impoſſibile eſt, qua imperfecti ſyllogiſmi improbator ad id quod impoſſibile eſt concedendum cogitur.

Quomodo fit iſta reductio per impoſſibile?

Sumitur pronuntiatum complexioni ex diametro repugnans, & cum eo vel propoſitio vel aſſumptio ipſius imperfecti ſyllogiſmi, ex quibus ſecundum modum aliquem euidentē & perfectum

infertur

infertur complexio, omissæ imperfecti syllogismi propositioni aut assumptioni contraria, vel contradicens: vt exemplum inferiùs positum manifestè ostendit.

Vnde accipit ista reductio suum robur?

Accipit ista reductio suum robur ex hoc axiomate: Omnis ea argumentatio rata est atque legitima, in qua conclusionis falsitas cum antecedentis veritate consistere nequit.

Quis est vsus reductionis per impossibile?

Hac reductione cogitur is, qui pertinaciter negauerit in syllogismo aliquo imperfecto inesse legitimam consecutionem, concedere id quod impossibile est, & à communi sensu prorsus alienum: videlicet duo pronuntiata contrariè, aut ex diametro inter se pugnantia simul vera esse, & ita ad agnoscendum suum errorem, & ad falsam, quam de imperfecto syllogismo conceperat, opinionem deponendam adigitur.

Vt si neges hunc syllogismum in Cesare rectè concludere:

Nulla planta est animal, &
Omnis homo est animal; ergo
Nullus homo est planta:

Necesse est concedas, antecedens posse esse verum consequente falso. erit igitur pronuntiatum, quod ex diametro cōsequenti opponitur, verum; nimirum istud, Aliquis homo est planta. & cùm vtraque pars antecedentis iam prolati syllogismi, vt ais, vera sit; capiam eius alteram partem, propositionem videlicet, contexámque secundum modum Ferio eiusmodi syllogismum:

Nulla planta est animal, &
Aliquis homo est planta; ergo
Aliquis homo non est animal.

Hic syllogismus euidens est, quare illum negare non potes: antecedens autem totum est à te concessum, quare & cōsequens fitearis necesse est; hoc autem contradicit assumptioni ipsius syllogismi imperfecti, quam etiam dicebas veram esse. Cogeris ergo, velis nolis, duo pronuntiata ex diametro inter se pugnantia fateri simul vera esse, aut concedere in Cesare factum prius syllogismum firmum & legitimum fuisse.

Inter modos imperfectos ab Aristotele commemoratos duo tantùm sunt, qui hanc reductionem solam recipiunt, qua perficiātur, nempe Baroco & Bocardo: reliqui verò omnes duplici ratione possunt perfici, ostensiua videlicet, & ea quæ est per impossibile.

DE EXPOSITORIO SYLLOGISMO.

Quemadmodum syllogismorum medij communis alium superiùs diximus perfectum, alium imperfectum; ita & de iis, qui medium habent singulare, est iudicandum. Sed aliter sunt consti-

tuenda principia, quibus hi diriguntur, quàm principia eorum, qui ex medio communi constant. Quod vt meliùs intelligatur, syllogismi expositorij natura latiùs nobis est explicanda.

Quid est syllogismus expositorius?

Syllogismus expositorius est, qui constat ex medio singulari: cuiusmodi est iste,

Plato est eloquens, &
Plato est philosophus; igitur
Aliquis philosophus est eloquens.
Item iste:
Socrates non fuit Iudæus vel Christianus, &
Socrates fuit cultor vnius Dei; igitur
Aliquis cultor vnius Dei, non fuit Iudæus vel Christianus.

Quomodo diuiditur syllogismus expositorius?

Syllogismus expositorius diuidedus est queadmodum is qui ex medio constat cõmuni, in perfectum videlicet & in imperfectum.

Qui syllogismi expositorij sunt perfecti, & qui imperfecti?

Ex syllogismis expositorijs quinam sint perfecti, & qui imperfecti, non satis constat. Illud tamen certum est, omnes syllogismos expositorios indirectè concludentes esse imperfectos, eósque perficiendos per alios directè concludentes.

De cõcludentibus autem directè magna est inter doctos disceptatio: plerisque tamen placet, syllogismos expositorios tertiæ figuræ directè concludentes esse perfectos, omnes verò aliarum figurarum esse imperfectos, ac perficiendos reductione ostensiua ad syllogismos tertiæ figuræ: eos videlicet qui sunt primæ, per cõuersionem assumptionis; & eos qui sunt secundæ figuræ per conuersionem totius antecedentis, propositionis videlicet & assumptionis: idque ex dirigentibus principiis syllogismorum expositoriorum perspicuum esse videtur.

Quot sunt principia ad quorum normam syllogismi expository diriguntur?

Duo sunt, quemadmodum duo priùs tributa sunt syllogismis constantibus ex medio communi.

Quod est prius principium?

Quæcunque cõueniunt vni tertio singulari, inter se quoq. conueniunt: cuius principij normam (extra trinitatis mysteriũ) verissimã sequũtur omnes expositorij syllogismi affirmatè cõcludẽtes.

Quod est alterum principium?

Quæcunque sic se habent, vt vnũ eorum cum aliquo tertio singulari verè cohæreat, & alterum ab eodem discrepet (extra trinitatis mysterium) ea discrepare seu remoueri à se mutuò necessarium est. Quod quidem principium sequuntur ij expositorij syllogismi,

mi, qui negantem habent conclusionem. Diximus extra trinitatis mysterium, quia in vocibus passim apud Theologos in mysterio sacrosanctæ trinitatis explicando vsitatis, vitiosa est ista, affirmatè secundùm prius principium procedens argumentatio: Essentia diuina est Pater, & essentia diuina est Filius; ergo Filius est Pater. Item ista, negantem secundùm posterius principium inferens conclusionem, Pater est essentia diuina, & Pater non est Filius; igitur Filius non est essentia diuina.

Quid habent ista principia, vnde iudicari possit de perfectione vel imperfectione iam dictorum syllogismorum?

Quòd illi syllogismi expositorij, qui clarè & expressè ad horum generalium axiomatum normam diriguntur, dicendi videantur perfecti; qui verò obscuriùs & latentiùs, imperfecti.

Quæ igitur figura magis est idonea ad syllogismi expositorij confectionem?

Fit quidem, vt modò dicebamus, in omni figura syllogismus expositorius, commodissimè tamen in tertia, eo quòd medium ibi semper subiiciatur, & voci singulari subiici potiùs, quàm de alia voce dici conueniat.

Attamen quemadmodum in nullo primæ aut tertiæ figuræ nominato modo, ita in omnibus secundæ figuræ modis, syllogismus expositorius fieri potest: vt sequentia docent exempla:

Ce Nullum elementum est hic sol, &
sa Omnis sol est hic sol; ergo
re Nullus sol est elementum.
Fe Nullus leo est bucephalus,
sti Quidam equus Alexandri regis est bucephalus; ergo
no Quidam equus Alexandri regis non est leo.

Similiter secundùm Camestres & Baroco disponi possent syllogismi expositorij partes.

Verùm syllogismi expositorij, qui in his secundæ figuræ modis fiunt, ab aliis constantibus ex medio communi in hoc discrepant, quòd hi possent, illi verò non possent reductione ostensiua perfici: eò quòd enuntiatio, simpliciter conuertenda, ex prædicato singulari constans, eiusmodi conuersionem non ferat. Reliqui omnes modi, secundùm quos syllogismi expositorij constructi firmam efficiunt consecutionem, nominibus vacant.

Hæc breuiter attigisse pro nostri instituti ratione sufficere arbitramur. Nam accuratior eiusmodi difficultatum pertractatio ad eorum munus pertinet, qui Aristotelicæ philosophiæ perfectam explanationem profitentur.

Quis est vsus syllogismi expositorij?

Magnus & frequens est syllogismi expositorij vsus, cùm in pri-

uatis, tum in publicis eruditorum hominum disputationibus.

Vtilis autem est syllogismus expositorius (quem Aristoteles ἔκθεσιν vocat) ad cōmunem ex singularibus experimentis doctrinam colligendam: nam versatur circa singularia, in quibus sensus ipse dominatur, à quo sunt semina omnis nostræ scientiæ: vt cùm sensus percipiunt febricitantem aliquem, accepta glycyrrhiza conualuisse, posteà mens hunc syllogismum expositorium componit:

Iste liberatus est à febribus,
Iste vsus est aduersus febres glycyrrhiza; ergo
Vtens glycyrrhiza liberabitur à febribus.

Nominatur autem ἔκθεσις, Latinè expositio, ἀπὸ τοῦ ἐκθέσθαι, ab exponendo; quia oratio communis, quæ fit conclusio, per singulares exponitur & declaratur: atque expositorius syllogismus nihil aliud est, nisi quędam communium enuntiationum explicatio: neque enim syllogismus expositorius mutat conclusionem, quando per eum syllogismus aliquis communis probatur, sed antecedentes partes reddit per singulares enuntiationes, tanquam per exempla, magis claras. Quare speciatim eo vtitur Aristoteles veluti instrumento, ad imperfectorum tertiæ figuræ syllogismorum firmitatem demonstrandam. Vbi enim primum modum tertiæ figurę per reductionem ad primam firmum demonstrauit, subiungit:
Ἔστι δὲ καὶ διὰ τοῦ ἀδυνάτου, καὶ τῷ ἐκθέσθαι ποιεῖν τὴν ἀπόδειξιν.

Ad eundē modum, cùm Datisi ad primā figurā reduxit, subdit:
Ἔστι δ' ἀποδεῖξαι καὶ διὰ τοῦ ἀδυνάτου καὶ τῇ ἐκθέσει καθάπερ ἐπὶ τῶν προτέρων.

Expositio igitur est, quando sumitur aliquid, quod est in medio imperfecti alicuius syllogismi, eíque tributo vtroque, vel adempto altero extremorum ad priorem conclusionem reditur: vt exempli caussa,

Omnis homo habet aures immotas,
Omnis homo est animal; ergo
Aliquod animal habet aures immotas.

Si imperitus quispiam nón videat eiusmodi consecutionis firmitatem, est enim subobscura (vt antè dictum est) imperfectorum syllogismorum ratiocinatio, nec eorum vis nisi à doctis percipitur, poterit iam prolatus syllogismus expositione ita probari, vt intelligat aduersarius necessariam fuisse in eo consecutionem, si nimirum sumatur aliquid, quod sub medio est, tanquam pro exemplo, & tribuatur ei vtrunque extremum, hunc in modum:

Socrates habet aures immotas, & Socrates est animal.

Quo ita exposito, communi sensu suggerente, intelliget aduersarius veram esse priorem conclusionem, qua aliquod animal aures habere immotas dicebatur.

Vides igitur, hunc syllogismum vtilem esse ad enuntiationes iam antè probatas, nondum autem satis perspectas aut intellectas

à rudi-

à rudibus, explicandas, & quasi exemplo aliquo noto declarandas: idque ſæpè fit in familiari ſermone, & in diſertorum ſcriptis: vt apud Ciceronem, cùm docet principes rerum publicarum non debere præcipites eſſe, & contationem prodeſſe in magnis rebus gerendis: qui communem ſententiam exponens per ſingulares enunciationes ſic argumentatur:

Fabius Maximus ſeruauit vrbem Romam,
Fabius Maximus fuit contator; ergo
Contatio ſeruat reſpublicas.

Poſſent infinita huiuſmodi exempla referri: nam incurrũt tales argumentationes in quotidianum ſermonẽ, etiam nobis ignorãtibus. Eſt enim prima hæc via argumentandi, quam natura ipſa nos docet, ſed artis eſt obſeruare in ſermone, an membra ritè cõiuncta ſint: ideoq́. fit eius in Dialectica mentio, vt certã quandam diſpoſitionem tenentes, quid firmum, quid infirmum ſit, in eiuſmodi argumentatione, citra omnem dubitationem ſtatuere poſſimus.

De contingenti.

Quomodo definit Ariſtoteles contingens?

Λέγω δ' ἐνδέχεσθαι, καὶ τὸ ἐνδεχόμενον, οὗ μὴ ὄντος ἀναγκαίου, τεθέντος δ' ὑπάρχειν, οὐδὲν ἔσται διὰ τοῦτ' ἀδύνατον.

PER. Dico autem contingere & contingens, id quod non eſt neceſſarium; quóque poſito, nihil ſequetur incommodi.

COL. *Contingens eſt id, quod non eſt neceſſarium; quoq́ poſito, nihil ſequetur incommodi.*

ARG. Dico autem contingere & contingens, quod cùm non exiſtat neceſſariò, eſſe verò ponatur, nihil indè impoſſibile ſequitur.

Vt, Hominem caneſcere, animal ambulare.

Explica latiùs iam recitatam contingentis definitionem.

Contingens eſt res, quæ cùm non ſit neceſſaria; nullum tamen, ſi eſſe concedatur, ſequetur impoſſibile. Poſtrema definitionis parte excluduntur impoſſibilia: vt Chimæram eſſe hominem, eſſe equum. nam ex omni & ſolo impoſſibili, rectè ſequitur aliud impoſſibile. Priori autem definitionis parte res neceſſarias excludimus: vt Deum eſſe, hominem eſſe animal.

Eſt ergo contingens quoddam medium inter neceſſarium, & inter impoſſibile, per vtriuſque extremi negationẽ rectè definitum: & eſt res non modò iam ſubſiſtens, verumetiam quæ eſſe poſſit.

Dicitur enim non minùs de his, quæ futura ſunt, vel eſſe poſſunt; licet nunquam futura ſint, quàm de illis quæ iam ſunt, & corrumpi poſſunt.

Ad intelligendum illud dictū Aristotelis, quo ait, omnes enuntiationes ex contingenti non negato constantes, in oppositam qualitatem conuerti, declara paucis, quid sit conuersio in oppositam qualitatem.

Conuersio in oppositam qualitatem, est firma argumētatio, qua ex aiente enuntiatione concluditur negans, vel è diuerso, eiusdem planè subiecti, prædicati, atq; quantitatis, nisi ex antecedente vniuersali consequens speciale concludatur.

Habet autem hęc conuersio necessariam consecutionem in solis & omnibus enuntiationibus ex cōtingenti constantibus, siue modus affirmetur siue negetur; hoc vno seruato, vt similiter se habeat modus in antecedente & consequente: vt sequitur,

Omnem hominem contingit esse album; ergo
Omnem hominem contingit non esse album.
Non contingit cælum quiescere; ergo
Non contingit cælum non quiescere.

Modo autem variato, consecutionis tollitur vinculum: dissoluta enim & vitiosa esset ista ratiocinatio:

Omnem hominem contingit currere; ergo
Omnem hominem non contingit currere.

Verùm istud notandū, eas enuntiationes propriè ex contingenti constare, in quibus vox contingens affirmatè ponitur, idē significans quod possibile & possibile non: illas verò quæ contingens negatum habent, voce quidē esse ex contingenti; secundùm sensum verò ex impossibili & necessario: nam sensus huius, Non cōtingit cælum quiescere, est iste, Necessariò cælū quiescit, vel impossibiliter cælū quiescit. huius autem, Hominem contingit sedere, sensus est, Homo potest sedere, & potest non sedere. Vbi amplius considerandum est, enuntiationes ex contingenti non negato exponi per copulantem coniunctionem; ex negato verò, per disiungentem.

Cur agit hoc loco Aristoteles de contingenti?

Quia de syllogismis, in quibus sunt enuntiationes ex contingenti, dicturus est; qualis est hic perfectus primæ figuræ:

Omne album contingit esse nigrum, &
Omnem parietem contingit esse album; ergo
Omnem parietem contingit esse nigrum.

TRANSITIO.

Quoniam huiusmodi syllogismorum rarior est vsus, idcirco accuratam eorum conficiendorum rationem ex Aristotele petēdam relinquentes, ad alia properemus.

DE QVIBVSDAM AXIOMATIBVS.

Quatuor sunt regulæ syllogismorū iis, quæ paulò antè expositæ sunt, non admodum dissimiles, vulgò Præsupposita, ab aliis Theo-

remata, à nobis Axiomata nuncupatæ: quòd his veluti quibuſdam principiis in antegreſſa diſputatione frequẽter vſus ſit Ariſtoteles, earum explanatione in hunc locum vt opportuniorem reſeruata.

Quæ eſt prima regula, ſeu primum axioma?

Πᾶσαν ἀπόδειξιν καὶ πάντα συλλογισμὸν ἀνάγκη γίνεσθαι διὰ τριῶν τῶν εἰρημένων σχημάτων.

PER. Neceſſe eſt omnem demonſtrationem, omnemque concluſionem per has tres formas effici.

COL. *Omnem ſyllogiſmũ in aliqua trium figurarũ fieri oportet.*

ARG. Omnem demonſtrationem, omnémque ſyllogiſmum per tres prædictas figuras fieri neceſſe eſt.

Hoc eſt. Omnis illa ratiocinatio, quæ vel demonſtrationis, vel ſyllogiſmi nomine continetur, ſuos tres terminos ſecundùm aliquam ex tribus antè commemoratis figuris diſpoſitos habet.

Quod eſt ſecundum?

Ἔτι δὲ ἐν ἅπασι κατηγορικόν τινα τῶν ὅρων δεῖ εἶναι καὶ τὸ καθόλου.

PER. Iam verò in omnibus aliquam propoſitionem aientem eſſe oportet, & aliquid vniuersè & in totum conuenire.

COL. *Amplius in omnibus ſyllogiſmis aliquam propoſitionem aientem eſſe oportet, & aliquid vniuersè & in totum cõuenire.*

ARG. Amplius in omnibus oportet aliquem terminorum prædicatiuum, & vniuerſalem eſſe.

Quod eſt tertium?

Δῆλον δὲ καὶ ὅτι πᾶσα ἀπόδειξις ἔσται διὰ τριῶν ὅρων καὶ μὴ πλειόνων.

PER. Atqui etiam illud perſpici potuit, tribus verbis omnem fieri demonſtrationem, non pluribus.

COL. *Perſpicuum eſt, omnem ſyllogiſmum tribus terminis & non pluribus conſtare.*

ARG. Patet autem & quòd omnis demonſtratio per tres terminos & non per plures erit.

Quod eſt quartum?

Φανερὸν ἡμῖν ἐστι καὶ ποῖον πρόβλημα χαλεπὸν, καὶ ποῖον εὐεπιχείρητον.

PER. Perſpicuũ etiã nobis eſt, quę facilis & quę difficilis ſit ad ꝓbãdũ quęſtio.

COL. *Quædam propoſitiones faciliùs, quædam verò ægriùs vel probantur, vel refelluntur.*

ARG. Manifeſtum etiam eſt, quoddam problema facile, aliud difficile collectu, aſtructúque eſſe.

Explica breuiter quæ ad hæc Dialectica axiomata rectè intelligenda ſcitu ſunt neceſſaria.

Omiſſis duobus primis tanquam notis, circa tertium aduertendum, debere ipſum intelligi de ſyllogiſmo abſolutè vno, & non aucto: interdum enim in ſyllogiſmis adiicitur propoſitioni aut aſ-

sumptioni alia enunciatio velut ipsius probatio & cõfirmatio, indicans nouum syllogismum, antequam ad cõclusionem veniatur.

Et hic vocatur syllogismus auctus, eò quòd augeatur aliqua enuntiatione contra communem syllogismorum consuetudinem: vt si quis ita ratiocinetur:

Omnis homo est capax disciplinæ, quia omne animal ratione præditum est capax disciplinæ; & Ioannes est homo, igitur Ioannes est capax disciplinæ.

Circa quartum axioma aduertendum est, illam quæstionem seu enuntiationem facilè colligi atque probari, quæ in pluribus figuris aut modis inferri potest; illam verò difficilem collectu esse, quæ in paucioribus figuris & modis concludi potest.

Atque hinc clarum est, inter omnes enuntiationes vniuersalem affirmantem omnium difficillimè syllogismo probari: solùm enim in prima figura, & vnico modo potest concludi.

At particularis negans in omnibus figuris concluditur: omnium igitur facillimè syllogismo probatur.

Sicut autem vniuersalem affirmantẽ probare est difficillimum, & particularem negantem probare facillimum; ita è contrario vniuersalem affirmantem euertere est facillimum, difficillimum autem confutare particularem negantem.

Illa enim enuntiatio confutatur faciliùs, cuius falsitas potest pluribus modis, siue per plures vias ostendi: Illa verò difficiliùs, cuius falsitas paucioribus modis conuinci potest.

Vniuersalis autem affirmans confutatur & per vniuersalem negantem sibi contrariam, & per particularem negantem sibi ex diametro repugnantem: atqui vniuersalis negans in duabus; particularis verò negans in omnibus figuris concludi potest.

At particularis negans non confutatur nisi per vniuersalem affirmantem, quæ vnica figura, & vnico modo potest concludi: Illa igitur facillimè confutatur, hæc difficillimè. Vniuersalis autem negans & particularis affirmans medio modo se habent, quantum attinet ad probandi vel confutandi rationem: vt ex iis, quæ iam dicta sunt, facilè intelligitur: ipseque Aristoteles non obscurè significauit, huius quartæ regulæ declarationem ita concludens:

Ὅλως οὐ δεῖ λανθάνειν, ὅτι ἀνασκευάσαι μὲν δι' ἀλλήλων ἐστὶ καὶ τὸ καθόλου διὰ τῶν ἐν μέρει, καὶ ταῦτα διὰ τῶν καθόλου, κατασκευάσαι δ' οὐκ ἔστι διὰ τῶν κατὰ μέρος τὰ καθόλου· δι' ἐκείνων δὲ ταῦτά ἐστιν. ἅμα δὲ δῆλον ὅτι καὶ τὸ ἀνασκευάζειν ἐστὶ τοῦ κατασκευάζειν ῥᾷον. πῶς μὲν οὖν γίνεται πᾶς συλλογισμὸς, καὶ διὰ πόσων ὅρων καὶ προτάσεων καὶ πῶς ἐχουσῶν πρὸς ἀλλήλας. ἔτι δὲ ποῖον πρόβλημα ἐν ἑκάστῳ σχήματι, καὶ ποῖον ἐν πλείοσι καὶ ποῖον ἐν ἐλάττοσι δείκνυται, δῆλον ἐκ τῶν εἰρημένων.

Col. *Omnino intelligendum est, generales & speciales propositiones*

sitiones alias aliis refelli, vt generales specialibus, & speciales generalibus. Confirmari autem specialibus generales non possunt: speciales generalibus possunt. Illud etiam perspicuum est, facilius esse refellere quid, quàm probare. Ac quemadmodum quidem omnis ratiocinatio conficitur, quótque ex verbis & propositionibus constat, & quam inter se rationem habere debent: præterea quæ in quaq; forma quæstio, & quæ in pluribus, quæq; in paucioribus probatur, ex iis, quæ dicta sunt, intelligi potest.

A R.G. Omnino ignorari non debet, quòd destruere alterum per alterum, vniuersalia per particularia, contráque licet; construere verò per particularia nunquam licet vniuersalia; per illa verò hæc maximè: nam si quid omni, & alicui. Simul autẽ manifestum, quòd destruere quàm construere facilius est. Omnis igitur syllogismus & quomodo, & per quot terminos propositionésque, & quomodo ad seinuicem habentes fiat: amplius autem quę propositio in vnaquaque figura, quæ in pluribus, & quæ in paucioribus monstretur, ex his, quæ dicta sunt, patet.

DE MEDII INVENTIONE.

DOCTE quidem & subtiliter de medij inuentione ab Aristotele scriptum est; verùm perobscurè & parum ad cõmunem disputandi scribendíque vsum accommodatè. Est enim tota huius loci apud Aristotelem doctrina à communi iudicio remotissima, & maioribus implicata difficultatibus, quàm aut rei natura postulet, aut discentium conueniat vtilitati. Quapropter Aristotelica doctrina, qua neminem vnquam inter disputandum vsum fuisse arbitramur, prætermissa, quædam alia & faciliora, & nisi nos fallat opinio, longè ad vsum accommodatiora, in eius locum substituemus; verùm nostri instituti memores, non omnia, quæ hac de re dici possent, singulatim persequemur; sed summa duntaxat huius doctrinæ delibantes capita, expeditam huius disciplinæ studiosis ad reliqua facilè cognoscenda, viam aperire conabimur.

Quid est medium?

Medium nihil aliud est nisi argumẽtum seu ratio quædam idonea ad controuersi thematis fidem stabiliẽdam: vt si huius thematis (Litteræ humaniores sunt discendæ) in aliqua disputatione exagitata

agitata veritas hoc modo defendatur: Humaniores litteræ viam aperiũt ad maximarum rerum dilucidam & certam cognitionem; igitur litteræ humaniores sunt discendæ: Id quod ad controuersi thematis veritatem demonstrandam accersitum est (nimirum ad maximarum rerum dilucidam & certam cognitionem, viam aperiens) medij seu argumenti locum & nomen obtinet.

Explana paulò latiùs medij in omni disputatione inueniendi rationem.

Istud in primis positum sit, nos hîc de medio syllogistico agere, cuius videlicet certa cum thematis subiecto & prædicato dispositione legitimus & firmus conficitur syllogismus: cuiusmodi erat in superiori exemplo hæc adducta ratio (ad maximarum rerum dilucidam & certam cognitionem, viam aperiens.)

Thema autem vocamus enuntiationem simplicem, cuius sententiam veritati consentaneam esse probare nitimur: cuiusmodi in superiori exemplo erat hæc enuntiatio, Litteræ humaniores sunt discendæ.

His ita constitutis, animaduertendum est,

Omne thema, quod in disputationem venit, { Vel aiens esse, / Vel negans.

Si thema sit aiens, quærenda erit ratio, cur prędicatum cum subiecto rectè cohærere dicamus: si verò negans, inuestiganda erit ratio, cur prædicatum à subiecto remouendum censeamus.

Hęc ratio inuenta, & ad subiectum thematis ritè accommodata, medium erit ad syllogismi structuram idoneum.

Quando dicitur medium ad subiectum thematis ritè esse accommodatum?

Tunc medium dicitur ad subiectum thematis ritè esse accommodatum, quando cum eo in eadem categorica enuntiatione subiecti aut prædicati locum obtinens, aptè secundùm Grammaticæ præcepta & loquendi consuetudinem collocari potest.

Exempli caussa, si ad istud thema probandum (Improborum familiaritas est vitanda) hæc afferretur ratio, (Quia qui picem tangit, inquinatur ab ea,) allatum quidem esset medium solidum & firmum, verùm ad syllogismi structuram parum vtile, nisi prius sit ad subiectum thematis accommodatum. fiet autem hæc accõmodatio, si allatæ rationis vim atque momentum talibus efferamus verbis, quæ aptè possint cum subiecto thematis in eodem pronuntiato cohærere, ad hunc modum: Improborum familiaritas est vitanda; quia hominem vitiorum fœditate contaminat.

Quo medio ita accommodato, facillimum fuerit totam ratiocinationem ad eam syllogismi structuram, quæ per Darij ostenditur, disponere, hoc modo:

Quicquid

Quicquid vitiorũ fœditate hominẽ contaminat, eſt vitandum,
Improborum familiaritas hominem vitiorum fœditate contaminat; igitur
Improborum familiaritas eſt vitanda.

Ex quibus fontibus hauriri debet controuerſi thematis medium?

Ex iſtis quatuor: { Experientia, Acumine ingenij, Eruditione, Perſcrutatione locorum.

E quibus duo priores ad naturam pertinent; poſteriores verò ad artem & ſcientiam referuntur.

Declara exemplis idoneas ad thematis defenſionem ex his fontibus hauriri rationes & accommodata media.

Primùm de experientia dicemus: deinde reliquarum quoque partium exempla proferentur.

Exemplum medij ex vſu ſiue experientia depromti.

Sit exempli cauſſa medium quærendum ad huius thematis (Intemperantia eſt fugienda) probationem conficiendam, quoniam thema affirmatè proponitur, quærenda cauſſa & ratio eſt, cur rem per prædicatum ſignificatam, cum re per ſubiectum denotata verè coniungi putemus, hanc rationem nobis ſuppeditat experientia; nimirum quòd intemperantia corpus debilitet, facultates exhauriat, & omnem animi ſtatum perturbet. Quæ ratio cùm abundè ſufficiat ad demonſtrandũ, veram fuiſſe prædicati in ſuperiori themate cum ſubiecto connexionem; legitimum & conueniens erit medium; ex quo cum reliquis duobus extremis, quæ ſemper thema ſecum affert, ſyllogiſmum contexere licebit, ad hunc modum:

Propoſitio.

Quicquid corpus debilitat, facultates exhaurit, & omnem animi ſtatum perturbat, eſt fugiendum: *Aſſumptio.*

Intemperantia corpus debilitat, facultates exhaurit, & omnem animi ſtatum perturbat; igitur *Concluſio.*

Intemperantia eſt fugienda.

Exemplum medij ex ingenij acumine ſeu naturali mentis perſpicientia deprompti.

Si hoc thema probandũ offeratur, Improborum cupiditas eſt infinita; & ad eius veritatem aſſerendam huiuſmodi ratio, ex naturali mentis perſpicientia, ſine vllo doctrinæ adminiculo, proferatur; Quia improborum cupiditas fines & terminos à lege atque ratione conſtitutos perfregit: medium erit ex naturali mentis acumine depromptum. facilè enim quiuis ſola naturalis ingenij perſpicacitate videt, ob eam cauſſam malos nullum concupiſcendi facere finem, quòd præfinitos à lege & ratione terminos aſpernentur.

Qua

Qua ratione ita inuenta, quoniã ad thematis subiectum etiam accõmodata est, perspicuo & euidenti syllogismo propositum thema concludere licebit; hoc videlicet:

Propositio.

Quicquid fines & terminos a lege atque ratione constitutos perfregit, infinitum est: *Assumptio.*

Improborum cupiditas fines & terminos à lege atque ratione constitutos perfregit: *Conclusio.*

Igitur improborum cupiditas est infinita.

Exemplum medij ex eruditione vel litteratura deprompti.

Sit hoc thema propositum, Diuitiæ non sunt expetendæ; cuius probationem quærere oporteat: quandoquidẽ thema negans est, omnia quæcunque aliquo modo vel subiectum, vel prædicatum eius attingunt, diligenter erunt mente perlustranda, tantisper dum occurrat aut necessaria aut certè probabilis ratio, cur prædicatum à subiecto disiungendum afferamus. Eiusmodi ratio cùm ex aliis fontibus, tum ex eruditione commodissimè depromi potest; ex ea nimirum doctrina quam Paulus tradit ad Timotheum, in hanc sententiam scribens: Habentes alimenta & quibus tegamur, his contenti simus: nam qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. In hac enim doctrina firma continetur propositi thematis ratio, quam ad hunc modum explicare licet: Diuitiæ non sunt expetendæ, quia, qui diuites cupiunt fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli. Quæ quidẽm ratio, iis verbis comprehensa, licet ad syllogismi confectionem idonea non sit, habet nihilominus ad propositi thematis veritatem stabiliendam maximum pondus: idque apertissimè cernetur, si sententia eadem conseruata, verbis autem eius nonnihil mutatis, ad subiectum thematis accommodetur, & ex ea talis conficiatur syllogismus:

Propositio.

Nullæ res, quibus concupitis homines in tentationem & laqueum diaboli incidunt, sunt expetendæ:

Assumptio.

Diuitiæ sunt eiusmodi res, quibus concupitis, homines in tentationem & laqueum diaboli incidunt:

Conclusio.

Igitur diuitiæ non sunt expetendæ.

Exemplum medij perscrutatione locorum inuenti.

Sit exempli caussa huius thematis, Honores non sunt admiratione digni, conficienda probatio. prætermissis superiùs demonstratis fontibus (vnde tamen haud difficile foret ad eiusmodi thema confirmandum, rationem adducere) locorum perscrutatione ita eam cõficere licebit: Primum aliquem ex iis locis, vnde spes est eius-

eiuſmodi rationem duci poſſe, diligenter perſcrutabimur: cuiuſmodi in præſentia eſſe poſſunt, genus, ſpecies, definitio, cauſſa, effectus. Si quod quæſitum erat primi loci perſcrutatione inueniatur, quærendi finis erit: ſin minus, alius locus ſimiliter erit perſcrutandus: idque tantiſper faciendum, donec ad propoſiti thematis fidem ſtabiliendam ſatis firma ratio reperta eſſe videatur. Cùm igitur in præſenti themate primi loci, generis videlicet, perſcrutatio id abūdè præſtet quod quærebatur, non eſt cur nos vlteriùs progrediēdo fatigemus; ita enim ratione ex genere ducta propoſitum thema confirmare licet: Honores non ſunt admiratione digni, quia ſunt externa bona probis cum improbis cōmunia. Quæ ratio quantam habeat vim ad oblati thematis ſentētiam ſtabiliendam, oſtendit iſte ſyllogiſmus: *Propoſitio.*

Nulla externa bona probis cum improbis communia, ſunt admiratione digna: *Aſſumptio.*

Honores ſunt externa bona probis cum improbis communia:

Concluſio.

Honores igitur non ſunt admiratione digni.

Hactenus breuiter & clarè de medij inuentione diſſeruimus. Porrò quoniam hîc à iunioribus dubitari poſſet, ad quam figuram, item ad quem modum inuenta iam & præparata ſyllogiſmi materia aptari & cōcinnari debeat, non grauabimur, ad illis gratificandum, huius quoque artificij rationem paucis aperire.

Explica igitur breuiter, ad quam figuram, & ad quem modum, inuento iam idoneo ad thema probandum argumento, conſtruenda & componenda ſit ratiocinatio.

Ad id quod de figura quæritur, reſpōdemus, omnem argumentationem ex ſolido & firmo conſtantem argumento (paucis exceptis, de quibus poſteà dicetur) primæ figuræ diſpoſitionem atque ſtructuram poſſe ſuſcipere: De modo autem dicimus, cōſtituta iam figura ad quam ratiocinatio reuocari debet, ad eum modum illius figuræ ſyllogiſmi ſtructuram eſſe faciendam, cuius concluſio & qualitate & quantitate cum themate conſentit. Vt exempli cauſſa, ſi thema vniuerſalem contineat affirmationem, conſtruendi ſyllogiſmi partes ſecundùm modum Barbara, erunt diſponendæ: ſi verò thema vniuerſalem contineat negationem, conſtruendi ſyllogiſmi partes in prima quidem figura ſecundùm modum Celarent; in ſecunda verò ſecundùm modum Ceſare vel Cameſtres componere oportebit; & ſimiliter de cæteris iudicandum: veluti ſi iſtam argumētationem, Improbi nunquam ab omni cruciatu animum liberum habent; quia ſemper vel inſtanti cruciantur dolore, vel futurum reformidant: Quandoquidem ſub generali continetur regula, ſecundùm primam figuram eius medium diſponendum eſt;

quia

quia verò eius thema cõclusioni modi Ferio, & qualitate & quantitate consentit, ad illius modi normam construendus erit syllogismus. itaque partes eius ad hunc modum erunt disponendæ:

Propositio.

Nulli qui semper vel instanti cruciantur dolore, vel futurum reformidant, animum liberum habent ab omni cruciatu:

Assumptio.

Improbi semper vel instanti cruciantur dolore, vel futurum reformidant: *Conclusio.*

Igitur improbi nunquam ab omni cruciatu animum liberum habent.

PRIMA EXCEPTIO.

Diximus autem in regula generali [paucis exceptis:] nam quandocunque thema negans, probandum est medio, quod de subiecto thematis quoque negatur, tum secundum aliquem secundæ figuræ modum, cuius assumptio negationem contineat, syllogismi structura confici debet. veluti si hanc argumentationem, Diuitiæ non sunt vera hominis bona, quia non reddunt hominẽ meliorem, ad syllogismum reducere vellemus, secundùm normam per Baroco designatam, eiusmodi ratiocinationis materia foret componenda, ad hunc modum: *Propositio.*

Omnia quæ vera sunt hominis bona, reddũt hominẽ meliorem:

Assumptio.

Diuitiæ non reddunt hominem meliorem:

Conclusio.

Igitur diuitiæ non sunt vera hominis bona.

Cui argumentationi, quòd assumptionem habere debeat negantem, nullus est in prima figura locus: vt ex iis, quæ superiùs dicta sunt, manifestum est.

SECVNDA EXCEPTIO.

Prætereà illa argumentatio ad syllogismũ primæ figuræ reuocari non potest, in qua ad thema negans vel aiens probandum, argumentum affertur firmum quidem & solidum, sed tale, quod in propositione vniuersali, maiori extremo verè subiici nequeat; tũc enim ad modum aliquem tertiæ figuræ inuenta syllogismi materia disponenda erit: veluti si hoc thema, Quædam animalia visum non habẽt, hac ratione, quia homines quidam visum non habent, probare velimus; non licebit eiusmodi argumentationis materiam secundum aliquem primæ figuræ modum disponere, quòd construendi ex hac materia syllogismi propositio nequeat esse vniuersalis; propositione autem existente speciali in prima figura, nihil sequitur: vt antè libro quarto dictum est.

Ob eandem rationem etiam respuit ista argumentatio omnem

secundæ figuræ legitimam structurã: restat igitur eiusmodi enthymematis materiam (si syllogismi dispositionem illi tribuere velimus) ad aliquẽ ex tertiæ figuræ modis esse dirigendam; inter quos in præsentia maximè idoneus est Bocardo, quod & propositionem & conclusionem habeat, qualem postulat oblata materia. Ad huius ergo modi formulam sic ex proposita materia syllogismum contexere licebit:

Propositio.

Quidam homines non habent visum:

Assumptio.

Omnes homines sunt animalia:

Conclusio.

Quædam igitur animalia visum non habent.

Atqui hoc est exemplum argumentationis, qua thema negans tali probatur medio, quod maiori extremo vniuersè subiici nequit. Argumentationis verò, qua thema aiens simili probatur medio, exemplum est istud, Quædam animalia sunt longæua, quia quidam homines sunt longæui. Quæ argumentatio ita ad Disamis tertiæ figuræ modum reduci debet:

Propositio.

Quidam homines sunt longæui:

Assumptio.

Omnes homines sunt animalia;

Conclusio.

Quædam igitur animalia sunt longæua.

Quis est harum præceptionum de medio inueniendo & disponendo vsus?

In omni disceptationum genere, & præsertim in grauioribus disputationibus, duo sunt quæ ad veritatem asserendam, & contra impostorum calumnias defendẽdam plurimum valent; nimirum rationum pondus, & argumentandi perspicuitas. ad quorum prius cùm medij inueniendi ratio viam patefaciat, ad alterum verò inuenti iam argumenti secũdùm syllogisticam formulam dispositio, planum est ea, quę de medio inueniendo & disponendo dicta sunt, ad disputationem laudabiliter vtilitérque instituẽdam, plurimum habere momenti.

DE RESOLVTIONE.

POSTQVAM syllogismorum σύνθεσιν seu compositionem absoluit Aristoteles, ad ἀνάλυσιν seu dissolutionem eorum in enunciationes & terminos explicandam accedit: cuius verba, quia pauca sunt & nulla difficultate inuoluta, in hunc locum transferre operæpretium duximus.

DE SYLLOGISMORVM RESOLVTIONE in enunciationes ex Aristotele.

COL. *Primùm danda opera est, vt duas ratiocinationis propositiones*

tiones retexamus, propterea quòd facilius est in maiores partes quid diuidere, quàm in minutas. Maiora autē sunt ea quæ concreta sunt iis ex quibus illa constant. Deinde videndū est, vtra ad totum genus, vtra ad partem accommodetur. Quòd si vtraq; sumpta non sit, ipse alterā debebit ponere. Interdum enim nec ij qui scribunt, nec ij qui disputant, proposita ea quæ de vniuerso genere est, eam quæ in hac intelligitur, assumunt: aut si has sumant, at eas certè quibus hæ concluduntur, prætermittunt, alia verò frustrà rogant. Obseruandum est autem, num quid quod redundaret, sumptum sit, & num quid prætermissum, quod necessarium esset: quorum hoc quidem sumendum est, illud detrahendum, quo ad ventum sit ad duas propositiones. neq; enim sine his ratiocinationes hoc pacto rogatæ, redigi possant.

ARG. Primùm conandum est, duas vt propositiones syllogismi constituamus: faciliùs enim in maiora quàm in minora concidere est; maiora autem compositiora sunt, quàm ea ex quibus componuntur: deinde considerare, vtra in toto, & vtra in parte sit, & si non ambæ constent, eam quæ deest, nosipsi supplebimus: aliquoties enim in vniuersalem protédentes, eam quę hac continetur, non sumunt, neque scribentes, neque interrogantes: aut has quidem protédunt; per quas autem hæ concluduntur, omittunt: alia verò quædam non attinentia vanè interrogant. Considerandum autem & si quid superfluum sumptum sit, & si quid necessarium omissum; & hoc quidem ponendum, illud verò auferendum, donec duæ nobis propositiones liquidè constent; sine his enim reducere obiectam orationem nullam licet.

DE RESOLVTIONE IN TERMINOS, ex Aristotele.

COL. *Ac tum demum in verba simplicia secandæ sunt ratiocinationes. Medium autem verbum id constituendum est, quod in*

in vtraq; propositione dicitur: quippe cùm in omnibus collocandæ ratiocinationis formis necesse sit medium verbum ab vtraq; propositione contineri, ac si tum dicat mediũ verbum, tum dicatur, aut ipsum dicat, alterum autem ei negetur conuenire, prima erit forma collocationis. Sin autem & dicatur & negetur alicui conuenire, media erit. Si verò alia de eo dicantur, aut vnum ei conuenire negetur, alterum dicatur, erit extrema. Eiusmodi enim fuit in omni forma medij verbi collocatio. Similis est ratio, si non in totum aiant aut negent propositiones; eadem enim medij verbi dispositiò est. Perspicuum est igitur, argumentationem eam, in qua idem verbum sæpè non dicitur, quòd medium verbum non sit sumptum, non esse habendam ratiocinationem. Quoniam autem quæ in quaq; forma quæstio concludatur intelligimus, & in qua vniuersum genus, in qua eius pars: perspicuum est non esse obseruandas omnes formas collocationis, sed eam demum, quæ cuiusque quæstionis ac rei propositæ erit propria. Quæ autem pluribus dispositionis formis concludantur, in iis ex medij verbi collocatione formam intelligemus.

ARG. Deinde (ait) sic in terminos diuidere oportet; medium autem terminorum eum, qui in vtrisque propositionibus dicitur, ponemus: medium enim vtrisque in propositionibus esse, omnibus in figuris necesse est. Si ergo subiiciatur prædicetúrque medium, aut ipsum quidem prædicetur, aliud verò de illo negetur, prima: Si autem & prædicetur & negetur de aliquo, media: Si verò alia de illo prædicentur, aut hoc quidem de eo prędicetur, illud verò negetur, postrema figura erit; sic enim se habuit in postrema figura medium. Similiter autem etsi non vniuersales propositiones sint: nam determinatio medij est eadem. Manifestũ igitur, quòd in qua oratione idem frequẽter non dicitur, syllogismus non fit; sumptum enim medium non est.

Quoniam autem quòd propositorum vnaquaque in figura, item in qua vniuersale, in qua particulare claudatur, habemus: manifestum est, quòd non ad omnes figuras, sed in vnoquoq. proposito ad propriam respicere oportet: Quæcunq. verò in pluribus clauduntur, hic medij positione figuram cognoscemus.

Hæc pauca satis per se clara ex Aristotele seligere ac referre libuit, tum quòd his (vt ipse Aristoteles ait) rectè intellectis, cætera, quæ prius dicta sunt, reddantur clariora: tum etiam, quòd hinc plurimum lucis ad rectè de syllogismis iudicandum subministretur.

DE SYLLOGISMO EX OBLIQVIS.

ILLORVM duntaxat syllogismorum conficiendorum ratio hactenus à nobis tradita est, in quibus termini omnes recto casu aut verbo efferebantur: nunc verò de illis, qui vnum terminum vel plures in casu obliquo positos habent, est dicendum; & quomodo eorum termini disponi debeant, breuiter exponendum.

Quænam sunt potissimùm obseruanda in confectione syllogismorum ex obliquis?

In primis hoc non est ignorandum, in syllogismo ex obliquis constante eam accidere varietatem, vt nunc medium, nunc extremitatum altera, in obliquo ponatur: ex qua re non parua quoque varietas in concludendo contingit.

Quando enim altera tantùm extremitatum obliqui casus est in antecedente, eadem & in conclusione obliqui casus esse debet: vt,

Omne iumentum est hominis, &
Omnis asinus est iumentum; igitur
Omnis asinus est hominis:

Hîc maior extremitas vtrobique in obliquo ponitur. Cùm autem ita syllogismum conficio:

Omnis asinus est animal, &
Aliquod iumentum Petri est asinus; igitur
Aliquod iumentum Petri est animal:

Hîc minor extremitas vtrobique & in antecedente & in consequente in genitiuo ponitur, saltem ex vna sui parte. Exemplum verò in quo minor extremitas tota obliqui casus esset, non arbitramur posse dari, eò quòd ipsa subiecti seu (vt Grammatici loquuntur) suppositi locum, vel in antecedente, vel in conclusione tenere debeat; & re penitiùs inspecta, idem quoque videtur dicendum de medio & maiore extremitate: suam tamen cuique sententiam per nos hîc sequi licebit. Verùm si ambæ extremitates in antecedente sint obliqui casus, nihil prohibet quo minus in conclusione ad nominan-

minandi casum reuocentur. vt ex hoc syllogismo est perspicuum:

Mansuetudinis non est contemnere mortis pericula,
Fortitudinis est contemnere mortis pericula; ergo
Fortitudo non est mansuetudo.

Cùm verò medium in obliquo ponitur, tunc maior est adhibenda cautio, vt rectè concludatur.

Interdum enim medium in propositione tantùm ponitur obliquè, interdum in assumptione tantùm, interdum vtrobique.

Exemplum primi modi.

Omnis hominis est asinus, &
Petrus est homo; igitur
Petri est asinus.

Exemplum secundi.

Omnis homo est animal, &
Asinus est hominis; igitur
Asinus est animalis.

Exemplum tertij.

Nullus leo est hominis, &
Omnis asinus est hominis; igitur
Nullus asinus est leo.

Fiunt quoque syllogismi in omnibus obliquis; quod facile esset exemplis declarare, nisi metueremus ne in loco parũ amœno diutius æquo immoraremur. quocirca his omissis, istud duntaxat ad syllogismorum huius generis examinationem, & verorum ab adulterinis segregationẽ, addimus; Eos omnes & solos veros ac genuinos syllogismos ex obliquis esse, qui vel ipsi secundùm normam alicuius ex commemoratis antè vtilibus modis sunt confecti, vel talem syllogismum vi sua atque sententia in se continent, verbis tantummodo ab eo discrepantes. Exempli gratia: iste syllogismus,

Omnis asinus est animal, &
Omne iumentum Petri est asinus; igitur
Omne iumentum Petri est animal,

Verus ac genuinus est syllogismus ex obliquis; quandoquidem ad normam vnius vtilis primæ figuræ modi, Barbara videlicet, totus est cõstructus. Similiter iste legitimus & genuinus est syllogismus ex obliquis;

Contrariorum est eadem scientia,
Sanitas & morbus sunt contraria; igitur
Sanitatis & morbi eadem est scientia.

Nam licet iste syllogismus, si sola eius verba spectentur, nullam ex suprà descriptis syllogisticis formis habeat, vi sua tamen atque sententia hunc continet syllogismum,

Omnia contraria habent eandem scientiam circa se versantem,

Sanitas & morbus ſunt contraria; igitur
Sanitas & morbus habent eandem ſcientiam circa ſe verſantem.

Qui quidem ſyllogiſmus totus ad certæ figuræ atque modi vtilis normam Darij videlicet conſtructus eſt: vnde ſequitur manifeſtúmque euadit, ſyllogiſmum ex obliquis illi reſpondentem legitimum quoque ac genuinum fuiſſe.

De regulis consecutionum.

TRADIT Ariſtoteles in fine primi Priorum quatuor conſecutionū regulas, monens initio ſe loqui de oppoſitis ſibi mutuò contradicentibus, quæ non poſſunt eidem ſimul ineſſe, ſed cuilibet ipſorum alterum ineſſe neceſſarium eſt.

Quæ eſt prima regula conſecutionum?

Si ex antecedente ſequitur conſequens, ex oppoſito conſequentis ſequetur oppoſitum antecedentis.

Vt ſi ſequitur, Homo eſt, ergo animal eſt; etiam ſequetur, Non animal eſt, ergo non homo eſt. Item, ſi homo eſt, non equus eſt; ergo ſi equus eſt, non homo eſt.

Quid vocat hoc loco Ariſtoteles antecedens, & quid conſequens?

Antecedens vocat, terminum ad probationem efficiendam acceſſitum; qui ad conſequens vel minus cōmunis, vel paris & æqualis rationem habet. Conſequens verò, terminum in concluſione duntaxat poſitum, qui ad antecedens, vel magis communis, vel paris & æqualis, obtinet rationem.

Quæ eſt ſecunda regula?

Ex oppoſito antecedentis non neceſſariò ſequitur oppoſitum conſequentis.

Vt quamuis ſequitur, Homo eſt, ergo animal eſt; non tamen ſequitur, non homo eſt, ergo non animal eſt. In iis autem quæ reciprocantur, ſequitur: vt, Si viuens eſt, animatum eſt; ergo ſi non viuens eſt, non animatum eſt. Itaque oppoſitum conſequentis interdum ſequitur, interdum non ſequitur ex oppoſito antecedentis, pro diuerſitate terminorum ex quibus argumentatio eſt conflata: ac propterea dicitur in hac regula oppoſitum conſequentis non neceſſariò ex antecedentis oppoſito ſequi.

Quæ eſt tertia?

Conſequens & oppoſitum antecedentis, eidem conuenire poſſunt.

Hoc eſt, poſſunt de eodem verè affirmari. Quum enim homo reſpectu animalis ſit antecedens, & animal ſit conſequens reſpectu hominis, contingit in his oppoſitum antecedentis, videlicet, non hominem, & conſequens, videlicet animal, de eodem, videlicet de

quo-

quolibet leone, verè affirmari; veræ siquidem sunt istæ enuntiationes, hic leo est non homo, & idem leo est animal.

Quæ est quarta?

Antecedens & oppositum consequentis eidem conuenire non possunt.

Vt, non possunt vlli simul inesse, homo & non animal.

Quomodo quatuor istæ regulæ, quas secundùm sententiam Aristotelis de vocibus simplicibus exposuimus, possunt enuntiationibus accommodari?

Prima regula sic accommodatur:

In legitima argumẽtatione, ex eo pronuntiato, quod consequenti contradicit, rectè infertur illud, quod contradicit antecedenti.

Vt quia sequitur, Aliquis homo est bipes, ergo aliquod animal est bipes; necessarium est vt etiam sequatur, nullum animal est bipes, ergo nullus homo est bipes.

Quòd si alia oppositione vtamur quàm contradictione, infirma erit illatio: nam ex contraria vel subcontraria consequentis, non oportet sequi contrariam vel subcontrariam antecedentis enuntiationem. quod per se clarius est, quàm vt vlla egeat declaratione.

Secunda verò sic:

In legitima argumentatione, ex eo pronuntiato quod antecedenti contradicit, non necessariò concluditur illud quod contradicit consequenti.

Tertia ad hunc modum:

Consequens & pronuntiatum antecedenti contradicens, possunt simul esse vera.

Et quarta ad hunc modum:

Antecedens & pronuntiatum consequenti contradicens, nunquam possunt simul esse vera.

Exempla sunt in promptu.

TRANSITIO.

Hactenus de prima parte libri nostri quarti: sequitur nunc vt de secunda eius parte ex 2. Priorum Aristotelis desumpta, dicamus.

LIBRI QVARTI
PARS SECVNDA,

Secundo Priorum Aristotelis respondens.

DE SEXTVPLICI SYLLOGISMORVM FACVLTATE.

SVPERIORI parte huius libri, ex suis principiis syllogismos conficere, & in eadem dissoluere, docuimus: hac verò parte agetur de sextuplici syllogismorum facultate, & tribus eorum vitiis, adhibita etiam declaratione quarundam formarum argumentationis, quatenus tanquam imperfectiores, ad syllogismum, vt magis perfectum & magis firmum, reducuntur.

Primùm igitur agit Aristoteles de syllogismorum facultatibus, quæ tamen non omnibus syllogismis conueniunt: vt ex sequentibus planum erit.

Quot sunt syllogismorum facultates in hoc tractatu ab Aristotele commemoratæ?

Sex: videlicet Facultas
- Plura concludendi,
- Concludendi ex falsis verum, non contrà,
- In orbem probandi,
- Per conuersionem concludendi,
- Per impossibile concludendi, &
- Ex oppositis concludendi.

Quot modis contingit vnum eundemq; syllogismum plura concludere?

Quatuor modis.

Quis est primus modus?

Syllogismus concludens vniuersalem enuntiationem, siue aientem, siue negantem, concludere quoque potest particularem illi subiectam.

Sed huius non meminit Aristoteles ob nimiam eius facilitatem. Et isto modo solùm syllogismi vniuersales, id est, conclusionem vniuersalem habentes, concludunt plura.

Quis est secundus modus?

Syllogismus quilibet potest concludere eam vel eas enuntiationes, in quas sua conclusio legitimè conuertitur.

Qua ratione nititur iste modus?

Hic modus cum primo, nititur hoc axiomate; Quicquid ex consequente legitimæ argumentationis sequitur, idem ex illius argumentationis antecedente quoque concludere licet. Et ita omnes syllogismi & soli, conclusionem habentes quæ conuerti potest, concludunt plura.

Quis

Quis est tertius modus?

Tertius modus plura cõcludendi, est per subsumptionẽ sub medio.

Exempli caussa, in isto syllogismo,

Omne animal habet sensum, &
Omnis homo est animal; ergo
Omnis homo habet sensum;

Sic subsumuntur sub eodem medio plura minora extrema;

Omne animal habet sensum, &
Omnis equus est animal; ergo
Omnis equus habet sensum.
Item:
Omne animal habet sensum, &
Omnis bos est animal; ergo
Omnis bos habet sensum: & sic de cæteris.

Similiter omnes in vniuersum syllogismi ex medio cõmuni constantes, cuiuscunque figuræ sint aut modi, possunt cõcludere plura.

Quis est quartus modus?

Quando sub conclusionis subiecto fit subsumptio.

Hoc est, sub ipso minore extremo syllogismi, in conclusione accepto vniuersè: vt in hoc syllogismo,

Omne viuens nutritur, &
Omne animal est viuens; ergo
Omne animal nutritur;

Fieri potest sub conclusionis subiecto ad hunc modũ subsumptio:

Omne animal nutritur, &
Omnis homo est animal; ergo
Omnis homo nutritur. Item:
Omne animal nutritur, &
Piscis est animal; ergo
Piscis nutritur, &c.

Et isto modo solùm vniuersales syllogismi, id est, habentes conclusionem vniuersalem, possunt concludere plura.

Quomodo vnus idemq́ syllogismus plura concludere potest?

Meritò dubitare posset quispiam, quo modo & qua ratione in hisce quatuor modis dicamus secundùm Aristotelem, vnum eundémque syllogismum plura concludere, seu plures habere conclusiones; cùm re vera, vbi plures sunt conclusiones, plures quoq. syllogismos esse sit necessarium.

Ad quod respondemus, syllogismum plura concludentem esse vnum & eundẽ numero, non quòd vnus syllogismus idem numero, plures habeat cõclusiones actu & explicitè, hoc enim fieri non potest; sed quòd vnus & idem syllogismus numero implicitè & vi

ſua cenſeatur concludere omnium ſyllogiſmorum concluſiones, quę ratione vnius aut plurium terminorum vniuersè acceptorum, ex eius aliqua parte neceſſariò ſequuntur: vt hic ſyllogiſmus,

Nullum animal eſt planta,
Omnis beſtia eſt animal, ergo
Nulla beſtia eſt planta;

Concludit plura poteſtate, quia complectitur vi ſua etiam hunc ſyllogiſmum, per ſubſumptionem ſub medio vniuersè ſumpto;

Nullum animal eſt planta,
Omnis homo eſt animal; ergo
Nullus homo eſt planta.

Et hunc per ſubſumptionē ſub ſubiecto cōcluſionis vniuersè accepto: Nulla beſtia eſt planta,
Omnis equus eſt beſtia; ergo
Nullus equus eſt planta.

Et quotquot ſimiliter per ſubſumptionem minus communium vocum ſub medio, aut ſubiecto concluſionis poſſunt fieri noui ſyllogiſmi.

An vnus idemq́; ſyllogiſmus poteſt euidenter & non euidenter concludere?

Concedimus quidem vnum eundémque numero ſyllogiſmum euidenter & non euidenter diuerſas concluſiones concludere, ſed non eandem concluſionem. quod in Felapton declarari poteſt:

Nam hic ſyllogiſmus in Felapton,
Nullum animal eſt lapis, &
Omne animal eſt corpus; ergo
Aliquod corpus non eſt lapis;

concludit explicitè quidem, ſed non euidenter ſuam concluſionem; implicitè verò & vi medij vniuersè ſumpti concludit hanc euidenter in Celarent:

Nulla beſtia eſt lapis; ſic ſubſumendo ſub medio:
Nullum animal eſt lapis, &
Omnis beſtia eſt animal; ergo
Nulla beſtia eſt lapis.
Similiter hanc concludit:

Nullus equus eſt lapis, & totidem alias quot ſpecies ſub animali ſubſumere licet.

Quis eſt vſus huius facultatis?

Vſus iſtius facultatis eſt, vt intelligamus vno ſyllogiſmo multos alios comprehēdi, quorum omnium conceſſio in prioris ſyllogiſmi conceſſione includitur; nam quicquid legitimè inferri poteſt ex antecedente, aut ex concluſione alicuius ſyllogiſmi conceſſi, id vniuerſum cenſetur eo ſyllogiſmo probatum & conceſſum eſſe.

DE SECVNDA FACVLTATE syllogismorum.

Quomodo referri solet ex Aristotele secunda syllogismorum facultas?

COL. *Ex veris non potest falsum effici: at verò ex falsis verum potest effici, sed non à caussa, sed solùm ab effectu.*

LOV. Ex veris falsum effici non potest, ex falsis autem verum nonnunquam concluditur, non tamen propter quid, sed quia.

Quid sibi vult quod addit Aristoteles (non à caussa, seu non propter quid, &c?)

Hoc est, contingit ex falsis concludere verum, non quòd falsitas antecedentis sit caussa veritatis conclusionis; hoc enim fieri non potest; sed quia videlicet syllogismus ille, ex falsis verum concludens, constat ex talibus extremis, quæ licet ipsi medio non verè connectantur in antecedente, tamen inter se verè possunt in conclusione connecti. Et istam esse Aristotelis sententiam planum est ex eo, quod addit; Nam conclusio non est vera propter falsitatem sumptionum.

Quis est vsus huius facultatis?

Munit hæc facultas respondentes, firmátque eorum iudicia, ne videntes conclusionem veram esse, & esse necessariam consecutionem, arbitrentur statim & antecedens verum fuisse, cùm circa hoc magna accidat varietas.

Nam verum non solùm ex vero, sed etiam ex falso legitimè concluditur. Exempli gratia, ex vtraq. antecedentis parte falsa verum concluditur in Barbara, hoc modo:

Bar Omne animal est arbor, &
ba Omnis pyrus est animal; ergo
ra Omnis pyrus est arbor.

Formam argumentandi certissimam & planè perfectam, qua non possit esse euidentior, hîc videre licet: ambæ autem antecedentis partes manifestam habent falsitatem: conclusione tamen nihil est verius, cùm de sua specie genus dicatur.

Ex altera falsa verum sequi contingit: vt,

Da Omne animal est homo, &
ri Aethiops est animal; ergo
j Aethiops est homo.

Quandoque ex antecedente falso, siue ex vtraque, siue ex altera tantùm parte, sequitur conclusio falsa: vt liquet ex his syllogismis,

Da Omnis homo est asinus, &
ri Lapis est homo; ergo
j Lapis est asinus.

Item, Omne corpus est animal,
Lapis est corpus; ergo
Lapis est animal.

An ista facultas concludendi ex falsis verum, soli syllogismo conuenit?

Certum est hanc syllogismi facultatem concludendi ex falsis verum (sicut & superiorem, videlicet plura concludendi) non soli syllogismo cõuenire: Idem enim & enthymematicæ argumẽtandi formæ cõtingit, quod videre licet in hoc legitimo enthymemate,

Nullum animal visum habet, igitur
Nullus talpa visum habet:

Cuius & antecedens manifestam falsitatem, & consequens certam veritatem cõtinet. vnde Dialecticorũ axioma celebratum hoc versiculo, *Ex falsis verum est, ex veris nil nisi verum;* non tantùm ad syllogismum, sed etiam ad enthymematicam argumentandi formam referendum esse manifestum est.

DE TERTIA FACVLTATE SYLLOGISMORVM.

Quid est secundùm Aristotelis doctrinam, circulo ostendere, seu in orbem probare?

COL. *Probare in orbem nihil aliud est, nisi conclusione, & altera propositione sumpta & conuersa, reliquam concludere, quæ sumpta fuit in altera ratiocinatione.*

LOV. Est per conclusionem & conuertentem vnius ex antecedentis enuntiationibus, alteram eiusdem antecedentis enuntiationem concludere.

Quid est syllogismus seu ratiocinatio in orbem probans?

Ratiocinatio in orbem probans, est, quæ ex conclusione, & altera antecedentis parte sumpta & conuersa, concludit alteram, quæ in priore sumpta erat syllogismo.

Cuius exempla in explicatione vsus proferuntur.

Quis est vsus ratiocinationis in orbem factæ?

Hæc ratiocinatio in solis iis terminis qui reciprocantur, locum habens, tum demonstratori, tum dialectico ad probandam alteram antecedentis partem à respõdente negatam, altera concessa interdum vsui esse potest: vt facta hac demonstratione physica,

Bar Omne compositum ex materia & forma, est mobile, &
ba Omne corpus est compositum ex materia & forma; ergo
ra Omne corpus est mobile;

Si à discente negetur propositio, circulo sic ostendetur:

Bar Omne corpus est mobile, &
ba Omne compositum ex materia & forma, est corpus; ergo
ra Omne compositum ex materia & forma, est mobile.

Si verò assumptio à discente negaretur, ad hunc modum circulo esset ostendenda:

Bar Omne mobile est compositum ex materia & forma,
ba Omne corpus est mobile; ergo
ra Omne corpus est compositum ex materia & forma.

Sed his de rebus plus satis, quæ vel nunquam vel rarissimè in communem disputationem incidere solent.

DE QVARTA FACVLTATE.

Quid est secundùm Aristotelem per conuersionem concludere seu conuertere hoc loco?

COL. *Conuertere est conuersa conclusione conficere ratiocinando, vel postremum verbum medio, vel hoc postremo non conuenire.*

ARG. Conuertere, est transposita conclusione ostendere, quòd vel extremum medio, vel hoc postremo non insit.

Quid est igitur syllogismus conuertens?

COL. *Est qui ex contradictoria vel cõtraria conclusionis prioris syllogismi, cum altera præmissarum interimit reliquam, hoc est, infert contradictorium vel contrarium præmissæ relictæ.*

LOV. Syllogismus conuertens est, qui ex pronuntiato contrariè vel ex diametro conclusioni prioris syllogismi opposito, & altera antecedentis parte, alteram tollit; hoc est, pronuntiatum concludit illi contrariè vel ex diametro repugnans.

Cur hic syllogismus vocatur conuertens?

Conuertens dicitur, quod vel propositionem vel assumptionem prioris syllogismi in oppositam conuertat qualitatẽ; hoc est, quod talem inferat conclusionem, quę vel cum propositione, vel cum assumptione omissa, contrariè vel ex diametro pugnat. Exempli gratia, huius syllogismi in Barbara,

Omne corpus est animal,
Omnis spiritus est corpus; ergo
Omnis spiritus est animal,

propositio sic refellitur per syllogismum conuertentem:

Nullus spiritus est animal,
Omnis spiritus est corpus; igitur
Aliquod corpus non est animal.

Hîc sumitur contrarium conclusionis: sufficeret tamen sumere

enuntiationem illi contradicentem, ad eandem conclusionem inferendam in Bocardo.

Assumptio autem, seruata eadem propositione, refellitur per syllogismum conuertentem, in Baroco, ad hunc modum,

Omne corpus est animal,
Aliquis spiritus non est animal; igitur
Aliquis spiritus non est corpus.

Quis est vsus syllogismi conuertentis?

Vtimur hoc genere syllogismi ad demonstrandam probæ argumentationis firmitudinem, quãdo respondens vel per ingenij tarditatem, vel per imprudentiam legitimi syllogismi concesso antecedente, negat consecutionem.

DE QVINTA FACVLTATE.

Quid est syllogismus per impossibile, seu qui ad incommodum ducit?

Col. *Est syllogismus qui ex contradicente enuntiationis veræ cum altera præmissa manifestè vera colligit cõclusionẽ apertè falsam, ex cuius falsitate regressus fit ad interimendum enuntiationis veræ contradictorium assumptum, vt denique statuatur veritas propositionis veræ priùs negatæ.*

Lov. Est syllogismus ex antecedente, cuius altera pars est manifestè vera, & altera themati controuerso, quod etiam verum est, ex diametro opposita, conclusionem inferens perspicuæ falsitatis: vnde regressus fit ad contradicentem themati enuntiationem, quæ antè fuerat assumpta, tollendam: ac denique statuitur veritas enuntiationis veræ priùs negatæ.

Exempli caussa, si hæc negetur, Aliquis homo est ad ridendum aptus; conuertatur ipsa in oppositam qualitatem; hoc est, accipiatur enuntiatio illi contradicens, & cõstruatur hunc in modum per impossibile syllogismus:

Omne animal rationis particeps, aptum est ad ridendum, at
Nullus homo est aptus ad ridendum;
Nullus igitur homo est animal rationis particeps.

Conclusionem palàm est esse falsam, quare & antecedentis alteram partem necesse est esse falsam. Eiusmodi autem non est propositio, cùm ipsius veritas sit manifesta; ergo falsa erit hæc assumptio: Nullus homo est ad ridendum aptus. vnde secundùm cõtradicentium enũtiationum legem sequitur, hanc orationem initio assumptam, Aliquis homo est ad ridendum aptus, esse veram; quòd enuntiationi euidenter falsæ ex diametro repugnet.

Quos

Quot sunt discursus in syllogismo per impossibile?

Palàm est quatuor esse discursus, quorum primus est syllogisticus: reliqui autem tres sunt enthymematici.

Primò, enthymematico discursu, ex cõclusionis falsitate arguitur antecedentis falsitas.

Secundò, huius vel illius partis antecedentis falsitas, ex aperta veritate enuntiationis coassumptæ.

Et tertiò, enuntiationis veræ, initio negatæ, veritas ex falsitate illius, quæ ipsi contradicit per legem contradicentium enuntiationum, confirmatur.

Quis est vsus huius facultatis syllogismi?

Ex iis, quæ modò dicta sunt, planum est, ad quem vsum valeat syllogismus per impossibile, nempe, ad stabiliendam eam enuntiationem veram, cuius veritas inconsideratè fit ab aliquo negata.

DE VLTIMA FACVLTATE.

Quis syllogismus ex oppositis concludere dicitur?

COL. *Ex oppositis is dicitur concludere syllogismus, in quo ex præmissis contrariis vel contradictoriis infertur conclusio in qua negatur idem de seipso.*

LOV. Ex oppositis dicitur is syllogismus concludere, in quo ex duabus antecedentis partibus contrariè vel ex diametro inter se pugnantibus, infertur talis conclusio, in qua idem de seipso negatur.

Vt in hoc syllogismo,

Ca Omnis homo est substantia, &
me Nullus homo est substantia; igitur
stres Nullus homo est homo.

Ex contradictoriis sic:

Ba Omnis homo est substantia, &
ro Aliquis homo non est substantia; igitur
co Aliquis homo non est homo.

Interdum verò ex antecedente, cuius partes vi tantùm & potestate, non propriè, neque expressè, contrariæ sunt aut contradicentes, proceditur ad conclusionem, in qua etiam potestate idem de seipso negatur.

Potestate autem oppositas dicunt antecedentis partes, quæ voce quidem perfectam oppositarum enuntiationum rationem non habent, sed vi tantummodo & significatione oppositionem continent; vt cùm sic argumentamur:

Ba Omne animal est substantia, &
ro Aliquis homo non est substantia; igitur
co Aliquis homo non est animal;

Ante-

Antecedentis partes non propriè sibi mutuò contradicunt, quoniam non habent idem subiectum; ex his tamen proprio nomine contradicentes enuntiationes sequuntur: quoniam ex secunda illa, Aliquis homo non est substantia, rectè sequitur ista, Aliquod animal non est substantia, quæ perfectè & propriè priori contradicit.

Item in conclusione, cùm dicitur, Aliquis homo non est animal, negatur potestate idem de seipso; quoniam ex illa necessariò sequitur ista, Aliquis homo non est homo, in qua expressè idem negatur de seipso.

Quis est vsus sextæ facultatis syllogismi?

Valet hic syllogismus ex oppositis contra eos, qui fortè vel per imprudentiam, vel per proteruiam, concederent duas enuntiationes oppositas saltem potestate.

Per conclusionem namq. talem, in qua idem negatur de seipso, manifestissimè arguitur illorũ error; quoniam sicut non est enuntiatio clarioris & certioris veritatis quã affirmans illa, in qua idem affirmatur de seipso: ita non est vlla enuntiatio euidentiùs falsa, quàm illa, in qua idem de seipso negatur.

DE DEFECTIBVS SEV VITIIS SYLLOGISMORVM.

Defectuum seu vitiorum, quæ in syllogismis committi solent, explicationem superiùs à nobis constitutus ordo in præsentia postulat: quocirca nunc de iis agemus; superfluisque diligenter reiectis, quæ scitu digna videbuntur, quàm paucissimis fieri poterit, perstringemus.

Quotuplicia enumerantur apud Aristotelem syllogismorum vitia?

Triplicia enumerantur.

Quod est primum genus vitiorum syllogismi?

Petere principium.

Quod tunc ait Aristoteles fieri, quando id, quod in quæstione est, non demonstratur: vtpote cùm ab ignotioribus vel æquè ignotis procedit argumentatio: veluti quando idem per idem probatur, & in vniuersum, quandocunque antecedens conclusionem non probat: vt in hoc syllogismo est petitio principij,

Omnis homo est homo, &
Omnis homo est homo; ergo
Omnis homo est homo.

Item in isto:

Omnis homo est capax disciplinæ, &
Omne animal rationis particeps est homo; igitur
Omne animal rationis particeps est capax disciplinæ.

Conclusio enim est notior propositione, seu prima antecedentis parte.

Quid

Quid iuuat nouisse hoc vitium?

Nosse oportet vitium hoc, vt sedulò vitetur; neque enim syllogismum tantùm, sed quamlibet vitiat argumentationem in qua committitur.

Quod est secundum genus vitiorum syllogismi?

Non propter hoc accidere falsum.

Quando contingit istud vitium in syllogismo?

Tunc contingere dicit Aristoteles, quando argumentando falsitas conclusionis attribuitur alicui antecedentis parti, quæ verè non est caussa quamobrem falsa sit conclusio.

Accidítque hoc plerunque in syllogismis illis, in quibus est aliqua antecedentis pars superflua: cuiusmodi est iste;

Bestia currit, &
Omne animal est homo, &
Omnis bestia est animal; igitur
Omnis bestia est homo.

Conclusio est falsa; igitur aliqua antecedentis pars; non autem illa, Omnis bestia est animal, igitur illa, Bestia currit.

Hìc manifestum est, falsitatem conclusionis attribui illi antecedentis parti, quæ non est ipsius caussa: quoniam superflua est; quippe qua ablata æquè sequeretur falsa conclusio.

Quam affert vtilitatem istius vitij cognitio?

Continet admonitionem de vera caussa falsitatis conclusionis diligenter inuestiganda.

Quod est tertium genus vitiorum syllogismi?

Fallacia contrariæ opinionis.

Quid est fallacia contrariæ opinionis?

Fallacia contrariæ opinionis est, assensus duorum pronuntiatorum, contrariè vel ex diametro inter se pugnantium, amborum in vniuersali, aut vnius in vniuersali, & alterius in propria forma: vt assensus horum duorũ in propria forma; Omne animal est corpus, &, Nullum album est corpus; qui est istorũ in vniuersali, Omnis cygnus est corpus, &, Nullus cygnus est corpus; quæ sunt expressè contraria: nec non horum, Omnis cygnus est corpus, &, Aliquis cygnus non est corpus: quæ sibi mutuò contradicunt.

Item assensus horum in propria forma, Omnis mula est sterilis, &, Hæc mula est grauida; secundùm quem assentitur quis duobus pronuntiatis ex diametro inter se pugnantibus; alteri quidem expressè, seu in propria forma; alteri verò in vniuersali.

Quid est assensus enuntiationis in vniuersali?

Assensus enuntiationis in vniuersali, seu assensus tacitus, est, cùm illi quispiã assensum præbet non expressè, sed tacitè, nimirum

per assensum alterius orationis, quam ipsa necessariò sequitur: vt cùm assentitur aliquis huic enuntiationi, Nullum album est corpus; assentitur in vniuersali istis, Nullus cygnus est corpus, &c, Aliquis cygnus non est corpus.

Quid prodest hoc syllogismi vitium habere cognitum?

Continetur & hîc apprimè vtilis ad quamuis disputationem admonitio: Monemur enim, vt inter disputandum quid à nobis antè dictum aut concessum sit, solicitè meminerimus, diligentérque curemus, vt tota nostra oratio sibi consentiens sit, atque veritati consentanea, ne ad παλινῳδίαν tàdem adigamur per syllogismos ex concessionibus nostris confectos.

Vocatur autem hic error, seu fallacia, vitium syllogismorum tanquam signorum quorundam arguentium tale vitium. Nam syllogismi ex enuntiationibus generalibus antè per imprudentiam concessis, in quibus contraria, vel ex diametro pugnantia abdita latebant confecti, inferunt pronuntiata apertè inter se pugnantia, contraria nimirum vel contradicentia (vt vocant) in propria forma, à quorum assensu cùm naturale iudicium abhorreat, cogitur imprudens disputator quod antè concesserat, reuocare.

DE INDVCTIONE.

PRINCIPIO Aristoteles asserit, reliquas argumentationes formas omnes tanquam imperfectiores ad syllogisticā formam longè omnium perfectissimam, secundùm aliquam prædictarum trium figurarum rationem reduci posse; idque hoc exemplo, istum de inductione locum tractans, conatur probare:

Omnis homo est longæuus,
Omnis equus est longæuus,
Omnis mulus est longæuus; &
sic de cæteris animalibus bile non abundantibus;
Ergo omne animal bile non abundans, est longæuum.

Quod sic ad syllogismum tertiæ figuræ reducit:

Quicquid est homo vel equus vel mulus, vel aliud simile, est longæuum;
Quicquid est homo vel equus vel mulus, vel aliud simile, est animal non abundans bile; ergo
Omne animal bile non abundans, est longæuum.

Quis est vsus reductionis imperfectarū argumētationū ad syllogismū?

Multi putant, huiusmodi reductiones imperfectarū argumentationū ad formam syllogisticam, quas deinceps Aristoteles tradit, inanem esse ingenij ludum, sed nimium fallūtur; magnus est enim earum vsus: nam ostendunt plurimum esse tribuendum etiam imperfectæ argumentationi, quippe quæ potest ad syllogismum reuocari, & in formam argumentandi perfectissimam illigari.

Eò

Eò igitur spectat argumentationum aliarum ad syllogismos reductio, vt intelligatur & perspiciatur earum licet imperfectarum vis, & concludendi firmitudo minimè contemnenda.

Recita eam inductionis definitionem quam Aristoteles sub finem tractatus de inductione obiter insinuat.

Ἡ δὲ · · ἐπαγωγὴ · · διὰ τοῦ ἄκρου τὸ τρίτον τῷ μέσῳ · · δείκνυσι.

PER. Illa autem · · inductio · · per primũ medio tertium · · cõuenire docet.

COL. *Inductio est, quæ primum verbum medio per tertium conuenire docet.*

ARG. Inductio est, quæ per tertium extremum de medio ostendit.

Hoc est, Inductio est argumentatio non syllogistica, in qua concluditur aliquod prædicatum de voce communi vniuersè sumpta, per hoc, quòd idem prædicatum in antecedente omnibus singularibus illius vocis communis verè tribuatur.

De qua igitur inductione agit hic Aristoteles?

Volunt Aristotelem hîc non de omni inductione, de qua in Topicis disputari solet, differere, sed de ea tantummodo, quæ est perfecta, probandi vim habens, affirmatè concludens, & facta sub subiecto, in qua reperiuntur tres termini distincti; quorum hæc apud eum sunt nomina:

Extremum seu primum positione, quia semper prædicati locum tenet:

Tertium seu vltimum positione, quia semper subiicitur:

Medium positione, quod videlicet partim subiecti, partim prædicati vicem subit.

Et hæc omnia referenda sunt ad ordinem quem habent termini in syllogismo tertiæ figuræ, ad quem Aristoteles censet inductionem esse reuocandam, quod ex eius exemplo paulò superiùs recitato clarum est: Quamuis (mea quidem sententia) euidétiùs probaretur firmitas inductionis, si reductio fieret ad legitimum primæ figuræ syllogismum: vt hanc inductionem,

Plato est mortalis,
Pantaleon est mortalis, & sic de cæteris hominibus;
Igitur omnis homo est mortalis:

ad syllogismum primæ figuræ hoc modo reuocare liceret:

Quicquid est vel Plato vel Pantaleon, & sic de cæteris hominibus, est mortale:

Atqui omnis homo est vel Plato vel Pantaleon, & sic de cæteris hominibus:

Igitur omnis homo est mortalis.

Quum enim is tertiæ figuræ syllogismus, ad quem Aristoteles

inductionem reducendam censet, grandi & perspicuo vitio obnoxius sit (tametsi materiæ ratione aliqua tenus excusetur) non satis idoneus nobis videtur ad alterius argumentationis veritatem atque firmitudinem demonstrandam, interim tamen per nos cuiuis licet tum hîc tum in aliis similibus dubiis locis, quod rationi & dialecticæ disciplinæ maximè consentaneum iudicauerit, liberè sequi.

Cur dixisti in tua expositione (voce communi vniuersè sumpta?)

Dixi (vniuersè sumpta) ad excludendam hanc, & illi similes argumentationes,

Ioannes est ad ridendum aptus,
Petrus est ad ridendum aptus, & sic de cæteris; ergo
Aliquis homo est ad ridendum aptus.

An semper expressè sunt enumeranda omnia singularia, quæ voci communi subiiciuntur?

Minimè: sed quoniam plerunque infinita est singularium multitudo, quæ distinctè enumerari non potest, nos solemus compluribus eorum nominatis, istam adiicere clausulam, & sic de cæteris; vel aliam, quæ idem valeat: vt,

Hic philosophus est virtutis studiosus,
Et ille, & sic de cæteris philosophis;
Igitur omnis philosophus est virtutis studiosus.

Item, Hic miles non est sua sorte contentus,
Nec hic mercator, nec hic agricola, nec hic iuris peritus: & sic de cæteris hominibus;
Ergo nemo sua sorte contentus est.

Neque stultum est hoc argumentandi genus, vt Valla putat, qui sic ratiocinatur. Si antecedēs cōceditur, quid attinet concludere; ergo omnis philosophus est virtutis studiosus? Cui responsum sit, Conclusionē ideò inferri, vt respōdens expressè vniuersalem enuntiationē confiteatur, cuius nullum singulare prius reiicere fuit ausus.

Pari sanè ratione de syllogismo euidenti quæreret, si antecedentis ambas partes concedit aduersarius, quorsum attinet conclusionem adiungi? *Quæ inductio probandi vim habet?*

Ea inductio probandi vim habet, in qua, antegresso antecedente claræ & indubitatæ veritatis, conclusio sequitur, cuius veritas vel ignorabatur antè, vel certè minùs erat perspicua ei, cum quo instituta est disputatio.

Quomodo inductio, quæ probandi vim non habet, excluditur à superiori definitione inductionis?

Excluditur per verbū (ostendit:) idem est enim hoc loco ostendere, quod probare vel demonstrare.

Quis est vsus inductionis?

Inductio conducit ad omnem humanam cognitionem comparandam,

randam, quæ naſcitur ab experientia rerum ſingularum, ſenſu perceptarum & inter ſe collatarum, ex qua collatione communis quędam formula ſtatuitur. Itaque per inductionem in principiorum artiúmque cognitionem peruenimus, dum mens noſtra à ſingularum rerum conſideratione, ad communium rerum contemplationem cognitionémque progreditur.

Quocirca Ariſtoteles ait ſyllogiſmum quidem firmiorem eſſe, ſed inductionem magis obuiam, nobíſque manifeſtiorem, quòd iudicium ſenſuum ſequatur.

DE EXEMPLO.

Quot modis ſumitur exemplum apud Ariſtotelem?

Duobus: videlicet { Impropriè, & Propriè.

Quomodo Ariſtoteles definit exemplum impropriè ſumptum?

Παράδειγμα δέ ἐστιν, ὅταν τῷ μέσῳ τὸ ἄκρον ὑπάρχειν δειχθῇ, διὰ τοῦ ὁμοίου τῷ τρίτῳ.

C O L. *Exemplum eſt, cùm medio verbo primum à ſimili tertij conuenire oſtenditur.*

A RG. Exemplũ impropriè ſumptũ eſt, quãdo medio extremum ineſſe oſtẽditur, per id, quod eſt ſimile tertio.

Hoc eſt, exemplum impropriè ſumptum, ſeu inductio imperfecta (quæ videlicet in hoc ſolùm à perfecta, de qua antè dictum eſt, differt, quòd in antecedente inductionis perfectæ, omnia vocis communis indiuidua enumerentur, non autem in antecedente imperfectæ inductionis) eſt argumentatio non ſyllogiſtica, quæ oſtendit extremum de medio vniuersè accepto, per id quod eſt ſimile tertio, vel per ſimilia tertio. aut clariùs & fuſiùs his verbis:

Exemplum impropriè dictum, ſeu inductio imperfecta, eſt argumentatio non ſyllogiſtica, quæ concludit aliquod prædicatum de voce communi vniuersè ſumpta, per hoc quòd idẽ prædicatum alicui aut aliquibus indiuiduis illius vocis communis, non autem omnibus in antecedente ſit tributum: vt, Gracchus ſeditioſus homo eſt occidendus; igitur omnis ſeditioſus eſt occidendus.

Explica obſcuriora iam recitatæ definitionis vocabula.

Ad iſtius definitionis clariorem intelligentiam conſideranda ſunt hęc quatuor vocabula: { Extremũ ſeu primum, Medium, } quæ duo ſumuntur, vt ſuprà, vbi de inductione eſt dictum. { Tertium, Simile tertio, } quæ iam explicabuntur.

Tertium hîc ſignificat quidem tertium poſitione, vt in definitione inductionis, ſed accipitur pro aliis. Ibi ſiquidem ſumebatur

pro omnibus singularibus, quæ sub medio continentur: hîc verò pro vno tantùm ex iis, pro eo nimirum, quod in exempli propriè dicti conclusione ponitur.

Simile tertio, est aliud singulare eiusdẽ medij, ex quo in exemplo propriè dicto infertur alterum, quod appellatur tertium: verbi gratia apud Aristotelem exemplum propriè dictum est hoc, Thebanos belligerare cum Phocensibus est malum; ergo Athenienses belligerare cum Thebanis est malum.

In quo exemplo tertium est, Athenienses belligerare cum Thebanis, quod hîc est subiectum consequentis. Simile tertio, Thebanos belligerare cum Phocensibus, quod subiicitur in antecedente. Extremum verò, malum, quod vtrobique prædicati locum tenet.

Illa autem duo, tertium nimirum, & simile tertio, conueniunt ambo in hoc communi medio, videlicet cum finitimis belligerare, quod non reperitur in exemplo propriè dicto; sed in syllogismo primæ figuræ, ad quem fit exempli reductio, medij obtinet locum.

Quomodo definitur exemplum propriè dictum?

Φανερὸν οὖν ὅτι τὸ παράδειγμά ἐστιν, οὔτε ὡς ὅλον πρὸς μέρος, οὔτε ὡς μέρος πρὸς ὅλον, ἀλλ' ὡς μέρος πρὸς μέρος, ὅταν ἄμφω μὲν ᾖ ὑπὸ τὸ αὐτό, γνώριμον δὲ θάτερον.

PER. Perspicuum igitur est, exemplum nec totius ad partem, nec partis ad totum, sed partis ad partem rationem habere, cùm præsertim vtrumque eidem subiiciatur, & notum sit alterum.

COL. *Exemplum propriè dictum, est argumentatio, cuius antecedens ad consequens rationem habet, non partis ad totum, neq; totius ad partem, sed partis ad partem, cùm vtrumq; eidem subiiciatur, & notum sit alterum.*

ARG. Exemplum propriè dictum est argumentatio, cuius antecedens ad consequens sese habet, neque vt totum ad partem, neque vt pars ad totum, sed vt pars ad partem, quando ambo quidem sub eodem insunt, notum autem est alterum.

De quo toto & de qua parte loquitur hic Aristoteles?

Loquitur de toto vniuersali, & parte illi subiecta: Quomodo animal, totum est ad hominem; & vicissim, homo pars est, animali comparatus. Non est tamen existimandum, necessariam & naturalem debere hîc esse inter partem & totum coniunctionem: cuiusmodi coniunctionis vinculo, speciem cum genere cernimus colligatam; verùm sufficit hîc, vt totum magis communis, pars verò minus communis in eo contenti obtineat rationem, siue necessaria, siue fortuita sit illorum inter se connexio, modò istud accedat,

totum caussa sit, cur parti, quæ in antecedente collocatur, prædicatum conueniat.

Vnde planum est, hæc exempla vitiosa esse, Socrates ambulat, ergo Plato ambulat: Plato fuit doctissimus, ergo Gorgias fuit doctissimus: Germani sunt candidi, ergo & Hispani. illud enim in quo conueniunt subiecta, nimirum humana natura, non est caussa, cur antecedentium prædicata suis subiectis tribuantur.

Sed hoc verum & genuinum est exemplum: Plato est capax disciplinæ, ergo & Gorgias disciplinæ capax est. Conueniunt namq. Plato & Gorgias in eodem toto, scilicet homine, qui rationem totum continet, cur capaces sint disciplinæ.

Cur ista pars (notum autem alterum) definitioni adiuncta est?

Vt indicetur alterum (nempe quod in antecedente exempli ponitur) debere esse manifestum; alioqui frustra ad probationem eius, quod ignotum est, assumeretur.

Quis est vsus exempli?

Ad persuadendum non repugnanti, atque ei qui vltrò sequitur, plurimum valet exemplum, quòd doceat magis & ostendat, quàm cogat inuitos, qui facilè dissimilitudinem comminiscuntur.

Præterea ad ornatum quoque exempla conferunt, sed ab apologis quidem ducta, populo accommodatiora sunt; ab historiis autem, consultantibus vtiliora. Exempli autem impropriè dicti peculiaris vsus est, vt per ipsum, propriè dictum exemplum ad syllogismum reducatur: vt hoc exemplum, Gracchus est occidendus, igitur & Catilina est occidendus; ita ad syllogismum reduci debet secundùm Aristotelem, Gracchus est occidendus, igitur omnis seditiosus est occidendus: vlterius, Omnis seditiosus est occidendus, Catilina est seditiosus; ergo Catilina est occidendus.

DE ENTHYMEMATE.

Quomodo definit Aristoteles enthymema?

Ενθύμημα μὲν οὖν ἐστι συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐξ εἰκότων ἢ σημείων.

PER. Ac enthymema quidem est imperfecta, & quæ non constat omnibus suis partibus ratiocinatio, ex probabilibus & signis.

COL. *Enthymema est imperfecta ratiocinatio ex probabilibus & signis.*

ARG. Enthymema est syllogismus imperfectus ex verisimilibus & signis.

De quo enthymemate loquitur hic Aristoteles?

De enthymemate, quod & probandi vim habet, & ad syllogismum categoricum reduci potest.

Quis syllogismus vocatur hoc loco imperfectus?

Syllogismus imperfectus hoc loco vocatur, non qui obscurus &

pro omnibus singularibus, quæ sub medio continentur: hîc verò pro vno tantùm ex iis, pro eo nimirum, quod in exempli propriè dicti conclusione ponitur.

Simile tertio, est aliud singulare eiusdē medij, ex quo in exemplo propriè dicto infertur alterum, quod appellatur tertium: verbi gratia apud Aristotelem exemplum propriè dictum est hoc, Thebanos belligerare cum Phocensibus est malum; ergo Athenienses belligerare cum Thebanis est malum.

In quo exemplo tertium est, Athenienses belligerare cum Thebanis, quod hîc est subiectum consequentis. Simile tertio, Thebanos belligerare cum Phocensibus, quod subiicitur in antecedente. Extremum verò, malum, quod vtrobique prædicati locum tenet.

Illa autem duo, tertium nimirum, & simile tertio, conueniunt ambo in hoc communi medio, videlicet cum finitimis belligerare, quod non reperitur in exemplo propriè dicto; sed in syllogismo primæ figuræ, ad quem fit exempli reductio, medij obtinet locum.

Quomodo definitur exemplum propriè dictum?

Φανερὸν οὖν ὅτι τὸ παράδειγμά ἐστιν, οὔτε ὡς ὅλον πρὸς μέρος, οὔτε ὡς μέρος πρὸς ὅλον, ἀλλ᾽ ὡς μέρος πρὸς μέρος, ὅταν ἄμφω μὲν ᾖ ὑπὸ τὸ αὐτό, γνώριμον δὲ θάτερον.

PER. Perspicuum igitur est, exemplum nec totius ad partem, nec partis ad totum, sed partis ad partem rationem habere, cùm præsertim vtrumque eidem subiiciatur, & notum sit alterum.

COL. *Exemplum propriè dictum, est argumentatio, cuius antecedens ad consequens rationem habet, non partis ad totum, neq; totius ad partem, sed partis ad partem, cùm vtrumq; eidem subiiciatur, & notum sit alterum.*

ARG. Exemplum propriè dictum est argumentatio, cuius antecedens ad consequens sese habet, neque vt totum ad partem, neque vt pars ad totum, sed vt pars ad partem, quando ambo quidem sub eodem insunt, notum autem est alterum.

De quo toto & de qua parte loquitur hic Aristoteles?

Loquitur de toto vniuersali, & parte illi subiecta: Quomodo animal, totum est ad hominem; & vicissim, homo pars est, animali comparatus. Non est tamen existimandum, necessariam & naturalem debere hîc esse inter partem & totum coniunctionem: cuiusmodi coniunctionis vinculo, speciem cum genere cernimus colligatam; verùm sufficit hîc, vt totum magis communis, pars verò minus communis in eo contenti obtineat rationem, siue necessaria, siue fortuita sit illorum inter se connexio, modò istud accedat,

vt

vt totum caussa sit, cur parti, quæ in antecedente collocatur, prædicatum conueniat.

Vnde planum est, hæc exempla vitiosa esse, Socrates ambulat, ergo Plato ambulat: Plato fuit doctissimus, ergo Gorgias fuit doctissimus: Germani sunt candidi, ergo & Hispani. illud enim in quo conueniunt subiecta, nimirum humana natura, non est caussa, cur antecedentium prædicata suis subiectis tribuantur.

Sed hoc verum & genuinum est exemplum: Plato est capax disciplinæ, ergo & Gorgias disciplinæ capax est. Conueniunt namq. Plato & Gorgias in eodem toto, scilicet homine, qui rationem totam continet, cur capaces sint disciplinæ.

Cur ista pars (notum autem alterum) definitioni adiuncta est?

Vt indicetur alterum (nempe quod in antecedente exempli ponitur) debere esse manifestum; alioqui frustra ad probationem eius, quod ignotum est, assumeretur.

Quis est vsus exempli?

Ad persuadendum non repugnanti, atque ei qui vltrò sequitur, plurimum valet exemplum, quòd doceat magis & ostendat, quàm cogat inuitos, qui facilè dissimilitudinem comminiscuntur.

Præterea ad ornatum quoque exempla conferunt, sed ab apologis quidem ducta, populo accommodatiora sunt; ab historiis autem, consultantibus vtiliora. Exempli autem impropriè dicti peculiaris vsus est, vt per ipsum, propriè dictum exemplum ad syllogismum reducatur: vt hoc exemplum, Gracchus est occidendus, igitur & Catilina est occidendus; ita ad syllogismum reduci debet secundùm Aristotelem, Gracchus est occidendus, igitur omnis seditiosus est occidendus: vlterius, Omnis seditiosus est occidendus, Catilina est seditiosus; ergo Catilina est occidendus.

DE ENTHYMEMATE.

Quomodo definit Aristoteles enthymema?

Ἐνθύμημα μὲν οὖν ἐστι συλλογισμὸς ἀτελὴς ἐξ εἰκότων ἢ σημείων.

PER. Ac enthymema quidem est imperfecta, & quæ non constat omnibus suis partibus ratiocinatio, ex probabilibus & signis.

COL. *Enthymema est imperfecta ratiocinatio ex probabilibus & signis.*

ARG. Enthymema est syllogismus imperfectus ex verisimilibus & signis.

De quo enthymemate loquitur hic Aristoteles?

De enthymemate, quod & probandi vim habet, & ad syllogismum categoricum reduci potest.

Quis syllogismus vocatur hoc loco imperfectus?

Syllogismus imperfectus hoc loco vocatur, non qui obscurus &

minus euidens est; vt superius circa definitionem syllogismi; sed qui mutilus est atque mancus propter alterā antecedentis partem, propositionem nimirum vel assumptionem in eo desideratam; ita vt, si hæc addatur, iam verus integérque efficiatur syllogismus.

Hinc Boëtius enthymema sub nomine imperfecti syllogismi definiens, ait: Syllogismus imperfectus est oratio, in qua non omnibus præmissis antepositis, festinata infertur conclusio. vt,

Nullus homo est lapis, ergo
Socrates non est lapis.

Itaque hac definitionis parte excluduntur in primis omnes integri syllogismi; deinde multæ aliæ argumētationes, quæ speciem quidem enthymematis pręse ferunt, sed non possunt vt enthymemata reduci ad syllogismum categoricum, vnius enuntiationis ad antecedens accessione.

Expone illam partem, ex verisimilibus & signis.

Hoc est, ex antecedente verisimili, & signo consequentis; vel ex antecedente signo quidem consequentis, non autem per se verisimili seu probabili.

Quid excludit ista pars à definitione?

Per hanc partem excluduntur quæuis argumentationes, in quibus antecedens consequentis probandi vim non habet.

Quorsum adiecit Aristoteles definitioni istā partē (ex verisimilibus) cùm sufficiat antecedens enthymematis esse signum consequentis?

Vt indicaret, quemadmodū syllogismorum alius est demonstratiuus, alius verò dialecticus; ita enthymematum quædam ex antecedente necessario, quædam verò ex probabili tantùm constare.

Quomodo definitur εἰκὸς seu verisimile ab Aristotele?

Τὸ μὲν εἰκός ἐστι πρότασις ἔνδοξος.

P E R. Verisimile est propositio probabilis.

C O L. Εἰκὸς *est propositio probabilis.*

A R G Verisimile propositio probabilis est.

Quot modis dicitur pronuntiatum aliquod esse probabile?

Duobus. Vno modo in se, quod scilicet probabiliter est verum: vt, Mater diligit filium suum, Homines diligunt se amantes, & oderunt sibi aduersantes. Huiusmodi probabilia definiuntur in libro primo Topicorum.

Altero modo dicitur pronuntiatum probabile cum altero comparatum, quod ex ipso probabiliter sequitur, siue ipsum in se probabile extiterit, siue non.

Sic hæc pronuntiata, Cœlius est studiosus litterarū, Clitæmnestra est mater Orestis, Proximo mense erit sol sub cane; probabilia sunt si cum istis cōferantur, Cœlius non est voluptarius, Clitęmnestra amat Orestem, Proximo mense non pluet.

Vtra significatione accipi debet (probabile) in definitione icotis seu verisimilis positum?

Maximè congruit sententiæ Aristotelis, vt probabile priore modo accipiatur: id enim planè significant Aristotelicæ definitionis modò recitatæ verba.

Quomodo definitur ab Aristotele signum, quod ipse σημεῖον vocat?

Σημεῖον δὲ βούλεται εἶναι πρότασις ἀποδεικτικὴ, ἢ ἀναγκαία, ἢ ἔνδοξος.

PER. Signum autē vult esse propositio, quæ ad demonstrandam, &c. vt Col.

COL. *Signum est propositio, quæ ad demonstrandam rem valet, vel necessaria, vel probabilis.*

ARG. Signum est propositio demonstratiua, vel necessaria, vel probabilis.

Quid vocas hoc loco propositionem demonstratiuam?

Quæ alterius probandę vim necessariam vel probabilem habet: hinc manifestum est, signum ad aliud referri, sicut etiam nomen ipsum satis indicat.

Quorsum adiecit Aristoteles istā partē (vel necessaria vel probabilis?)

Vt ostenderet id pronuntiatum, quod signum dicitur, posse esse vel necessarium in se, vel probabile: ex quo liquet, omne icos seu verisimile relatum ad aliud pronuntiatum, quod ex ipso vel necessariò vel probabiliter sequitur, etiam esse signum, non tamē omne signum esse icos seu verisimile.

Expone paucis & dilucidè enthymematis ad syllogismum reuocandi rationem.

Sciendum est in primis, omnis syllogismi categorici antecedens ex duabus tantùm simplicibus enunciationibus & tribus terminis constare, vnde sequitur omnem argumentationem, quæ per additionem vnius pronuntiati ad syllogismum reducitur, ex duabus duntaxat categoricis enūntiationibus posse constare; quarum altera antecedētis, altera verò cōsequentis locum teneat, ac tribus tātummodo terminis, è quorū duobus, inferente nimirū & illato, conflari debet adiungēda enthymemati ad explendū syllogismū enūtiatio.

Terminus inferens dicitur, qui in antecedente tantùm ponitur, & est in syllogismo medium.

Terminus verò illatus est, qui tantùm in cōsequente reperitur.

Reliquus verò, qui tam in antecedente quàm consequente positus est, vocatur terminus communis, ex quo non potest confici enuntiatio addenda; quia alioqui idem terminus poneretur in vtraque antecedentis parte, & conclusione.

Ex his planum euadit, argumentationes, quæ ex quatuor terminis constant, enthymemata hîc definita non esse: vt, Albedo est color, ergo album est coloratum: sed nec omnis argumētatio ex duabus tantùm enunciationibus & tribus terminis constans, potest ad categoricum syllogismū reduci; quia contingit interdū, vt addenda enunciatio affirmans esse debeat: terminus verò inferens & illatus

ita à se mutuò separentur, vt ex illis vera affirmatio componi nequeat. quod videre licet in isto enthymemate, Aedificator est excellens; ergo domus quam fecit, est excellens; & similibus à caussa vel ab effectu desumptis argumentis; & ideo tales argumẽtationes solùm reducuntur ad syllogismos hypotheticos, de quibus posteà erit dicendi locus. Aliud esset si addenda pars negans foret; tunc enim oporteret terminum inferẽtem & illatum inter se repugnare.

Quomodo scietur, vtra enthymemati desit, propositione an assumptio?

Inspicienda est enthymematis cõclusio: nam si conclusionis & antecedentis idem sit
- Subiectum, deest propositio ex prædicatis conficienda; cuius additione integer fit syllogismus primæ vel secundæ figuræ; quod exempla mox subiicienda manifestè declarabunt.
- Prædicatũ, deest assumptio ex subiectis conficienda; cuius additione integer fit syllogismus primæ figuræ vel tertiæ.

Ad quot figuras enthymemata reducuntur?

Ad omnes figuras.

Profer igitur aliquod enthymema, quod ad secundam & tertiam figuram reducatur.

Nullum eiusmodi est, quòd in his figuris contraria sit medij syllogistici dispositio: Medium enim in secunda figura semper prędicati; in tertia verò semper subiecti locum obtinet.

Quo sensu igitur ad omnes figuras enthymemata reduci asserebas?

Istud volebam, quædam enthymemata ad primam figuram, quædam ad secundam, quędam verò ad tertiam tantùm reduci: alia denique communiter, vel ad primam & secundam, vel ad primam & tertiam, posse reuocari.

Expone hæc paulò distinctiùs.

Enthymemata (vt ex iis quæ paulò antè dicta sunt, perspicuum est) reducuntur

1. *Ad primam vel secundam figuram,* quando conclusionis & antecedentis idem est subiectum.
   - *Primam tantùm*, quãdo conclusio est aiens.
   - *Secũdã tãtùm*, quãdo cõclusio & antecedens sunt negantia.
   - *Cõmuniter, ad primã et secundam*, quando antecedens est aiens, & consequens negans.
2. *Ad primã vel tertiam,* quando conclusionis & antecedentis idem prædicatum est.
   - *Primam tantùm*, quando conclusio est vniuersalis.
   - *Tertiã tantũ*, quando antecedẽs est enũtiatio particularis.
   - *Cõmuniter, ad primã et tertiã*, quãdo antecedẽs est vniuersale, & cõclusio particularis.

Profer

Profer partium istius distributionis exempla.

EXEMPLA PRIORIS PARTIS.

Ad primum tantùm.

Vt, Equus currit, ergo equus mouetur.

Reducitur ad Darij hoc modo:

Omne currens mouetur,
Equus currit; ergo
Equus mouetur.

Ad secundam autem figuram nequit reduci, quia ibi nulla est affirmans conclusio.

Ad secundam tantùm.

Vt, Spongia non est animal, ergo spongia non est bestia.

Sic reducitur ad Baroco:

Omnis bestia est animal,
Spongia non est animal; ergo
Spongia non est bestia.

Ad primam figuram reduci non potest, propter assumptionis negationem, quam respuit prima figura.

Ad primam & secundam.

Vt dum argumentamur à disparatis, aut oppositis, ab affirmatione ad negationem, hoc modo:

Paulus est homo, ergo Paulus non est equus; Cygnus est albus, ergo non est niger.

Quæ enthymemata facilè ad vtramque figurā reducentur, confecta ex prædicatis propositione: in qua si mediū prædicati locum teneat, fiet reductio ad secundam; sin subiecti, ad primam.

EXEMPLA POSTERIORIS PARTIS.

Ad primam tantùm.

Vt, Omne elementum est corpus, igitur omnis ignis est corpus, reducitur ad Barbara, addita hac assumptione: Et omnis ignis est elementum.

Ad tertiam autem figuram non reducitur, quia ibi nulla est conclusio vniuersalis.

Ad tertiam tantùm.

Vt, Aliquod animal respirat, ergo aliquod corpus respirat: duntaxat ad Disimis reducitur, addita hac assumptione, & Omne animal est corpus. Ad figuram primam non reducitur, quia propositio esset particularis; quod est contra illius figuræ naturam.

Ad primam & tertiam.

Vt, Omne animal est mortale, ergo aliquis homo est mortalis.

Quod enthymema ad primam erit reductum, si medium in assumptione, quæ est addenda, prædicati teneat locum; sin ibi subiiciatur medium, erit reductio ad tertiam figuram.

Quis

Quis est vsus enthymematis, & quæ ratio talis appellationis?

Vsus enthymematū creberrimus est non solùm in docta & elaborata disputatione, sed etiā in vulgari & familiari sermone: huiusmodi enim enthymemata, Non emo vestem, quia careo pecunia: Magnam is meretur laudem, quia præclarè suo functus est officio; passim in omnium ore versantur. Oratores quoque multò frequentiùs enthymemate quàm syllogismo vtuntur, in hoc communi se accommodantes sermoni: Cùm enim ista sit argumentandi ratio breuissima & simul perspicua, fit vt neque tædium prolixitate, neque molestiam obscuritate auditoribus afferat; ob idq. sit ad communem sermonis vsum maximè accommodata.

Hanc autem argumentandi formam ideo Græci ἐνθύμημα, hoc est, cogitationem (qua nihil est celerius) appellasse videntur, quòd hîc non longa verborum ambage, vt fit in syllogismis, vtamur, sed quadam verborum celeritate, cogitationi simili, rem totam complectamur. Dicitur ob eandē quoque caussam à Græcis συλλογισμὸς ἀτελής; Latinis verò, nunc ob celeritatem festinatus syllogismus, nunc ob defectū prætermissionémque vnius in antecedente enuntiationis, syllogismus truncatus & mutilus. Semper enim in enthymemate vna enuntiatio, quam tamen mente intueri debet argumentans, de industria & breuitatis studio prætermittitur, quòd odiosum vel longum nimis esset id recitare, quod se vltrò offert, & facilè sine vlla declaratione à respondente intelligitur: vt,

Nulla planta est inanimata; ergo
Nulla arbor inanimata est.

Vbi assumptio relicta est: quæ ex se adeò facilis est, & cuiuis obuia, vt offendat propemodum, si explicetur.

Interdum etiam ob hanc caussam oratores enthymemate vtuntur, vt eam suæ argumentationis partem, quæ infirmior est, & cuius veritas non est satis explorata, dissimulent, & silentio præterire possint. vt si quis ita ratiocinetur,

Alexander est ebriosus; igitur
Parum strenuus est.

Nam prætermissa propositio minus claræ veritatis est; videlicet ista, Nullus ebriosus est strenuus.

Porrò vtimur enthymemate aliàs apertè, aliàs tacitè. Sæpe enim cùm non videmur argumentari, tamen argumentum vna voce notamus: qualia sunt, Quid agerem cum ebrio? Quid emerem sine nummis?

Similiter cùm Liuius de Alexandro loquens dicit, Illéne qui temulēto agmine comessabundus incessit, par esset Romanis? Includuntur enim in his verbis enthymemata, temulento agmine, & commessabundus incessit. quæ sic explicari possent:

Istud

Istud agmen est temulentum; ergo
Non est par Romanis.
Iste dux est commessabundus; ergo
Non est par Romanis.

Ita solent in omnẽ orationem rectè spargi enthymemata: plurimúmque addunt põderis hoc modo aspersa. Quare de hoc genere Rhetores præcipiunt, ne sit inanis oratio, sed vt habeat pleraq. verba, etiam cùm non argumẽtamur, sensu aliquo tincta, vt Fabius ait, quæ admoneant auditorẽ argumenti, aut grauis alicuius sententiæ.

Cæterùm manifesta enthymemata innumerabilia vbique reperias; quæ, quia facilè animaduerti possunt ab eo, qui vel tenuissimam eorum, quę de enthymemate dicta sunt, cognitionem habet, illis hoc loco recensendis consultò supersedemus, ne in re minimè necessaria plus æquo videamur immorari.

Sed aduerte nonnunquam enthymemata esse amplificata & ornata pluribus verbis; quæ à doctis quidem facilè cernuntur, ab imperitis verò, nisi verborũ ornatus sit detractus, non agnoscuntur.

Sæpè etiam Oratores, Dialecticorum more, nudis vtuntur enthymematis: vt Demosthenes in prima Olynthiaca,

Secundæ res fatuos reddunt impetitos; ergo
Difficilius est retinere parta bona, quàm parare.

Si hîc addas propositionem, & terminos nonnihil immutes, seruata tamen eadem sentẽtia erit absolutus syllogismus, & ratio consecutionis clarè in eo conspicietur, confecta terminorum dispositione secundùm Ferio, ad hunc modum:

Nullus fatuus nouit bona parta retinere,
Secunda fortuna est fatua; ergo
Secunda fortuna non nouit bona parta retinere.

Cicero scribit, Rhetores enthymemata propriè appellare eas argumentationes, in quibus ex contrario ducta sunt argumenta: vt, Pax est optanda, igitur bellum est fugiendum.

Exemplum enthymematis apud Ciceronẽ in Topicis est istud: Eam quam nihil accusas, damnas: bene quàm meritam esse autumas, dicis malè mereri: quod quidem exemplum propiùs ad simplicem asseuerationem, quàm ad argumentationem accedit; vnde intelligitur non modò argumentationem, sed etiam quamuis sententiam ex contrariis verbis per ἀντίθετον dispositis constantem, enthymema apud probatos auctores solere appellari.

Sæpenumero etiam apud auctores indicantur magis enthymemata, quàm explicantur, & plura simul aliquando cumulantur: vt in hac argumentatione Virgiliana,

— Nulla salus bello;
Pacem te poscimus omnes.

Quæ sic explicanda forent:

Bellum non est salutare; igitur
Non est poscendum. Item:
Pax est salutaris; igitur est poscenda.

Apud Dialecticos verò enthymematis nomine imperfecti syllogismi significantur.

Interim tamen illud verum est, in contrariis idoneam & aptam esse materiam ad enthymematum confectionem.

Et maximè perspicua esse enthymemata, quæ ex contrariis conficiuntur, communis sensus nos docet.

De aliis argumentationum formis.

Expositis iam ex Aristotelis sententia argumentationum præcipuis & maximè vsitatis formis, non inutile putauimus, iis tres alias, Soriten videlicet, Dilemma, & Violationem adiungere; quæ licet à Rhetoribus explicari soleant, nequaquã tamen sunt à Dialectico negligendæ; quòd & in probatorum auctorum scriptis frequenter occurrãt, & disputationi, si tempestiuè adhibeantur, multum luminis atque ponderis afferre possint.

DE SORITE.

Quid est Sorites?

Sorites, Latinè coaceruatio, est argumentatio, in qua prædicato primi pronuntiati aliud prædicatum attribuitur necessariò cohærens, eodémque modo vlterius proceditur, donec in conclusione vltimum prædicatum addatur primi pronuntiati subiecto. Estque vsitata forma, cùm ab ima specie ad summum genus per media genera ascẽdimus; vel cùm à caussis ad proximos effectus transimus; qui vlterius sunt caussæ aliorum effectuum.

Profer exempla huius argumentandi formæ.

Homo est animal,
Animal est viuum corpus,
Viuum corpus est substantia; ergo
Homo est substantia.

Aliud exemplum per gradus caussarum:

Nimia ingurgitatio impedit concoctionem in ventriculo,
Mala concoctione facta in ventriculo, fit sanguis impurus in hepate,
Cùm sanguis in hepate impurus est, sparguntur in totum corpus multi crudi humores,
Crudi humores sparsi in corpus, faciunt καχεξίαν, & deinde hydropem; ergo
Immodica ingurgitatio caussa est hydropis.

Facitne alicubi Aristoteles mentionem istius argumentandi formæ?

Et si Aristoteles nomine Soritæ non vtatur; rem tamen ipsam,

& vſum iſtius argumentationis declarat in priori regula τῶ προηγουμένων; in qua tota huius argumentationis, quam Soriten vocamus, ratio continetur.

Qui ſunt vitioſi ſoritæ?

Vitioſi ſunt omnes illi, qui à negatione initium ducunt, & ex affirmationibus tantummodo illi firmi ſunt, in quorum antecedentibus omnia prædicata cum ſuis ſubiectis neceſſariò cohærent; vt genus cum ſpecie, differentia cum eo cuius eſt differẽtia, & proprium cum ſuo ſubiecto. Item cùm cauſſis per ſe ac propriis connectuntur proprij effectus: vt vitioſa eſt iſta conſecutio,

Homo non eſt leo,
Leo eſt animal; ergo
Homo non eſt animal.

Similiter iſta:

Ex malis moribus ortæ ſunt bonæ leges,
Bonæ leges ſunt dignæ laude,
Digna laude ſunt expetenda; ergo
Mali mores ſunt expetendi.

Ratio autem cur vitioſus ſit iſte ſorites, eſt, quia mali mores non ſunt per ſe cauſſa bonarum legum; ſed mens bonorum gubernatorum eſt per ſe earum cauſſa: vt morbus non eſt cauſſa curationis, ſed Deus, medicus, remedia, & natura morbo repugnans.

Vulgò recitatur exemplum ridiculum, quod tamen referam, vt peruulgato & omnibus noto exemplo res euadat clarior. Ita vulgò aiunt:

Qui bene bibit, bene dormit,
Qui bene dormit, non peccat,
Qui non peccat, erit beatus; ergo
Qui bene bibit, erit beatus.

In qua argumentatione non modò contra Chriſtianæ religionis, ſed etiam contra Dialecticæ artis præſcriptionẽ peccatur; quòd prima & ſecunda enuntiatio connexiones habeant fortuitas, non autem neceſſarias: nam ebrij non mox dormiunt, nec ſemper dormiunt, nec dormire cauſſa eſt ſemper prohibens delicta; nam & ante ſomnum ebrij ſæpè tumultuãtur, & poſt ſomnum, atq. etiam in ipſo ſomno, inflammati & æſtuantes in ſanguine ſpiritus cient multos turbidos & prauos affectus.

Quis eſt vſus ſoritæ?

Ad eruendam conuenienti ordine in rebus obſcuris veritatem, aptiſſimus eſt ſorites; ob idque veteres multum hoc argumentandi genere vti ſolebant, interrogantes & gradatim ab infimis ad ſuprema aſcendentes: vnde Socrates apud Platonem ait, Dialecticen verſari ἐν τῷ ἐρωτᾶν καὶ ἀποκρίνεσθαι.

DE DILEMMATE.

Quid est Dilemma?

Dilemma est quoddam argumentandi genus, in quo argumentum in duas diuiditur partes,& ex vtraque parte quod propositum est, concluditur ratione subiecta. ea enim illi est natura, vt vtramuis partem argumenti concesserit quispiam, reprehendatur,& proponens eiusmodi argumentationem, quod vult, concludat. Dicitur autem à δὶς & λαμβάνω, quòd vtrinque aduersarium capiat: vt si quis dicat vxorem esse ducendã, sic dilemmate redarguetur, Vxor vel pauper est, vel diues: si est pauper, necessariorum vitæ præsidiorum egestate, magno oneri est futura; si verò diues; nimio fastu elata, erit intolerabilis: & ita vtrum vis dicatur, consequitur vxorem non esse ducendam.

Sed quemadmodum antecedens non omni ex parte verum est, ita quoque consequens suas habet exceptiones.

Quis est vsus dilemmatis?

Dilemmate frequenter vtuntur oratores ad perturbandos animi affectus: nam animus sic vtrinque septus, non facilè prospicit, quomodo se extricare queat.

Conficitur autem ferè dilemma ex enuntiatione hypothetica disiunctiua, & conditionali duplicata.

Vt si quis familiarem suum amicum culparet, is dilemmate reprehendi posset, ad hunc modum:

> Hic aut improbus est, aut probus;
> Si improbus est, cur vteris?
> Si probus, cur accusas?

Phædra in Hippolyto Senecæ, ita probat sibi esse moriendum:

> Vel casta es, vel incesta:
> Morere, si casta es, viro:
> Si incesta, amori.

Similiter Alexander magnus apud Curtium dilemmate hortatur milites, vt ineant prœlium: Aut magnitudo, inquit, belluarum, aut multitudo hostium vos deterret. Mox vtraque parte confutata, colligit Indos non esse timendos.

Cæterùm apud Demosthenem & Isocratem vtriusque partis longiores περιβολὰς cuiuis facile est animaduertere.

Quæ sunt optima dilemmata?

Optima dilemmata sunt, quæ ex contrariis, inter quæ nullum est medium, constant. Quapropter non optimè Bias argumẽtatus est de non ducẽdâ vxore, hoc modo: Aut pulchram duces vxorem, aut deformem: Si pulchram, habebis κοινὴν; si deformem, ποινήν: igitur vxor ducenda non est.

Omisit enim Philosophus tertium: cùm inter pulcherrimam & defor-

deformiſſimam ſit quædam forma media, quam Ennius nunc ſtatam, nunc vxoriam vocat, quæ nec tædio eſt marito, nec expoſita improborum cupiditati.

DE VIOLATIONE.

Quid eſt Violatio?

Violatio Græcè βίαιον, argumentatio eſt rhetorica magis quàm dialectica, quæ tum contingit, quando concẽdimus aduerſariorum rationem pro nobis facere; aut quando argumentum in aduerſarium retorquetur, quaſi quis ab hoſte telum miſſum arripiat, & in ipſum conuertat: vt,

Vlyſſes occidit Aiacem, qui aſtitit ei interfecto: imò, quia aſtitit interfecto, nec ſe coniecit in fugam, non occidit Aiacem.

Non ſunt iuriſconſultis legendi oratores & poëtæ, quia tantùm linguam acuunt: imò potius quia linguam acuunt, ab iiſdem diligentiſſimè euoluendi ſunt.

Item, Chriſtus ieiunauit, ergo nobis non eſt ieiunandum: Imò quia Chriſtus ieiunauit, nobis eſt ieiunandum. Omnis enim Chriſti actio noſtra eſt inſtructio. dicente ſcriptura; Quòd qui manet in Chriſto, debet, ſicut ille ambulauit, & ipſe ambulare.

Quis eſt vſus violationis?

Vſus huius generis argumentandi eſt, ad oſtendendum, id nobis vtile eſſe, quo nos aduerſarij oppugnare conantur.

DE HYPOTHETICIS SYLLOGISMIS.

NIHIL ab Ariſtotele, ſi Boëtio creditur, de hypotheticis ſyllogiſmis eſt traditum; nos tamen, ne quid à noſtris diſcipulis in hoc Dialecticæ commentario deſideraretur, quæ putauimus hac de re ſcitu neceſſaria, breuiſſimè in hunc locum collegimus.

Quid eſt ſyllogiſmus hypotheticus?

Eſt, cuius propoſitio ſeu antecedentis prima pars, eſt enuntiatio hypothetica.

Explica latiùs definitionem, & exemplis illuſtra.

Poteſt fieri ſyllogiſmus hypotheticus ex ſola priore propoſitione hypothetica: vt, Si dies eſt, lux eſt; ſed dies eſt, ergo lux eſt. Item ex priori propoſitione & concluſione hypotheticis: vt, Si nullum animal eſt candidum, nullus homo, nullusque equus eſt candidus; ſed nullum animal eſt candidum, ergo nullus homo, nulluſque equus eſt candidus.

Inſuper ex propoſitione atque aſſumptione hypotheticis, & concluſione categorica: vt, Si homo eſt ſenſu præditus, aliquod animal eſt ſenſu præditum; ſed homo eſt ſenſu præditus, & leo eſt ſenſu præditus, ergo aliquod animal eſt ſenſu præditum.

Præterea ex hypotheticis omnibus: vt, Si homo eſt rationis par-

ticeps, & leo rationis expers, aliquod animal est rationis particeps, & aliquod rationis expers; sed homo est rationis particeps, & leo rationis expers, ergo aliquod animal est rationis particeps, & aliquod rationis expers.

Quot sunt partes syllogismi hypothetici?

Quot sint syllogismi hypothetici partes, dialecticorum variæ sunt sententiæ: potest tamen breuiter respondere, quemadmodum syllogismus categoricus ex bipartito antecedente & vna conclusione constat, ita quoque hypotheticum syllogismum ex antecedente in binas partes diuiso & conclusione conflari: nam quòd rationes ad alterutram antecedentis partem frequenter apud scriptores adiunctas videamus, id præcipui syllogismi, vel categorici, vel hypothetici partes non auget, sed nouā potius gignit argumētationem.

Quomodo diuiditur syllogismus hypotheticus?

Syllogismorum hypotheticorum alius est { *Conditionalis,* *Copulatiuus,* *Disiunctiuus.* }

Quis syllogismus dicitur conditionalis?

Cuius propositio seu antecedentis prior pars est conditionalis.

Vt, Si virtus ad vitam beatam ducit, omni studio atque diligentia, cæteris rebus postpositis, virtus est comparanda; at virtus ad vitam beatam ducit, omni igitur studio atque diligentia, cæteris rebus postpositis, virtus est comparanda.

Quot sunt genera syllogismorum conditionalium?

Duo sunt genera: { Vnum ab antecedente, Alterum à consequente appellatur. }

Quid est syllogismus conditionalis ab antecedente?

Syllogismus conditionalis ab antecedente, est in quo assumptionis loco, antegressæ propositionis antecedēs repetitur ad eiusdem consequens stabiliendum. cuiusmodi est syllogismus modò commemoratus.

Quid est syllogismus conditionalis à consequente?

Syllogismus conditionalis à consequente, est in quo assumptionis loco, pronuntiatum consequenti antegressæ propositionis conditionalis, vel contrarium, vel ex diametro repugnans, sumitur ad ipsius propositionis antecedens refellendum. cuiusmodi est iste: Si diuitię beant hominem, eius animum omni solicitudine atque mærore liberant: at nequaquam diuitiæ hominis animum omni solicitudine atque mærore liberant: nequaquam igitur diuitiæ beandi hominis vim habent.

Quid

Quid est syllogismus copulatiuus?

In quo propositio seu antecedentis prior pars est copulatiua.

Vt, Non & dies est, & nox est; sed dies est, nox igitur non est; vel nox est, ergo dies non est.

Quid est syllogismus disiunctiuus?

In quo propositio, seu antecedentis prior pars est enuntiatio disiunctiua.

Quot modis fit syllogismus disiunctiuus?

Duobus modis.

Prior est, cùm ex positione alterius partis tollitur reliqua: vt, Aut dies est, aut nox est: sed dies est, ergo nox non est.

Verùm hic modus solùm habet locum in disiunctiuis, quę constat ex partibus ita repugnantibus, vt simul veræ esse non possint.

Alter est, cùm vna pars disiunctiuæ tollitur, vt altera pars stabiliatur: vt, Petrus aut dormit, aut vigilat; sed non dormit, ergo vigilat.

EPILOGVS.

Hæc de syllogismis hypotheticis, quorum frequens est vsus, breuissimè dicta sufficiant: si cui fortè incesserit cupiditas plura de his cognoscendi, legat Seuerinum Boëtium, qui duobus libris plurimos horum syllogismorum modos est persecutus, magno quidem studio ac diligentia, sed nescio an pari fructu: cuius exemplum ideo imitari noluimus, quòd tironum adhuc rudium, quos instituendos suscepimus, ingeniis eiusmodi difficultatum ab vsu communi remotarum tractationem nequaquam conuenire arbitraremur.

LIBRI QVARTI

PARS TERTIA,

DE DEMONSTRATIONE.

Ex Aristotelicis posteriorum libris.

QVOD in aliis Aristotelicis libris hactenus à nobis factum est, idem & in his ἀναλυτικῶν ὑστέρων libris diligenter seruare statuimus; vt videlicet iis, quæ maximè scitu sunt necessaria, selectis, & breui dilucidóque commentario explanatis, cętera ex ipso fonte petenda relinquamus. Cæterùm quoniam inter ea, quæ in istis libris doctissimè sunt ab Aristotele disputata, primum locum & ordine & dignitate obtinet demonstratio, ab eius naturali & genuino effectu, qui est Scire seu Scientia, istius libri exordium ducemus.

Quomodo definit Aristoteles Scire?

Ἐπίστασθαι δὲ οἰόμεθα ἕκαστον ἁπλῶς ἀλλὰ μὴ τὸν σοφιστικὸν τρόπον, τὸν κατὰ συμβεβηκός, ὅταν τήν τ' αἰτίαν οἰόμεθα γινώσκειν, δι' ἣν τὸ πρᾶγμά ἐστιν ὅτι ἐκείνου αἰτία ἐστί, καὶ μὴ ἐνδέχεσθαι τοῦτ' ἄλλως ἔχειν.

PER. Tum verò denique scientia comprehendere aliquid nos putamus planè, non sophistarum more, casu temerè ac impropriè, cùm rei caussam nobis cognitam esse arbitramur, neque id aliter atque est, posse euenire.

COL. *Planè ac perfectè scire quisque censetur, ac non sophistarum modo (qui incertis ac fortuitis continetur) quando caussam per quam res est, ita ipsius rei caussam esse cognoscit, vt non posse omnino rem aliter habere credat.*

ARG. Scire simpliciter, sed non vt sophistæ, per accidens, arbitramur, cùm caussam, ob quam res est, & illius caussam esse, & fieri non posse, vt res aliter sese habeat, cognoscere arbitramur.

Cur ponit Aristoteles in hac definitione istam partem (& illius caussam esse?)

Quia ad propriam scientiæ rationem non est satis rem illam, quæ caussa est, cognosci, nisi etiam hæc ad effectum suum fuerit relata; ita vt cognoscatur euidenter illius esse caussa.

Cur postremam istam partem adiecit (& fieri non posse vt res aliter sese habeat?)

Quia oportet rem, quæ scitur, & per se necessariam esse, & quòd talis sit, à sciente cognosci; alioqui de ea non haberetur certa perfectáque notitia: qualis est scientia.

Quæ est secunda definitio, qua explicat Aristoteles, quid sit scire?

Φαμὲν δὲ καὶ δι' ἀποδείξεως εἰδέναι.

PER. Dicimus etiam aliquid scire demonstratione.

COL.

C o l. *Scire, est per demonstrationem rem cognoscere.*

A r g. Dicimus autem & per demõstrationem nos scire. Hoc est, firmè euidentérque cognoscere.

Profer exemplum vtriusque descriptionis.

Exemplum vtriusque descriptionis idem est, sicut & definitiones; quanquam verbis differunt, re sunt eædem: vt firma euidénsque cognitio huius pronuntiati, Omnis homo est disciplinæ capax; comparata per istam demonstrationem, Omne animal rationis particeps, est capax disciplinæ, & Omnis homo est animal rationis particeps; Omnis igitur homo est disciplinæ capax.

Quomodo apud Aristotelem definitur demonstratio?

Hoc modo:

Ἀπόδειξιν δὲ λέγω, συλλογισμὸν ἐπιστημονικόν.

P e r. Demonstrationem autem voco, scientiæ effectricem ratiocinationem.

C o l. *Demonstratio est ratiocinatio, quæ scientiam gignit.*

A r g. Demonstrationem dico ratiocinationem eam, quæ scientiam efficit.

Recita Aristotelicam scientiæ demonstratiuæ descriptionem.

Ἀνάγκη καὶ τὴν ἀποδεικτικὴν ἐπιστήμην, ἐξ ἀληθῶν τ' εἶναι, καὶ πρώτων καὶ ἀμέσων, καὶ γνωριμωτέρων, καὶ προτέρων, καὶ αἰτίων τοῦ συμπεράσματος.

P e r. Necesse est etiam demonstrandi artem & scientiam ex veris & perspicuis, & iis quæ medio careant, notioribus, prioribus, caussisque conclusionis effici.

Recita eam demonstrationis definitionem, quam ex Aristotelica demonstratiuæ scientiæ descriptione contexuerunt posteriores Dialectici.

C o l. *Demonstratio est ratiocinatio, quæ ex iis sumptionibus constat, quæ & veræ sunt, & primæ, & immediatæ, & notiores, & priores, denique & caussæ conclusionis.*

L o v. Demonstratio est syllogismus ex veris & primis, & immediatis, & ex notioribus, & prioribus ipsa conclusione, caussisque eiusdem.

Profer aliquod exemplum demonstrationis.

Vnum demonstrationis exemplum iam positum est; alterum sit istud:

Omne quod ex mixtione quatuor elementorum est cõflatum, dissolutioni naturaliter est obnoxium;

Omne corpus mixtum est conflatum ex mixtione quatuor elementorum;

Omne igitur corpus mixtum dissolutioni naturaliter est obnoxium.

Explica latiùs quæ ad harum definitionum rectam intelligentiam pertinent.

In primis vtriusque definitionis definitũ propriè est accipiendum, pro demonstratione propter quid & præcipua.

Definiti verò genus, syllogismus est; addunt quidam, perfectus seu euidens: Non enim (inquiunt) potest obscura & inuoluta argumentatio claram perfectámque efficere cognitionem: qualis est ea, quæ proprio nomine scientia vocatur. Sed hoc aliis discutiendum relinquimus.

Præpositio (ex) denotat caussam materialem, ex qua res constat.

Cætera Aristoteles ipse abundè declarat.

Et in primis quidem ostendit, rectè positam esse in definitione istam partem (ex veris) quia quod non est, sciri non potest, id est, de conclusione falsa, siue ea fuerit impossibilis siue cõtingens, non potest haberi scientia, cùm (vt antè dictum est) illud, cuius est sciẽtia, verum esse debeat; & ita verum, vt res aliter se habere non possit.

Duas quoque sequentes particulas (ex primis & immediatis) ostendit rectè positas esse, quòd eiusmodi pronuntiata, quę vel ipsa ad claritatem demonstratione egent, vel aliquo medio illustrari possunt, non genuinam & perfectam, sed degenerem quandam & imperfectiorem pariant scientiam.

Declarat denique, caussas quoque, item notiora & priora, esse oportere ea, ex quibus est demonstratio. & primum quidem horum probatur ex superiori definitione scientiæ: quia tunc scimus, cùm caussam cognoscimus. Vnde alterum quoque consequitur: nam caussas priores & notiores esse suis effectibus, naturalis docet philosophia.

Quot modis dicuntur aliqua priora seu notiora?

Duobus: videlicet, { Priora nobis, & Priora simpliciter, seu naturæ ordine. }

Quomodo definit Aristoteles priora nobis?

Λέγω δὲ πρὸς ἡμᾶς μὲν πρότερα καὶ γνωριμώτερα, τὰ ἐγγύτερον τῆς αἰσθήσεως.

PER. Appello autem ratione & sententia nostra, priora atque notiora, ea quæ propiora sunt & viciniora sensui.

COL. *Nobis sunt priora & notiora, quæ nostris sensibus magis obiecta sunt.*

ARG. Atque ea quidem quoad nos priora notioráve dico, quæ propinquiora sensui sunt.

Quomodo definit Aristoteles priora simpliciter?

Ἁπλῶς δὲ πρότερα καὶ γνωριμώτερα ·· λέγω ·· τὰ πορρώτερον ·· τῆς αἰσθήσεως.

PER. Omnino autem priora & notiora ·· appello ·· ea, quæ remotiora ·· sunt ·· à sensibus.

COL.

C o l. *Omnino ac per se sunt priora & notiora, quæ sunt à sensibus remotiora.*

A r g. Ea verò simpliciter priora notioráve ·· dico ·· quę à sensu longiùs distant.

Quænam sunt à sensu remotissima, & quænam illi proxima secundùm Aristotelem?

Remotissima à sensu sunt ea, quorum natura latissimè funditur: propinquissima verò sensui sunt indiuidua, seu res singulares.

Quid est ex primis esse secundùm Aristotelis doctrinam?

Ex primis esse nihil aliud est, quàm ex propriis principiis constare; idem enim hoc loco valet primum, quod principium. Est autem demonstrationis principium, pronuntiatum medio vacans, quod vulgò immediatum nominatur.

Quomodo definit Aristoteles pronũtiatum ἄμεσον, seu medio vacans?

Sic definit:

Ἄμεσος δὲ ·· πρότασίς ἐστι ·· ἧς μή ἐστιν ἄλλη προτέρα.

P e r. Ea autem propositio, nulla alia doceri potest, qua nulla est prior.

C o l. *Immediata propositio, est propositio, qua nulla est alia prior, per quam ipsa confirmari possit.*

A r g. Ea immediata est, qua nulla est alia prior.

Hoc est, est pronuntiatum quo non est aliud notius simpliciter, per quod syllogisticè probari possit: cuiusmodi est istud, Animal rationis particeps est disciplinæ capax.

Quomodo describitur ab Aristotele διαλεκτικὴ πρότασις, quæ vulgò Dialectica propositio nominatur?

Διαλεκτικὴ μὲν ·· πρότασίς ἐστι ·· ἡ ὁμοίως λαμβάνουσα ὁπότερον οὖν.

P e r. Ad differendum ea ·· propositio ·· valet, quæ vtrumuis æquè sumit & accipit.

C o l. *Dialectica propositio est, vtrauis sine vllo discrimine pars contradictionis, ad probandum aliquid sumpta.*

A r g. Dialectica propositio est, quæ similiter vtramuis accipit.

Quæ definitio istam habet sententiam: Dialecticum pronuntiatum est eiusmodi enuntiatio, qua in quæstionem adducta, respondenti permittitur, vtram velit contradictionis partem, libera eligendi potestas, quòd vtraque eius pars dialecticè probabiliterque disputari possit.

Cur hoc loco inducit Aristoteles dialectici pronuntiati, quod à demonstratione alienum est, mentionem?

Quia, vt habet vulgare dictum, contraria iuxta se posita magis elucescunt, perfectiúsque cognoscuntur. cùm igitur dicturus esset

Aristoteles de pronuntiato demonstratiuo, opportunè dialecticum pronuntiatum illi contrarium antè definiuit.

Quomodo definitur ab Aristotele pronuntiatum demonstratiuum?

Hoc modo:

Ἀποδεικτικὴ δὲ·· πρότασίς ἐστι·· ἡ ὡρισμένως θάτερον ὅτι ἀληθές.

PER. Ad demonstrandum autem ea propositio valet, quæ certè alteram veram esse sumit.

COL. *Propositio demonstratiua est altera tantùm, atque ea demum quæ vera est.*

ARG. Propositio demonstratiua est, quæ definitè alterum quod est verum.

Quæ definitio ad hunc modum intelligi debet: Pronuntiatum demonstratiuum est enuntiatio vsque adeò certæ & manifestæ veritatis, vt nemini alteram partem ei contradicentem amplecti aut probare, sensu communi permittente, liceat.

Quot sunt genera primorum principiorum?

Duo: { Positio, θέσις, & Dignitas, ἀξίωμα.

Quomodo apud Aristotelem definitur positio?

Sic definitur:

Ἀμέσου δὲ ἀρχῆς συλλογιστικῆς θέσιν μὲν λέγω, ἣν μὴ ἔστι δεῖξαι, μηδ' ἀνάγκη ἔχειν τὸν μαθησόμενόν τι.

PER. Principij autem ratiocinationis quod medium non habet, propositum appello, id quod demonstratione doceri non potest; nec necesse est tenere eum, qui aliquid velit discere.

COL. *Positio, est propositio immediata, quæ quanquam demonstrari non possit, non tamen ita aperta & per se manifesta est, vt necesse sit iam antè cognitam esse ei, qui artem aliquam discere velit.*

ARG. Positio est principium immediatum, quod fieri nequit vt demonstretur, quódque non est necesse eum qui discit, habere.

Hoc est, Positio est enuntiatio, quæ licet per aliam euidētiorem probari nequeat, eius tamen notitiam non debet is, qui docendus est, secum afferre; sed sufficit eam ab eo qui docet, accipere: vt, Omne compositum ex materia & forma, est mobile.

Quomodo definit Aristoteles illud demonstratiuum principium quod Græcè Axioma, & Latinè Dignitas appellatur? Hoc modo:

Ἣν δ'·· ἄμεσον ἀρχὴν συλλογιστικὴν·· ἀνάγκη ἔχειν τὸν ὁτιοῦν μαθησόμενον, ἀξίωμα·· λέγω.

PER.

PER. Quod autem necesse est tenere eum, qui quiduis discere instituerit, postulatum appello.

COL. *Postulatum est propositio immediata, quæ ita per se ipsa est perspicua, vt non posit non esse omnibus multò antè cognita & perspecta, quàm quicquam doceatur.*

ARG. Dignitas est principiũ immediatum, quod necesse est habere omnem eum, qui discere aliquid parat.

Id est, quod oportet eos, qui doceri quippiam volunt, antè cognitum habere quàm doceantur: nam qui intellecta verborum significatione adeò stupidus est, vt non videat eiusmodi pronuntiato assentiendum esse, sensu communi caret, & est ad disciplinam percipiendam ineptus. huius generis sunt ista axiomata, Quodlibet est vel non est: de quolibet est affirmatio, vel negatio vera.

Addit post hæc Aristoteles, firmiùs assentiendum esse antecedenti quàm conclusioni, secundùm illud commune dictum:

Semper illud est tale magis, ob quod vnumquodque tale est; hoc est, Quod ita duabus rebus conuenit, vt vni propter aliam conueniat, maiori ratione priori, quàm posteriori, tribuitur. Quare si propter principia scimus & credimus conclusionem, illa maiori ratione & scimus & credimus.

DE PROPRIETATIBVS principiorum demonstrationis.

EXPLICATIS iis omnibus, quæ ad demonstrationis definitionem rectè intelligendam necessaria erant, tradit Aristoteles conditiones quasdam principiorum demonstrationis, potissimùm simplicium, hoc est, terminorum, & horum ratione etiam coniunctorum.

Quotuplices sunt proprietates principiorum demonstrationis?

Triplices: nempe
- Dici de omni, τὸ κατὰ παντὸς,
- Per se, τὸ καθ' αὑτὸ,
- Dici vt vniuersale, τὸ καθ' ὅλου.

Quibus verbis docet Aristoteles, quid sit dici de omni?

His verbis:

Καὶ κατὰ παντὸς μὲν οὖν λέγω, ὃ ἂν ᾖ μὴ ἐπί τινος μὲν, τινὸς δὲ μή, μηδὲ ποτὲ μὲν, ποτὲ δὲ μή.

PER. Ac de toto quidem genere dici id dico, quod aliqua ex parte non dicitur, & aliqua ex parte dicitur, & interdum conuenit, & interdum non conuenit.

COL. *In omni id dicitur, quod ita in alterum cadit, vt nec sub illo genere partem vllam accipere posis, cui non conueniat, nec vllum tempus inuenire, in quo de illo non dicatur.*

ARG. Id de omni dicimus, quod non cuidam ineſt, cuidam non ineſt, neque quod interdum competit, interdum non competit.

Hoc eſt, illud prædicatum de omni dicitur, quod verè conuenit omnibus in vniuerſum ſubiecti communis vel inferioribus vel denominatis: idque non certo tantùm ſpatio, ſed per omne tempus. Sic animal dicitur de omni homine, ſimiliter rationis particeps & aptum ad ridendum.

An oportet ſubiectum vniuerſalem habere acceptionem, vt prædicatum de omni dicatur?

Iſtud ambiguum eſt; tamen verius videtur, non eſſe explicatu neceſſariam vniuerſalem ſubiecti acceptionem, quoniam neque in tempore id fieri ſolet: Et ipſe Ariſtoteles aliquando demonſtrationis exempla adducens, non facit ambas antecedentis partes vniuerſales; cùm tamen in ambabus prædicata de omni dici velit.

Quam rationem habet dici de omni ſuperiùs in prioribus analyticis definitum, ad dici de omni, quod hoc loco definitur?

Habet rationem exceſſi & excedentis; vtrunque enim alterum excedit, ab eodémque viciſſim exceditur: vt cuiuis vtriuſque loci exempla conſideranti clariſſimum eſſe poterit.

Quot ſunt modi per ſe?

Quatuor.

Quæ dicuntur per ſe eſſe primo modo?

Καθ' αὑτὰ δ' ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστιν.

PER. Per ſe autem conueniunt ea, quæ in definitione continentur.

COL. *Per ſe illa primo modo conueniunt, quæ in explicanda rei natura atque eſſentia adhibentur.*

ARG. Per ſe ſunt, quæ in ratione quid eſt dicente ſunt.

Hoc eſt, partes definitionis eſſentialis. Sic per ſe inſunt homini animal & rationis particeps.

Quæ dicuntur per ſe eſſe ſecundo modo?

Καὶ καθ' αὑτά ἐστι ὅσα τῶν ὑπαρχόντων αὐτοῖς αὐτὰ ἐν τῷ λόγῳ ἐνυπάρχουσι τῷ τί ἐστι δηλοῦντι.

PER. Itémque ea per ſe conueniunt, quæ in definitione naturam explicante eorum, quæ in ipſis inſunt, collocantur.

COL. *Secundo modo per ſe inſunt, quæcunque rem aliquam ita conſequuntur, vt cùm quid illa ſunt, definitione explicatur, neceſſe ſit rem ipſam in definitione accipi.*

ARG. Et item ea per ſe inſunt quorum in ratione, quæ quid eſt patefacit, ſubiecta quibus inſunt, collocantur.

Sic

Sic disciplinæ capax, per se inest homini; ad hunc enim modum disciplinæ capax definitur: Disciplinæ capax est homo, cui naturaliter insita est disciplinæ percipiendæ facultas.

Quis est tertius modus per se?

Ἔτι ‥ καθ' αὑτὸ λέγω ‥ ὃ μὴ καθ' ὑποκειμένου λέγεται ἄλλου τινός.

PER. Præterea ‥ per se cõuenit ‥ id; quod non de subiecta re alia aliqua dicitur.

COL. *Ea per se esse dicuntur, quæ cùm appellantur, in nullo subiecto esse intelliguntur.*

ARG. Præterea id per se dicimus, quod non de subiecto alio dicitur vllo.

Hoc est, quod subiecto non inhæret, seu quod substantia est (siue prima siue secunda) non autem accidens.

Quomodo describit Aristoteles quartum modum per se?

Ἔτι δ' ἄλλον τρόπον, τὸ μὲν δι' αὑτὸ ὑπάρχον ἑκάστῳ καθ' αὑτό.

PER. Alio etiam modo, id quod cuique per se conuenit, per se conuenire dicitur.

COL. *Quarto modo ea per se dicimus, quæ suaptè natura, ac propter se alteri conueniunt.*

ARG. Insuper alio modo, id quidem quod vnicuique per se competit, per se dicimus.

Hoc est, Tunc prædicatum subiecto per se conuenit, quando ipsum subiectum expressam prædicati caussam continet: vt, Iugulatus interiit.

An omnia prædicata, quæ secundùm hunc modum suis subiectis per se cohærent, etiam dicuntur de omni, ordinatas efficiendo prædicationes?

Si probatorum auctorum exempla sequi velimus, fatendum nobis est, non omnia prædicata, quæ secundùm hunc modum suis subiectis per se cohærent, de omni dici, neque omnia prædicationes efficere ordinatas: vt ex istis exemplis perspicuè liquet, Aedificator ædificat, Musicus canit, Album videtur.

Quid est dici vt vniuersale de aliquo?

Est illius comparatione vniuersalis obtinere rationem.

Quomodo definit hoc loco Aristoteles vniuersale?

Καθ' ὅλου δὲ λέγω ὃ ἂν κατὰ παντός τε ὑπάρχῃ καὶ καθ' αὑτὸ καὶ ᾗ αὐτό.

PER. Vniuersum autem dico, quod & de toto genere, & per se & qua ex parte idem est, dicitur.

COL. *Vniuersale est, quod & in omni inest, & per se rei conuenit, & hoc ipso quòd res talis est; ita vt de eo concludatur, in quo primum omnium cernitur.*

ARG.

ARG. Vniuersaliter id competere dico, quod de omni dicitur, & per se; atque hoc ita vt de eo concludatur, in quo primum omnium cernitur, planè quo ipsum est.

Vt τὸ γελαστικὸν, seu natura aptum esse ad ridendum, respectu hominis est vniuersale.

An hic eodem modo accipitur vniuersale, quo superiùs in tractatu prædicabilium?

Non accipitur eodem modo, sed multo strictiùs; nihil enim hic est vniuersale respectu alicuius, nisi eidem etiam per se insit.

Explica partes definitionis modò recitatæ.

Quid sit dici de omni, prius dictum est.

Per se autem intelligimus primo aut secundo modo; verùm ne quis fallatur existimans aliud esse per se, & secundùm quod ipsum est, dicit Aristoteles, illa duo eadem esse: Est enim (inquit Themistius) alterum alteri ita consentaneum connexúmque, vt separari alterum ab altero non possit.

Estne alia demonstratio præter eam, quæ nunc declarata est, quam vulgò demonstrationem propter quid appellant?

Est: nimirum demonstratio quòd sit, seu quia est.

Quid est demonstratio quod sit?

Est syllogismus, quo ab effectu ad caussam, vel à caussa non adæquata neq; pari, ad proprium effectum progredimur.

Quot sunt genera eiusmodi demonstrationum?

Duo: Vnum, quando proceditur ab effectu ad caussam: vt,

Quæcunque non micant, propè sunt,
Planetæ non micant; igitur
Planetæ propè sunt.

Hæc ratiocinatio (inquit Aristoteles) nō est ipsius propter quid est: non enim quia non micant vagantes stellæ, ideo sunt propè; sed quia sunt propè, ideo non micant. Similis est ista demonstratio:

Omne quod suscipit incremēta luminis rotunda, est rotūdum,
Luna sui luminis incrementa rotunda suscipit; igitur
Luna est rotunda.

Non enim Luna propter sui luminis rotunda incrementa, est rotunda, sed è diuerso, quia rotunda est, ideo sui luminis rotunda accipit incrementa.

Alterum demonstrationis quia est, genus (vt ex definitione modò recitata liquet) est syllogismus in quo à caussa quidem, sed non adæquata, ad effectum proceditur. cuiusmodi est iste syllogismus:

Omne corpus mixtum est mobile,

Omne

Omne saxum est corpus mixtum; ergo
Omne saxum est mobile.

Quot sunt quæstionum genera, ad quarum explicationem vtiliter atque conuenienter demonstratio adhibetur?

Tria: nimirum { an res sit, qualis res sit, propter quid res sit.

Declara exemplis hæc tria quæstionum genera demonstratione rectè atque conuenienter explicari.

Primùm, si quæratur an sit nonum cælum, ad istam quæstionem secundùm astronomos responderi poterit hac ratione demonstratiua: Certus quidam motus effectus à nono cęlo in octaua illi subiecta sphæra deprehenditur; ergo constat nonum cælum esse. ex qua quidem ratione demonstratio ad hunc modum confici potest:

Omnis motus à nono cælo effectus, euidenter arguit nonum cælum esse;

Quidam motus octauæ sphæræ, est motus à nono cælo effectus; igitur

Quidam motus octauæ sphæræ euidenter arguit nonum cælum esse.

Secundò, si quæratur, an octauum cælum sit rotundum, appositè ad hanc quæstionem responderi poterit hac demonstratione:

Omne corpus, cuius superficies terram ambiens, omni ex parte æqualiter ab eius centro distat, est rotundum;

Octauum cælum est eiusmodi corpus; igitur

Octauum cælum est rotundum.

Tertiò, si quæratur, ob quam caussam pecudes cæteræque bestiæ sint ineptæ ad disciplinam percipiendam; aptè ad hanc quæstionem respondebitur ista demonstratione:

Omne animal rationis expers est ineptum ad disciplinam percipiendam,

Omnis bestia est animal rationis expers; igitur

Omnis bestia est inepta ad disciplinam percipiendam.

Expone paucis in gratiam eius lectoris qui aliquam locorum notitiam habet, ex quibus potissimùm locis peti debeat demonstratiuæ argumentationis medium.

Demonstratiuæ argumentationis medium potissimùm peti debet ex { loco caussæ, loco effectus, vel loco definitionis.

Profer exempla istius triplicis mediorum demonstratiuorum diuersitatis.

Medij ex loco caussæ sumpti exemplum est istud:

Omne corpus leue naturaliter sursum fertur,

Omnis

Omnis ignis est corpus leue; igitur
Omnis ignis naturaliter sursum fertur.

Medij ex loco effectus petiti exemplum est istud:

Omne corpus quod suo nutu deorsum tendit, est graue.
Terra suo nutu deorsum tendit; igitur
Terra est grauis.

Medij demonstratiui ex loco definitionis ducti exemplum est istud, paulo antè positum; videlicet,

Omne corpus ex quatuor elementorum mixtione conflatum, est corruptioni obnoxium,
Omne corpus mixtum est eiusmodi corpus; igitur
Omne corpus mixtum est corruptioni obnoxium.

De ignorantia.

Postquam Aristoteles de iis omnibus, quæ ad demonstrationem, argumentationis speciem cæteris omnibus perspicuitate & euidentia longè præstantem, pertinere videbantur, copiosissimè disseruisset; quædam de ignorantia ex diametro cum scientia pugnante subiecit; vt oppositi consideratione magis perfectiúsque alterum oppositum intelligeretur: ita enim natura comparatum est, vt si opposita simul in conspectum veniant, alterum alterius illustret patefaciátque naturam. proinde & nos Aristotelem sequentes strictim de ignorantia agemus.

Quid est ignorantia?

Ignorantia nihil aliud est, quàm scientiæ priuatio.

Quotuplex est ignorantia?

Duplex est ignorantia: videlicet { Ignorantia puræ negationis, & Ignorantia prauæ affectionis.

Quid est ignorantia seu ignoratio puræ negationis?

C o l. *Ignoratio puræ negationis, est nuda scientiæ priuatio.*

L o v. Ignorantia puræ negationis est nuda scientiæ priuatio, seiuncta ab omni prauitate opinionis contrariæ quæ fallaci aliquo argumento esset concepta.

Vt ignorantia, qua infans ignorat omnem hominem esse disciplinæ capacem.

Quid est ignorantia seu ignoratio prauæ affectionis?

Ignorationem prauæ affectionis ita describit Aristoteles:

Ἄγνοια δ' ἡ μὴ κατ' ἀπόφασιν, ἀλλὰ κατὰ διάθεσιν λεγομένη, ἔστι μὲν ἡ διὰ συλλογισμοῦ γινομένη ἀπάτη.

P e r. Ignoratio autem quæ non ex priuatione assensus, sed ex affectione dicatur, est, quæ ratiocinatione efficitur captio.

COL.

Col. *Ignoratio praua affectionis, est error ex aliqua ratiocinatione ortus.*

Arg. Ignorantia, quæ non negatione, sed dispositione dicitur ignoratio, deceptio est per syllogismum facta.

Quæ definitio complenda est, additione huius vel similis particulæ, aut per aliam argumentationis speciem. Quamuis enim ea quæ proprio nomine scientia vocatur, per syllogismum duntaxat comparetur; fit tamen ignoratio ei contraria, etiam per alias argumentationis species: veluti si quis hanc enuntiationem veram esse credat, Nulla mater odit filium, hac fallaci inductione deceptus, Hæc mater non odit filium, & illa mater non odit filium, & sic de multis aliis matribus; igitur nulla mater odit filium: ignorationis quidem vitio hic laborat, non tamen id vitium ex syllogismo, sed ex captiosa inductione erit contractum.

De solertia.

Quid est secundùm Aristotelem Solertia?

Ἡ δ' ἀγχίνοιά ἐστιν εὐστοχία τις ἐν ἀσκέπτῳ χρόνῳ, τοῦ μέσου.

Per. Solertia autem celeritas ingenij quædam est, caussæ ita breui tempore, vt percipi non possit, inuentio.

Col. *Solertia est perspicacitas quædam, per quam cuiusque rei medium & caussa nobis statim occurrit.*

Arg. Solertia quædam est coniectatio medij in tempore admodum breui.

Hoc est, Solertia est habitus quidam, medij syllogistici facilè ac citò inueniendi dexteritatem afferens: eos enim, qui longa temporis mora ad medium inueniendum opus habent, non solemus solertes appellare.

Solertiæ exemplum ponens Aristoteles, veluti (inquit) si quispiam hoc viso, Lunam eam partem quæ est versus Solem, lucidam semper habere, citò perceperit, propterea id ipsum effici, quòd lumen ex Sole susceperit Luna. Ex quo medio inuēto, fiet syllogismus vnum extremum de altero per caussam intermediam concludens, hoc modo: Quicquid à Sole illustratur ex ea parte qua Solem spectat, est lucidum.

Luna autem à Sole illustratur; ergo
Luna ex ea parte, qua Solem spectat, est lucida.

Cur hoc loco inducit Aristoteles mentionem solertiæ?

Quia, vt ex eius exemplo iam recitato manifestum est, solertia in demonstrationibus frequenter locum habet.

DE QVAESTIONVM GENERIBVS.

Demonstrationvm tractatu iam absoluto, non ita multo pòst de variis quæstionum generibus agit Aristoteles, ob hanc, vt opinor, caussam, quòd sæpenumero quæstionis, & præsertim quæstionis propter quid dilucida & plena explicatio, demonstratione perficiatur, qua sola eximium illud genus cognitionis, quod scientia vocatur, possumus adipisci: quapropter & nos de iis breuiter nunc dicemus.

Quot recensentur ab Aristotele quæstionum genera, & quo ordine apud eum disponuntur?

Quatuor recenset Aristoteles quęstionum genera, hoc ordine disposita, { An est, Quid est, Quia est, seu quod est, Propter quid est.

E quibus primum quidem simplex est; fit enim de re sumpta cum verbo (est) secundo (vt vocant) adiacente: vt cùm ita quæritur, An virtus est, an Pigmæi sunt, an Amazones aliquãdo fuerunt.

Tria verò posteriora quæstionum genera vocantur coniuncta; plura enim complectuntur, nimirum subiectum & prædicatum distinctum à verbo (est) vt quid est, seu quæ res est virtus?

An homo est cæteris creaturis nobilior?

Quare homo est cæteris creaturis nobilior?

ADMONITIO.

Cæterùm istud hoc loco notandum est, tertium quæstionis genus iis verbis apud Aristotelem (quem nos quoque secuti sumus) efferri, quibus asseueratio potiùs quàm interrogatio significatur. Apud Aristotelem appellatur hoc quæstionis genus ὅτι ἐστὶ, nos verbum è verbo, quia est, vertimus: posset tamen & per interrogationem more aliarum quæstionum hoc modo efferri, an vna res alteri verè coniungatur nec ne?

Quo artificio vtendum est ad veritatem in his omnibus quæstionum generibus facilè & dilucidè patefaciendam?

Totum hoc artificium in locorum dialecticorum cognitione positum est: sunt enim in singulis quæstionum generibus tractandis certi quidam loci ante oculos statuendi, è quibus ad propositæ quæstionis explicationem idonea depromantur argumenta. Porrò quoniam nihil est adhuc de locis dictũ, intempestiuáque nunc esset huius rei fusior explanatio, ideo quàm breuissimè de hac re agemus, & eam indicabimus potius quàm explanabimus.

In explicatione quæstionis an est, ante disserentis oculos versari debent isti loci, { Experientia, Signum, Effectus, Testimonium.

In explicatione quæſtionis, quid eſt, ante differentis oculos verſari debent iſti loci,
- Genus
- Differentia
- Definitio — Diuiſio
- Proprium — Partitio.
- Adiunctum.

In explicatione quæſtionis quia eſt, ante differentis oculos verſari debent iſti loci
- Genus — Simile
- Differentia — Pugnans
- Proprium — Vires
- Adiūctum — Officium.

In explicatione quæſtionis propter quid eſt, ante differentis oculos verſari debent iſti loci,
- Materia
- Forma
- Vis efficiens
- Finis.

Quandoquidem Ariſtoteles fusè diſputat in hoc tractatu de modo quo principiorum notitia in nobis gignitur, paucis expone quid de hac re tenendum putes.

In hac quæſtione diſſident à Platonicis Peripatetici: Illi enim arbitrántur ab ipſo ortu inſitos nobis eſſe habitus, quibus cognoſcamus principia & concluſiones: eos tamen nos latere, neque à nobis poſſe animaduerti ineſſe, niſi ſtudio adhibito. Hinc affirmāt, omnem noſtram ſcientiam eſſe reminiſcentiam. Contrà, Peripatetici exiſtimant ab ortu animum hominis nudum ab omni habitu ſe periude habere, atque tabulam raſam, in qua nihil eſt depictum, ac in nobis iam adultis per inuentionem aut doctrinam effici habitus cognoſcendi principia & concluſiones, frequenti actuum iteratione, quemadmodum etiam virtutes comparantur.

Abſurdum quippe putant, vllos in noſtris animis exiſtere habitus, qui noſtram effugiant cognitionem.

Qua de re ſuam ſententiam, noſtro iudicio admodum probabilem, proferens Ariſtoteles, dicit principiorum notitiam (quam ipſe νοῦν, Latini verò intellectum communiter appellant) neque à natura nobis ineſſe, neque ex aliis prioribus habitibus naſci, ſed ſenſuum vſu atque experientia comparari.

Quis eſt vſus eorum, quæ modò dicta ſunt in tertia quarti libri parte?

Quæ tertia huius quarti libri parte hactenus diximus, eò ſpectant, vt meliùs intelligatur demonſtratio, cuius longè maxima eſt vtilitas. Vt enim taceam, quòd primum locum inter omnes argumentationis ſpecies iure obtinet; parens etiam eſt ſcientiarum omnium, ſine quibus in miſeranda omnium rerum perturbatione, & horrendis tenebris vita hominum verſaretur. Nihil enim aliud eſt demonſtratio, niſi quoddam argumentationis genus; quo

depulsis ignorantiæ tenebris, & fugata dubitationis caligine, clarissima veritatis lux animo hominis illucescit.

Quis est vsus eius doctrinæ, quæ toto hoc libro quarto tradita est?

Ex nulla Logices parte vberior fructus percipitur, quàm ex ista, in qua argumentationum formulæ declarantur. Quis enim simplicium vocum, quarum discrimina primo libro, domicilia verò & classes in categoriis tradita sunt: Quis enuntiationum, quarum natura libro tertio explicata est, vsus fuerit, nisi ex eis contexamus argumentationes: & enuntiationem enuntiationi ordine & certa ratione connectentes, quid verum, quid falsum sit, in omni sermone & ipsi cernamus, & aliis conuenienti ordine ostendere possimus?

In hoc itaque libro maximè se prodit & ostendit præclara Dialecticæ vis atque vtilitas: cùm enim in omni cordatorum hominum non modò disceptatione, sed etiam familiari sermone partes omnes argumentationibus, iisque sæpenumero latentibus, veluti neruis quibusdam occultis colligentur, quis non videt eos qui huius artis lumine mentem illustratam non habent, in horum & dictis & scriptis iudicandis, veluti in maximis & densissimis tenebris versaturos? imò, quod turpius est, neque vim neque pondus suis ipsorum verbis aut scriptis (licet maxima alioquin & verborum & sententiarum suppetat copia) huius artis præsidio destituti, addere poterunt.

Non mediocris est negotij, sentire, vbi totũ argumentum quis recitet, vbi partem eam, quæ erat infirmior, dissimulauerit.

Hoc qui non aduertit, eum sæpè falli, temeréque iudicare necessum est.

Sæpe etiam argumentis, ornatus caussa, rhetorum schemata admiscentur, cuius generis ornatus ipsam orationem quidem illustriorem grauiorémque reddit, attamen cùm pondus, vis, atque veritas orationis subtiliter examinari debet, omni ornatu detracto sola argumentationis membra, veluti nuda quædam ossa & nerui ipsius orationis diligenter intuenda atque perlustranda sunt. frequenter autem copia orationis decipi contingit imprudentes & artis dialecticæ ignaros auditores, vt pro certis incerta, & pro veris falsa atque vana amplectantur.

Sic Demosthenes vicit Aeschinem, quãquam in deteriore caussa, hoc syllogismo:

In consiliis publicis honestas sequenda est,
Ego honestatem secutus sum;
Igitur rectè consului.

Miras autem tragœdias excitat tum in propositione, tum in assumptione amplificanda, & orationis impetu iudicum animos pertur-

perturbat, in suamque sententiam pertrahit. commemorat exemplum Cyrsili, quòd illum vnà cum vxore lapidibus obruerint Athenienses, quanquam vtiliter consulentem, quòd vtilitatem præposuisset honestati, consulens, vt Athenienses dederent se Persis.

Addit etiam vim minori per collationem, ostendens nihilo meliorem eorum conditionem fore, qui se cum Philippo coniunxerint: & turpissimam miserrimámque seruitutem indè consecuturam, summo studio persuadere conatur.

Hæc tamen omnia si quis ad Dialecticæ normam examinet, infirma reperiet: quia tametsi propositio & assumptio istius argumentationis concedatur, non tamen indè sequitur, Demosthenis consilium ei, quod dabat Aeschines, fuisse anteponendum. potuit enim & ipsum Aeschinis consilium fuisse honestum, & alia parte, commodorum videlicet magnitudine, & publicæ tranquillitatis conseruatione, Demostheneum consilium superare, quemadmodum etiam superabat. Nam etiam si honestum fuerit (vt sentiebat Demosthenes) Athenienses iniurias à Philippo acceptas bello vlcisci, attamen erat id consilium periculosum, & certissimis maximisque belli malis implicatum; ac proinde Aeschinis consilio (quo ad pacem cum Philippo honestis conditionibus ineundam Aeschines hortabatur) non fuit anteponendum; quòd illud honestate tantum niteretur, hoc autem honestatem & simul vtilitatem complecteretur.

Huius generis innumerabilia exempla passim apud probatos scriptores videre licet, vbi copia orationis obruti auditores assentiuntur incertis, eáque satis firma esse ducunt, quorum vim & nuda argumenta propter orationis copiam expendere non possunt.

Proinde (vt modò dictum est) in omnibus fusis, accuratiúsque elaboratis orationibus, si quantum veritatis atque ponderis in eis contineatur, explorare libeat, omnis oratorius ornatus & apparatus erit detrahendus, & singularum partium enuntiationes, argumentáque nuda, ad Dialecticorum normas erunt exigenda; sic enim facillimè perspicietur tota oratio, & quid de ea sit statuendum, certò cognoscetur.

Quæ ad ornatum & diffusam argumentorum dilatationem pertinent, ea sunt oratoria, & in sua disciplina proprias habent præceptiones.

Id, & Quinctilianus monuit: quem locum, quia, & quis sit Dialectices vsus, & quatenus ea sit vtendum, docet, non grauabimur referre.

Generalis omnium eorum, quæ superiori quarto libro exposita sunt, comprehensio ad memoriam eorundem facilè renouandam apprimè vtilis.

- Superiori quarto libro explicantur argumentationis
  - Definitio
  - Partes
    - Syllogismus, cuius declarantur
      - Quadripartitum principium
        - Ad materiam pertinens,
          - Propinquũ seu enuntiatio.
          - Remotum
            - Subiectum.
            - Prædicatũ.
        - Ad formam pertinens,
          - Figura
          - Modus.
        - Dirigens,
          - Sumptum ex definitione dici de omni,
          - Sumptum ex definitione dici de nullo.
        - Perficiens
          - Conuersio
          - Transpositio.
      - Species,
        - Categoricus syllog.
          - Ex rectis
            - Perfectus, cuius præcipua species est demonstratio:
            - Imperfectus.
          - Ex obliquis.
        - Hypotheticus,
          - Conditionalis,
          - Copulatiuus,
          - Disiunctiuus.
      - Medij inuentio
      - Analysis
      - Facultas
      - Vitia
        - Petere principium : Non propter hoc accidere falsum.
        - Fallacia contrariæ opinionis.
    - Consecutionum regulæ
    - Enthymema, eiúsque reductio.
    - Inductio
      - Perfecta
      - Imperfecta.
    - Exemplum
      - Proprio nomine sic vocatum:
      - Impropriè hoc nomine appellatũ.
    - Sorites
    - Dilemma
    - Violatio.
  - Materia seu quęstio,
    - An est
    - Quid est
    - Quod est
    - Propter quid est.
    - Additis locis vnde sumenda sunt argumenta ad harum quęstionum singula genera dissoluenda.

LIBRI QVINTI
PARS PRIOR,
EX PRIMO TOPICORVM ARISTOTELIS.

VM DIALECTICA ex duabus partibus Inuentione & Iudicio constet; & vtcunque absoluta sit superiori libro argumentandi ratio, quæ ad iudicium pertinet: reliquum est nunc vt de Inuentione, quæ locos continet, & ob id à Græcis τοπικὴ dicitur, agamus. Nolim tamen vulgato errore deceptum quempiam arbitrari, hanc sciētiam nihil præter materiæ inuentionem subministrare dialectico, nihilque prorsus iudicij illi afferre; cùm sit certum, neque hanc neque aliam vllam ferè logices esse partem, quæ non simul contineat, lectoribusque aliquo modo proponat, & ea quæ ad inuentionem, & quæ ad iudicium pertinent; quamuis id iudicij non semper circa partium argumentationis connexionem versetur. Id quod apertissimè Boëtius asseuerat in iis commentariis, quibus Ciceronis ad Trebatium topica enarrauit.

In hac autem topica arte, quam constat ad inuentionem pertinere, non solùm illa proponuntur, quibus cognitis probabilia argumenta ad vnamquamque propositam quæstionem facilè inueniamus, sed & quædam vniuersalia pronuntiata, & axiomata seu regulæ certissimæ traduntur, secundùm quas dialecticos cōstruamus syllogismos, & simul de dialectici syllogismi partibus, tum remotis, tum propinquis, earùmque ordine iudicemus.

Et, quod hanc Boëtij sententiam non parum confirmat, Topicorum librorum materiam plerique omnes dialectici asserunt esse syllogismum dialecticum: Quorum sententiæ suffragatur Philosophus apertè in primi topicorum initio, vbi sic habet:

„ Primum igitur dicendum, quid est syllogismus, & quæ eius
„ differentiæ, quomodo sumatur dialecticus syllogismus: hunc
„ enim quærimus secundùm propositum negotium. & quod ex-
„ plicandum sibi proponit statim exequitur, syllogismi subiungens definitionem.

Cuius vestigiis insistentes (vt initio nos esse facturos promisimus) ab eodem initio huius quinti libri tractationē auspicabimur.

Quomodo definit hoc loco Aristoteles syllogismum?

Ἔστι δὲ συλλογισμὸς, λόγος ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν, ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ ἀνάγκης συμβαίνει διὰ τῶν κειμένων.

COL.

COL. *Ratiocinatio est oratio, in qua quibusdam positis, aliud quiddam, quàm quæ posita sunt, ex iis ipsis quæ posita sunt, efficitur necessariò.*

BOE. Syllogismus est oratio, in qua positis quibusdam, aliquid aliud à positis ex necessitate accidit, per ea quæ posita sunt.

Explica clarius sententiam verborum huius definitionis.

Quemadmodum syllogismus superiori libro definitus, nihil differt ab eo, qui hoc loco proponitur; ita eorum definitiones eodem sensu accipiendæ sunt & exponendæ. itaque definitionis syllogismi superiori libro tradita explanatio in hunc quoque locum aptissimè quadrat.

Quorsum ergo inculcat hic Aristoteles eandem eiusdemque rei definitionem?

Ob hanc caussam atque rationem syllogismi definitio semel superiùs posita, nunc ab Aristotele repetitur, quòd syllogismi quandam distributionem huic loco magnopere congruentem, tractare decreuisset; ad cuius perfectiorem & clariorem intelligentiam recenti definitionis syllogismi memoria opus esse putauit.

Quæ est illa syllogismi diuisio, cuius occasione hoc loco syllogismi definitio repetita fuit?

COL. *Syllogismorum alius* {
Demonstratiuus,
Dialecticus,
Contentiosus,
Fallax.

LOV. Syllogismorum alius {
Demonstratiuus, Ἀποδεικτικός,
Dialecticus, Διαλεκτικός,
Litigiosus, Ἐριστικός,
Pseudographus. Ψευδογραφῶν.

Recita demonstrationis definitionem, quã hoc loco habet Aristoteles.

Ἀπόδειξις μὲν οὖν ἐστιν, ὅταν ἐξ ἀληθῶν καὶ πρώτων ὁ συλλογισμὸς ᾖ, ἢ ἐκ τοιούτων, ἃ διά τινων πρώτων καὶ ἀληθῶν τῆς περὶ αὐτὰ γνώσεως τὴν ἀρχὴν εἴληφε.

COL. *Demonstratio est, cùm ex veris & perspicuis conclusio est, aut certè ex eiusmodi, quæ à quibusdam perspicuis & veris caussam cognitionis sumunt.*

BOE. Demonstratio est, quando ex veris & primis syllogismus erit, aut ex talibus, quæ per aliqua prima &

vera, ſuæ cognitionis principium ſumpſerunt.

Hoc eſt, Demonſtratio generaliter accepta, eſt ſyllogiſmus perfectus, cuius & propoſitio & aſſumptio neceſſariam perſpicuamque continent veritatem, adeò vt vel ipſe primò veræ ſint, vel per enuntiationes primò veras poſſint demonſtrari, ſiue id continenter ſiue per interuallum contingat: nihil enim hoc refert: nam hic ſyllogiſmus;

Omnis homo eſt ſenſu præditus,
Socrates eſt homo; ergo
Socrates eſt ſenſu præditus;

ſub poſteriori hac parte continetur: cuius tamen propoſitio non poteſt probari continenter per primò veram; ſed opus eſt aliam intermediam enuntiationem probari, priuſquam ad primò veram deueniatur, hanc videlicet. Omne animal eſt ſenſu præditum; cuius demonſtratio per primò veram, hanc videlicet; Omne corpus animatum ſentiens, eſt ſenſu præditum, conficitur.

Quæ demonſtratio continetur ſub hac definitione?

Sub iſta definitione continetur omnis demonſtratio, tam propter quid, quàm quod ſit: de quarum diſcrimine in vltima parte libri quarti eſt dictum.

Quomodo definit Ariſtoteles dialecticum ſyllogiſmum?

Διαλεκτικὸς δὲ συλλογισμός ἐστι ὁ ἐξ ἐνδόξων συλλογιζόμενος.

COL. *Dialectica ratiocinatio eſt, quæ ex probabilibus cõcluditur.*

BOE. Dialecticus ſyllogiſmus eſt, qui ex probabilibus eſt collectus.

Vt, Omnis mater diligit filium,
Maria eſt mater; ergo
Maria diligit filium.

Quomodo definit Ariſtoteles prima & vera?

Ἔστι δὲ ἀληθῆ μὲν καὶ πρῶτα, τὰ μὴ δι' ἑτέρων, ἀλλὰ δι' αὑτῶν ἔχοντα τὴν πίστιν.

PER. Vera quidem ſunt & perſpicua ea, quæ non ab aliis, ſed à ſeipſis fidem habent.

COL. *Vera & perſpicua ea ſunt, quæ non ab aliis, ſed à ſeipſa fidem habent.*

BOE. Vera & prima ſunt, quæ non per alia, ſed per ſeipſa fidem habent.

Hoc eſt, Enuntiationes primò veræ ſunt pronuntiata neceſſaria, quæ per alia naturâ notiora probari nequeunt, ſed propter ſe credita, tali confirmatione non egent. Quanquam interdum maioris claritatis gratia adhibetur inductio, vt in naturalibus & moralibus; aut res oculis ſubiicitur, vt in Mathematicis.

Vt, Con-

Vt, Contradicētes enūtiationes non possunt simul esse veræ, nec simul falsæ, Omne animal rationis particeps est disciplinę capax.

Quomodo definiuntur probabilia ab Aristotele?

Ενδοξα δ᾽ ἐστὶ τὰ δοκοῦντα πᾶσιν, ἢ τοῖς σοφοῖς καὶ τούτοις, ἢ τοῖς πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις, καὶ ἐνδόξοις.

COL. *Probabilia autem sunt, quæ probantur, aut omnibus aut plurimis, aut certè sapientibus, atque iis vel omnibus, vel plurimis, vel iis, quorum spectata est & perspecta sapientia.*

BOE. Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus & probatis.

Hoc est, Probabilia, seu enuntiationes verisimiles, sunt eiusmodi enuntiationes, quibus vel promiscuè omnes homines tam docti quàm indocti, vel eorum maxima pars, vel soli docti, iique omnes, vel plurimi, vel ex doctis pauci tantùm, cæteris clariores, assentiuntur quidem sed infirmè, ac cum formidine, ne fortè contingat oppositas esse veras. itaque hinc exclusa sunt omnia demōstrationum principia, simul & conclusiones, quibus non assentimur cum tali formidine, sed firmiter & cum euidenti certitudine.

Porrò sequens huius definitionis particula (omnibus aut pluribus, &c.) multiplicem distinctionem ac varietatem probabilium indicat. Sunt etenim probabilium quædam, quæ omnibus videntur & doctis & indoctis: vox enim (omnibus) non solùm ad plebeios indoctos & rudes referēda est, sed ad omne genus hominum. eiusmodi sunt, Matrem suum filium diligere, Figulum odisse figulum, Benefacienti reddendum esse beneficium, &c.

Alia sunt, quæ non omnibus videntur, sed pluribus. id est, multis seu maiori hominum parti & eruditorum & ineruditorum: vt sunt, Parandas esse opes, Honores expetendos esse: Præstare rempublicam ab vno, quàm à pluribus principibus regi.

Alia sunt, quæ duntaxat sapientibus videntur: atque horum quędam omnibus videntur sapientibus: vt, Corporibus cælestibus ad inferiora corpora immutanda vim insitam esse; Præferendam esse opibus eruditionem; Melius esse iniuriam pati quàm inferre; Anteponendum esse nomen bonum multis diuitiis.

Alia non omnibus, sed pluribus solùm videntur: vt, Virtutem maximè expetendam esse, Præsentis vitæ felicitatem in virtutis perfectissima operatione consistere.

Vltimo ac postremo loco sunt ea, quæ solùm videntur maximè probatis seu sapientissimis in aliqua disciplina. vt sunt, Non ponendas esse ideas, quæ verè & re ipsa à singulis rebus distinguerentur: Visionem fieri recipiendo, non extramittendo.

Quæ est definitio syllogismi litigiosi?

Litigiosus syllogismus aliàs appellatur syllogismus sophisticus, cuius ex Aristotele quidam duas colligunt definitiones; vulgò tamen eas in vnam contrahunt, hanc videlicet:

Ἐριστικὸς δ᾽ ἐστὶ συλλογισμὸς, ὁ ἐκ φαινομένων ἐνδόξων μὴ ὄντων δὲ, καὶ ὁ ἐξ ἐνδόξων δὲ, ἢ φαινομένων ἐνδόξων φαινόμενος.

PER. Fallax autem, & certandi studio comparata ratiocinatio est, quæ ex iis progreditur, quæ probabilia videntur, nec sunt: aut quæ ex probabilibus, vel quæ probabilia videntur, existit.

COL. *Contentiosus syllogismus ratiocinatio est, quæ ex iis progreditur, quæ probabilia videntur, nec sunt; aut quæ ex probabilibus, vel quæ probabilia videntur, constans, conclusio necessaria esse videtur, nec est.*

BOE. Litigiosus est syllogismus ex iis quæ videntur probabilia, non sunt autem: & qui ex probabilibus, aut ex iis, quæ videntur probabilia, est apparens.

Quis syllogismus continetur sub prima huius definitionis parte?

Sub prima parte continetur is litigiosus syllogismus, cuius forma quidem legitima est, sed materia falsitatis vitio est deprauata: cuiusmodi est iste,

Quicquid habet oculos, potest videre,
Quicquid non est priuatum oculis, habet oculos; ergo
Quicquid non est priuatum oculis, potest videre.

Item ex Gellio:

Quicquid non perdidisti, habes;
Cornua non perdidisti; Habes igitur cornua.

Qui syllogismi continentur sub secunda parte?

Sub secunda parte continentur ij syllogismi, qui materiam quidem habent sanam, & qualem oportet, at consecutionis, seu formæ vitio laborant: quales sunt isti,

Omnis mater diligit quem lactat,
Omnis nutrix diligit quem lactat;
Igitur omnis nutrix est mater.

Item: Quod ego sum, tu non es,
Ego sum homo; ergo
Tu non es homo.

Qui syllogismi continentur sub tertia parte?

Sub tertia parte continentur ij syllogismi, quorum & materia & forma simul est vitiosa: vt,

Nulla opposita sunt simul vera,
Quædam subcontraria sunt opposita; ergo
Nulla subcontraria sunt simul vera.

Quomodo definit Aristoteles syllogismum pseudographum?

Hoc modo:

Ἀλλ' ἐκ τῶν οἰκείων μὲν τῇ ἐπιστήμῃ λημμάτων, οὐκ ἀληθῶν δὲ τὸν συλλογισμὸν ποιεῖται ὁ ψευδογραφῶν συλλογισμός.

PER. Sed ex propriis scientiæ sumptionibus, non veris quòd vult efficit ea ratiocinatio, quæ falsa descriptione vtitur.

COL. *Ratiocinatio fallax est, quæ ex propriis initiis nonnullarum artium non veris efficitur, & constat.*

BOE. Pseudographus est syllogismus ex propriis quidem alicuius disciplinæ sumptionibus, non veris autem syllogismum faciens.

Vt, Omnes lineæ ab eodem puncto ductæ ad idem punctum, sunt æquales;

Sed linea recta & linea curua ductæ sunt ab eodem puncto ad idem punctum; ergo

Linea recta & linea curua sunt æquales.

Item:

Quolibet numero quamlibet magno, alius maior esse potest;
At numerus infinitus est numerus; ergo
Numero infinito potest alius esse maior.

Expone latiùs partes huius definitionis.

Particula (propriis initiis, seu propriis alicuius disciplinæ sumptionibus) pseudographum separat à dialectico syllogismo & litigioso.

Postrema autem huius definitionis parte (non veris) separatur pseudographus syllogismus à demonstratiuo; nam licet pseudographus & demonstratiuus syllogismus ex eadem constent materia tam propinqua quàm remota, ex eodémque ducantur principio; aliter tamen demonstratiuus, aliter pseudographus syllogismus eo vtitur principio; Demonstratiuus quidem, vt vero certissiméque cognito: Pseudographus autem in eo sensu, in quo falsum esse ipsum necesse est, quanquam id ceu verum accipit argumentans ob imperitiam aut leuitatem aut temeritatem, non perspecta vel dissimulata falsitatis caussa atque ratione.

Est itaque syllogismus pseudographus, de quo hîc agitur, qui ex principiis alicuius disciplinæ propriis non rectè intellectis, syllogisticè conclusionem infert; ad quem reuocanda est omnis reliqua vitiosa demonstratio.

Quis est vsus iam recitatæ diuisionis syllogismi?

Eò potissimum spectat istius quadripartitæ diuisionis tractatio, vt moneantur iuniores multiplicem esse syllogismi materiam, videlicet necessariam, quæ iterum bifariam diuiditur; & probabilem,

bilem, quæ etiam dupliciter secatur: quemadmodum enim necessaria materia vno sensu genuinam & solidam continet veritatem, alio verò sensu fucatam & adulterinam veritatis speciem; ita quoque probabilis materia interdum vera & germana probabilitate est prædita, interdum falsam & simulatam tantùm habet probabilitatis speciem. proinde censet Aristoteles quouis syllogismo in medium producto, priusquam de eo certi quippiam respondeatur, diligenter antè, ex qua constet materia, esse considerandum.

Quis est vsus dialectici syllogismi?

Post demonstrationem, quæ certissima & clarissima ad veritatem auditori commonstrandam progreditur via, secundum locum sibi meritò dialecticus vendicat syllogismus; qui licet non omnino certis & indubitatis, vt demonstratio; commodis tamē & probabilibus ad suæ conclusionis probationem atque persuasionem vtitur signis.

Et quemadmodum demonstratio, scientiarum mater verè appellatur, quòd certas & indubitatas rerum notitias demonstrationis adminiculo homines consequantur; ita syllogismus dialecticus, quòd per eum vera de rebus, licet non omnino certa & perspicua iudicia constituantur, rectè verarum opinionum fons & origo vocari potest.

Quandoquidem opiniones veræ, habitus sunt circa conclusiones ex pronuntiatis dialecticis (quorum proprium est opinionem gignere) profluentes.

Huius proinde ratione syllogismus iste ad exercitationes scholasticas seu disputationes, quæ in ludis litterariis excolendi acuendique ingenij gratia suscipiuntur, item ad obsistendum aduersariis, & sophistas coarguendos & confutandos potissimū valet: Nam eorum qui sese in ludis litterariis disceptando cum aliis exercent, conatus ferè eò spectat, vt de themate, quod vel probādum vel improbandum susceperunt, probabilem aliquam in animos auditorum inducant opinionem.

Quis est vsus litigiosi & pseudographi syllogismi?

Qui nihil aliud in horum syllogismorū tractatione spectatum arbitrabitur, præter deceptionem & vanam scientiæ ostentationem, meritò eam respuet inutilémque iudicabit: verùm qui animaduertet ita naturâ comparatum esse, vt falsum sub veri specie plerunque obrepat, horum syllogismorum notitiam perutilem esse intelliget. Quemadmodum enim illi, qui noctu in tenebris ambulant, ignorantes quibus in locis terræ sint hiatus, sæpè & facilè in eos decidunt; contrà, qui vel luce eadem loca perambulant, vel quid in iis vitandum sit exploratum habent, nullo periculo, nullóque suo malo, per eadem loca pertrāseunt: ita quoque in disputationibus,

qui sophistarum technas & cauillationes probè cognitas habent, tuti sunt ab illorum imposturis: qui verò illas non norunt, facilè sibi imponi patiuntur; & fucata veri specie delusi, frequenter in erroris & temerariæ assensionis præcipitium dilabuntur.

Ergo nobis vtiles sunt nothi isti & adulterini syllogismi, vt cognita ipsorum natura, non patiamur nobis à sophistis & cauillatoribus, qui iis non rarò vti solent, imponi, neque falsum pro vero probemus, neque verum pro falso repudiemus.

Quin & hoc vsu venire videmus, vt vnum oppositorum ex altero innotescat: quare penitiùs perspecturus est germani syllogismi naturam, qui spurios iam cognouerit; rectiùsque demonstrationem, cognito ei opposito pseudographo, & dialecticum syllogismum, natura litigiosi probè cognita, est intellecturus.

DE MATERIA SYLLOGISMI DIALECTICI.

Quotuplex est secundùm Aristotelem materia syllogismi dialectici?

Duplex, videlicet
- Remota
  - Terminus
  - Proprium
  - Genus
  - Accidens

  quæ vulgò prædicata appellantur à prædicandi officio, quia sunt voces communes quæ de aliis dicuntur.
- Propinqua,
  - Pronuntiatum dialecticum, &
  - Problema dialecticum; sub quo continetur positio.

DE MATERIA REMOTA syllogismi dialectici.

Quid est terminus seu definitio?

Ἔστι δὲ ὅρος μὲν, λόγος ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων.

COL. *Definitio seu terminus est oratio, quæ id, quod definitur, explicat quid sit.*

BOE. Terminus est oratio, quid erat esse, significans.

Hoc est, oratio imperfecta totam & solam rei naturam comprehendens: vt animal rationis particeps, est definitio seu terminus respectu hominis.

Accipitur autem hîc ὅρος, id est, terminus seu definitio, pro definitione essentiali, metaphora sumpta ab agrorum terminis: quemadmodum enim terminus,

Et populos vrbesq; & regna ingentia finit:

ita quoque commoda definitio, rei naturam & latitudinem certis quasi limitibus circumscribit, vt facile sit cuiuis, & quid ipsa res sit, & quàm latè pateat, ex ea intelligere.

Quid est proprium?

Ἴδιον δ' ἐστὶν, ὃ μὴ δηλοῖ μὲν τὸ τί ἦν εἶναι, μόνῳ δ' ὑπάρχει, καὶ ἀντικατηγορεῖται τοῦ πράγματος.

COL.

COL. *Proprium est, quod quid sit res non explicat, in solóque inest, & vicissim de re dicitur.*

BOE. Proprium est, quod non indicat, quid est esse, soli autem inest, & conuersim prædicatur de re.

Hoc est, Proprium simpliciter & absolutè acceptum, est prædicatum, quod non explicat rei naturam, soli autem inhæret, & de illa vniuersè & reciprocè dicitur: vt proprium est hominis esse grammaticæ capacem; nam & soli conuenit homini; & sicut, Omnis homo est grammaticæ capax; ita è diuerso, quicquid est grammaticæ capax, id est homo.

Expone paucis varias proprij acceptiones, de quibus hoc loco agit Aristoteles.

Aristoteles tres hoc loco proponit proprij acceptiones; Aliud enim vocatur proprium simpliciter, quod nunc est definitum: Aliud proprium ad aliquid collatum: id autem est, quod sic alicui accidit, vt non alteri cum quo comparatur. huiusmodi proprium duplex est; nam quoddam est quod alicui accidit speciei, non autem omni illius indiuiduo, vt medicum esse, si ad hominem, cui ratione Hippocratis, Galeni, alteriúsve medicinæ periti, conuenit, referatur, dicitúrque huiusmodi proprium, quòd in alio rerum genere non inueniatur.

Alterum genus proprij ad alterum collati est, quod alicui speciei, eíque toti accidit, non autem soli: quæ quidem species ad aliud refertur, cui idipsum non conuenit. quemadmodum bipes proprium est homini, relato ad equum, canem, cęteráque animalia quadrupedia.

Horum propriorum illud primo, hoc secundo modo proprium in primo nostræ dialecticæ libro appellauimus.

Tertia verò proprij acceptione (quemadmodum etiam in prædicabilium tractatu) id proprium nominatur, quod alicui speciei toti quidem, non autē semper conuenit. qua acceptione canescere & pubescere hominis sunt propria.

Quid est genus?

Γένος δέ ἐστι, τὸ κατὰ πλειόνων καὶ διαφερόντων τῷ εἴδει ἐν τῷ τί ἐστι κατηγορούμενον.

PER. Genus autem id est, quod de, &c. vt Col.

COL. *Genus est, quod de pluribus specie autem differentibus dicitur in quæstione qua quid sit res quæritur.*

BOE. Genus est, quod de pluribus & differentibus specie, in eo quod quid est, prædicatur.

Explica

Explica sententiam huius definitionis.

Generis definitio eodem explicanda est modo, quo nos eam superiùs in prædicabilium tractatu explicauimus.

Quid est accidens?

Accidentis duas Aristoteles definitiones recitat.

Prior est.

Συμβεβηκὸς δέ ἐστιν, ὃ μηδὲν μὲν τούτων ἐστὶ, μήτε ὅρος, μήτε ἴδιον, μήτε γένος, ὑπάρχει δὲ τῷ πράγματι.

C o l. *Accidens est, quod nihil horum est, nec genus, nec definitio, nec proprium; rei autem conuenit.*

Boe. Accidens est, quod nihil horum est, neque definitio, neque proprium, neque genus: inest autem rei.

Posterior.

Συμβεβηκός ἐστιν, ὃ ἐνδέχεται ὑπάρχειν ὁτῳοῦν ἑνὶ, καὶ τῷ αὐτῷ, καὶ μὴ ὑπάρχειν.

C o l. *Accidens est, quod cadere potest in rem vnam aliquam, & in eandem non cadere.*

B o e. Accidens est, quod contingit inesse cuiuis vni & eidem, & non inesse.

Expone aliis verbis sententiam harum accidentis descriptionum.

Hæ duæ accidentis descriptiones similes sunt duabus postremis Porphyrianis, de quibus in primo libro egimus; ad eundémque modum explicari debent.

Quot modis dicitur aliquid idem?

Tribus; videlicet { Numero, Specie, Genere. }

Quomodo definit Aristoteles eadem numero?

Hoc modo:

Ἀριθμῷ μὲν ταυτά ἐστι ὧν ὀνόματα πλείω, τὸ δὲ πρᾶγμα ἕν.

C o l. *Numero eadem sunt, quorum & nomina plura & res vna est.*

B o e. Numero eadem sunt, quorum nomina plura, res autem vna.

Hoc est, nomina plura eandem rem significantia:

Vt, Tullius & Cicero; Ensis & gladius.

Quomodo definit Aristoteles eadem specie?

Hoc modo:

Εἴδει δὲ ταυτά ἐστι, ὅσα πλείω ὄντα, ἀδιάφορα κατὰ τὸ εἶδός ἐστι.

Per. Speciei autem eiusdem sunt ea, quæ multa sunt, neque specie differunt.

C o l.

COL. *Specie eadem sunt, quæ multa sunt, neque specie differunt.*

BOE. Specie eadem ſunt, quæ cùm ſint plura, indifferentia ſunt ſecundùm ſpeciem.

Hoc eſt, res ſingulares eidem ſpeciei infimæ ſubiectæ.

vt, Socrates & Plato.

Quibus verbis definit Ariſtoteles eadem genere?

Iſtis:

Ομοίως ἢ καὶ γένει ταυτὰ, ὅσα ὑπὸ τὸ αὐτὸ γένος ἐςί.

FER. Itémque eiuſdem generis ſunt ea, quæ eidem generi ſubiiciuntur.

COL. *Genere eadem dicuntur, quæ eidem generi ſubiiciuntur.*

BOE. Genere eadem ſunt, quæcunque ſub eodem genere ſunt.

vt, Homo & equus.

Quotuplicia ſunt eadem numero?

Reuera ſunt quadruplicia, licet Ariſtoteles triplicia tantummodo ea faciat, duos primos modos in vnum confundens, videlicet

- Eadem numero
  - Nomine: vt enſis, & gladius.
  - Definitione: vt animal rationis particeps & homo.

Qui duo modi ſunt præcipui & maximè proprij.

- Eadem numero proprio: vt diſciplinæ capax & homo.
- Eadem numero accidente: vt Socrates & ſedens: Socrates & muſicum.

Quot modis dicitur aliquid diuerſum?

Tribus; videlicet
- Diuerſum numero,
- Diuerſum ſpecie,
- Diuerſum genere.

Quomodo definiuntur diuerſa numero?

Diuerſa numero, ſunt diuerſa indiuidua eidem infimæ ſpeciei ſubiecta: vt, Ioannes & Petrus.

In genere verò, numero differentia ſunt, quæcunque diuerſas numeri partes in ſe complectuntur.

Quæ ſunt diuerſa ſpecie?

Diuerſa ſpecie ſunt, plura indiuidua, diuerſis ſpeciebus infimis ſubiecta; vel diuerſæ ſpecies infimæ, vel vna ſpecies infima, & alterius ſpeciei indiuiduum: vt, Bucephalus & Alexander, Homo & equus, Ioannes & equus.

Quæ ſunt diuerſa genere?

Diuerſa genere, ſunt diuerſorum generum indiuidua, aut ſpecies ſubiectæ diuerſis generibus, vel etiam ipſa genera diuerſa.

Repete summatim conuenientiam & differentiam attributorum seu prædicatorum inter se.

Prædicata dicuntur de subiectis
- Reciprocè, &
  - Pertinēt ad rei naturā: vt terminus.
  - Non pertinent ad rei naturam: vt proprium.
- Non reciprocè, &
  - Ad rei naturam pertinent: vt genus.
  - Ad rei naturam non pertinent: vt accidens.

Quorsum spectant ea quæ modò in tractatu prædicatorum sunt dicta?

Prædicata eo consilio tradit Aristoteles, vt ad materiam, ex qua dialecticus syllogismus constat, perfectiùs cognoscendam aditum patefaciat. Quod verò de eodem & diuerso dictum est, rerum inter se conuenientiæ & differentiæ faciliùs diiudicandæ seruit, & præterea ad multas definitiones, maximè autem eas, quas habet in sua Isagoge Porphyrius, rectè intelligendas plurimum conducit.

DE MATERIA PROPINQVA syllogismi dialectici.

Quomodo definit Aristoteles πρότασιν διαλεκτικὴν, seu pronuntiatum dialecticum?

Hoc modo:

Ἔστι δὲ πρότασις διαλεκτικὴ, ἐρώτησις ἔνδοξος, ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς σοφοῖς, καὶ τούτοις ἢ πᾶσιν, ἢ τοῖς πλείστοις, ἢ τοῖς μάλιστα γνωρίμοις, καὶ μὴ παράδοξος.

COL. *Propositio dialectica est interrogatio probabilis, quæ non fit cōtra opinionem vel omnium, vel complurium, vel sapientum: & sapientum, aut omnium, aut permultorum, aut eorum, quorum maximè perspecta est & spectata sapientia.*

BOE. Propositio dialectica, est interrogatio probabilis, aut omnibus, aut plurimis, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel plurimis, vel maximè familiaribus non inopinabilis.

Explica partes huius definitionis.

Prima huius definitionis pars (interrogatio) idem valet quod enuntiatio interrogata simplici interrogatione, id est, sub altera duntaxat contradictionis parte.

Dialecticum namque pronuntiatum, primò ei qui interrogat, est interrogatio: deinde ab argumentante, ad sui propositi confirmationem tanquam verum & probabile adhibetur.

Adiectum est (simplici interrogatione) ad excludendum dialecticum problema, ad cuius propriam naturam pertinet, secundùm

Ariſtotelis ſententiam, duplicem habere interrogationem.

Verbum ſequens (probabilis) reiicit ab hac definitione apertè vera & falſa, vbi complures (probabile) ſumunt, eo quo prius deſcriptum eſt modo, aſſerentes ita rectè dialecticum pronuntiatum definiri: Dialecticum pronuntiatum, eſt interrogatio probabilis non inopinabilis; reliquas autem partes poſitas eſſe tantummodo maioris declarationis cauſſa, vtpote quæ indicent tot pronuntiatorum dialecticorum eſſe genera, quot ſunt probabilium.

Vltima verò huius definitionis pars (non inopinabilis) dialecticum pronuntiatum à poſitione ſeiungit.

Quid eſt problema dialecticum?

Πρόβλημα δ' ἐστὶ διαλεκτικὸν θεώρημα τὸ συντεῖνον, ἢ πρὸς αἵρεσιν καὶ φυγὴν, ἢ πρὸς ἀλήθειαν καὶ γνῶσιν, ἢ αὐτὸ, ἢ ὡς συνεργὸν πρός τι ἕτερον τῶν τοιούτων, περὶ οὗ ἢ οὐδετέρως δοξάζουσιν ἢ ἐναντίως οἱ πολλοὶ τοῖς σοφοῖς, ἢ οἱ σοφοὶ τοῖς πολλοῖς, ἢ ἑκάτεροι αὐτοὶ ἑαυτοῖς.

PER. Quæſtio autem dialectica, eſt quæſtio aut ad expetendum & fugiendum, aut ad veritatem cognitionémque pertinens, vel per ſe, vel adiumentum afferens ad aliquid aliud eius generis, de qua aut neutram in partem, aut contrà plerique ac ſapientes ſentiunt, aut ſapientes contrà ac plerique, aut vtrique ipſi ſecum diſcordant.

COL. *Problema dialecticum eſt quæſtio, aut ad expetendum & fugiendum, aut ad veritatem cognitionémque pertinens; idq; vel per ſe, vel quia adiumẽtum afferat ad aliquid aliud, quod horum altero genere continetur: de qua aut neutram in partem, aut contrà plerique ac ſapientes ſentiunt, aut ſapientes contrà ac plerique, aut vtrique ipſi ſecum diſcordant.*

BOE. Problema dialecticum eſt ſpeculatio, contendens vel ad electionem & fugam, vel ad veritatẽ & ſcientiam, aut per ſe, aut vt adminiculans ad aliquid aliud talium, de quo aut neutro modo opinantur, aut contrariè plerique ſapientibus, aut ſapientes pleriſque, aut vtrique iidem iiſdem.

Expone partes iſtius definitionis.

Prima definitionis pars (θεώρημα ſpeculatio) ſi Aphrodiſieſi credimus, pro quæſtione poſita eſt: etenim θεωρεῖν, ſeu ſpeculari, apud Ariſtotelem frequenter (vt ille ait) idem quod quærere ſignificat.

Pars ſequens (contendens) i. conferens, ſeu cuius cognitiò eſt vtilis ad electionem boni, & fugam mali, intellige moralis: nam problemata, quæ ſub hac parte continentur, moralia ſunt. vt, Vtrum voluptas ſit ſummum bonum, an non?

Cæteris iſtius definitionis partibus declaratur quis finis dialectico

ctico problemati sit propositus, & quòd omnia problemata dialectica ambigua esse debeant, & quæstione digna, hoc est, talia de quibus homines sani iudicij dubitant, vel contraria sentiunt. exempla sunt, Vtrum virtutes sint connexæ, an non? Vtrum decem sint categoriæ, an non? Vtrum minima stellarum fixarum sit maior Luna, an non? Vtrum Sol sit maior tota terra, an non?

Quomodo definit Aristoteles positionem seu propositum?

Hoc modo:

Θέσις δέ ἐστιν ὑπόληψις παράδοξος τῶν γνωρίμων τινὸς κατὰ φιλοσοφίαν.

PER. Propositum autem, sententia est admirabilis, &c. vt Col.

COL. *Propositum seu positio, est sententia admirabilis, cōtraq; opinionem omnium, alicuius eorum, quorum in philosophia illustris est & peruagata fama.*

BOE. Positio est opinio admirabilis alicuius familiarium secundùm philosophiam.

Id est, Propositum seu positio est enuntiatio dubia, quam tuetur aliquis eximius & illustris philosophus contra aliorum opinionem. cuiusmodi est ista enuntiatio, Omnia continuò fluunt & mutantur. item ista, Omnia sunt vnum ens: quarum prior Heraclitum, altera verò Melissum celebrem philosophum assertorem habuit.

Quis est vsus eorum, quæ iam dicta sunt de pronuntiato dialectico, de problemate & positione?

Hæc omnia spectant ad syllogismi dialectici naturam illustrandam, quippe cuius materiam propinquam ista continent: pronuntiatum enim dialecticum antecedentis obtinet locum, problema verò consequentis, vt Aristoteles his indicat verbis:

,, Fiunt enim orationes, seu argumentationes, ex pronuntiatis: ,, de quibus autem syllogismi fiunt, problemata sunt.

De positione quoq; idē quod de problemate est sentiendū; nam positio pars est problematis, vt ipse Aristoteles docet. Est omnis ,, quidē (inquit) positio problema (quod ad materiam attinet, non ,, quod debeat interrogari, vt ex Aristotelis exemplis & nomine ,, θέσεως manifestum est) non autem omne problema positio, eò ,, quòd problemata talia sint, de quibus neutro modo opinamur.

DE INDVCTIONE.

TERMINORVM atque pronuntiatorum, ex quibus dialecticus syllogismus, & omnis argumentatio Dialectica conflatur, absoluta declaratione, strictim de inductione, quòd ea quoque dialectica sit argumentatio, agit Aristoteles; & eius repetens definitionem, quædam obiter dicit ad eius perfectiorem intelligentiam

gentiam pertinentia: quem ordinem nos quoque, qui Aristotelicam methodum nobis proposuimus sequendam, tenebimus.

Quomodo definit hoc loco Aristoteles inductionem?

Hoc modo:

Ἐπαγωγὴ ἐστὶ, ἡ ἀπὸ τῶν καθέκαστα ἐπὶ τὰ καθόλου ἔφοδος.

COL. *Inductio est ex rebus singulis ad vniuersas progressio.*

BOE. Inductio est à singularibus ad vniuersalia accessio.

Hoc est, Inductio est legitima argumentatio, in qua progredimur à singularibus ad id quod est commune vniuersè sumptum,

vt, Gubernator quiuis peritus & exercitatus cæteris est præferendus, &
Auriga quiuis peritus & exercitatus cæteris est præferendus, &
Similiter de reliquis omnibus artificibus existimari debet:
Igitur, Omnis artifex peritus & exercitatus cæteris est præferendus.

Quot sunt inductionis species?

Duæ sunt, { Altera enim est perfecta inductio,
Altera verò imperfecta.

Quam vocas inductionem perfectam?

Perfectam voco, in qua omnia singularia enumerantur.

Quam imperfectam?

Imperfecta est, in qua non omnia enumerantur singularia, sed aliqua duntaxat.

Recita alias inductionis diuisiones, quas hoc loco solent commemorare?

Diuiditur vtraque inductio in { Affirmantem
&
Negantem.

Item { In eã, in cuius antecedente singularia subiecti locũ tenent:
Et eam, in cuius antecedente singularia attributi locum occupant.

Profer exemplum inductionis, in cuius antecedente singularia subiecti locum tenent.

Hic ignis est calidus, &
Ille ignis est calidus; & sic de cæteris omnibus ignibus; ergo
Omnis ignis est calidus.

Profer exemplum inductionis, in cuius antecedente singularia attributi locum occupant.

Socrates est prudentia & modestia & temperantia præditus; & sic de cæteris omnibus virtutibus:
Ergo Socrates est omni virtute præditus.

Quod est discrimen inter syllogismum non inductiuum, & inductionem secundùm Aristotelis doctrinam?

Inter inductionem, & syllogismum non inductiuum, est hoc discri-

discrimen, quòd inductio verisimilior clariórque est, & sensuum iudicio familiarior atque notior: id est, antecedens inductionis est nobis verisimilius, clarius, & sensui magis expositum, quàm antecedens syllogismi non inductiui. contrà, syllogismus non inductiuus vrgendi, cogendi, & veritati aduersantes refellendi maiorem inductione vim habet.


Quis est vsus inductionis?

De vsu inductionis in quarto libro abundè dictum est: quapropter ne eius inutilis repetitio cuiquam molesta sit, ea supersedendum hoc loco putamus.

TRANSITIO.

Hactenus de prima parte τοπικῶν, qua syllogismi dialectici natura, eiusque partes tum remotæ tum propinquæ sunt declaratæ: superest nunc, vt generalem eorum quæ in ista parte tradita sunt, comprehensionem adiungamus, qua præmissa locorum explicationem aggrediemur.

GENERALIS EORVM OMNIVM, QVAE IN PRIORE quinti libri parte sunt explicata, ad iuniorum memoriam iuuandam comprehensio.



LIBRI QVINTI PARS SECVNDA.

De locis dialecticis.



Ocos Dialecticos,ex quibus omnis generis argumentandi materia petenda est,consultò cum Aristotele distulimus hactenus,eos deinceps tractaturi;sed admodum breuiter, non solùm ne immodicè nobis sub manibus opus crescat,quod iam videmus iustam propemodum excessisse magnitudinem,dum omnia diligenter distinguere titulis,quæstionibus,tabulis,litteratúmque elegantium varietate studemus, vt plus lucis, & fastidij minus adsit præceptis nonnihil ex se (vt in omni genere disciplinarũ vsu venit) asperis, verumetiam ob eam caussam breuiores erimus in locis argumentorum tractandis,quòd extent Rodolphi Agricolæ (viri profectò nunquam satis laudati, etiam à laudatissimis viris Hermolao Barbato,& Erasmo Roterodamo) libri de Inuentione dialectica adeò accuratè copioséque scripti, vt eruditorum iudicio longè vincant cæterorum omnium tam Græcorum quàm Latinorum de hac dialecticæ parte memoriæ proditas lucubrationes.

Quare hîc contrahemus locos in exiguum compendium,& tanquam in tabula spectandos proponemus, vt sine magno negotio oculis & animo omnes complecti studiosi adolescentes possint.

Cùm autem hāc doctrinæ topicæ veluti summam cognouerint, magnopere profuerit legere Agricolam,qui idem argumentum (vt modò diximus) fusissimè simul & doctissimè est persecutus.

Aristoteles autem licet maximam inuentionis caussa laudem hîc mereatur;tamen ordine, distinctione atque claritate longè est à posterioribus dialecticis hac in parte superatus; quod idem & in aliis disciplinis,rerum primis inuentoribus plerisque accidisse videmus. nec id mirum: Vt enim res ipsas primùm inuenire maximum est & difficillimum; ita post inuentionem non adeò magni est negotij, inuentas expolire & in ordinem redigere.

Quanquam igitur hactenus Aristotelis ordinem sedulò sumus secuti,hac tamen in parte ab Aristotelis commentatoribus Themistio atque Boëtio ordinem mutuati maluimus.

Cæterùm priusquam ad locos argumentorum mõstrandos accedamus;quid locus sit, & quomodo diuidatur, breuiter dicemus.

De loco et eius divisionibus.

Quid est locus?

Locvs, vt vulgò definitur,est sedes argumenti. vel aliis verbis,est index ostendens ex quo fonte hauriẽdum sit argumentum,ad propositi thematis probationem conficiendum idoneum.

Quid est argumentum?

Argumentum in Topicis Ciceronis describitur ratio rei dubiæ faciens fidem: éstque ab arguendo dictum, quód videlicet rem arguat, hoc est, ostendat vel probet; nam arguere pro ostendere veteres olim dicebant. Hinc illud Virgilij:

Degeneres animos timor arguit.——

Similitudo norma & argumenti.

Cæterùm istud de argumento consideratione dignum videtur, quòd idem præster argumentum in diiudicanda rerum inter se cohærentia atque dissensione, quòd norma in examinando, quæ corporum magnitudines sint inter se æquales, & quæ inæquales. vt enim hîc norma duabus magnitudinibus applicata, si vtrique perfectè conueniat, magnitudines inter se esse æquales cognoscimus; sin autem alteri conueniat, ab altera verò discrepet, certò deprehendimus magnitudinū inæqualitatem: ita illic si duabus rebus idem conueniat argumentum, illas inter se consentiri, & verè de se mutuò enuntiari pronuntiamus. sin argumentum cum vna cōueniat, & ab alia dissideat, res eiusmodi inter se dissentiri atque dissidere intelligimus. Sit exempli caussa inquirendum, vtrum inuidentia & detestabilis aptè inter se cohæreant, nec ne; quoniam vitium, quod est argumentum ex genere sumptum, cum vtroque ad amussim congruit: est enim omne vitium detestabile, & omnis inuidentia est vitium, certò cognoscimus inuidentiam quoque & detestabile inter se cohærere atque consentire. Eodem modo taciturnitatem & vituperandum à se mutuò dissidere comperimus, quòd hoc argumentum, virtus, cum taciturnitate conueniat, & à vituperando discrepet: est enim omnis taciturnitas virtus, & nulla virtus vituperanda. vnde palàm est taciturnitatem & vituperandum à se inuicem dissidere, & alterum ab altero separari debere.

Quid interest inter argumentum & argumentationem?

Argumentum, vt iam diximus, est ratio rei dubiæ faciens fidem, seu id quod à differente ad thematis veritatem comprobandam affertur: Argumentatio verò est tota ipsa ratiocinatio, ipsum thema vnà cum eius probatione complectens. Sed hæc differentia ab iis qui parum attendunt quid sermonis Latini proprietas postulet, sæpenumero confunditur.

Quotuplex est locus?

Duplex à dialecticis locus distinguitur;
- Axioma dialecticum, quod vulgò locus maxima vocari solet:
- Locus propriè dictus, qui est differentia axiomatis dialectici, seu vocabulum, quo potissimum vnum axioma ab alio discriminatur.

Quomodo definitur axioma dialecticum?

Axioma dialecticum est generale & perspicuum, sensuiq; com-

 muni

muni consentaneum pronuntiatum, vnde & argumentum facilè sumitur, & argumentatio ipsa vim suam atque firmitudinem mutuatur. vt istud commune dialecticorum placitum, quod apud Ciceronem quoque inuenitur: Contrariorum contraria sunt consequentia. & item hoc pronuntiatum: Cuicunque conuenit definitum, & definitio conuenit.

Quid est locus differentia dialectici axiomatis?

Locus differentia axiomatis dialectici (qui propriè magisq́; vsitatè locus dicitur) est ipsum vocabulū, quo potissimùm vnum axioma dialecticum ab alio secernitur.

Vt definitio, similiter definitum: his enim secernitur posterius axioma à nobis iam recitatum, à priori, quod à Cicerone vsurpatum dicebamus. *Quis est vsus huius diuisionis loci?*

Axiomata ista ad disputandum & iudicandum non parum prosunt: nam si cum proteruo agas altercatore, ad hæc sæpe, vt ad sacram ancoram, confugiendum est.

Vt si huius enthymematis, Bellum est causa malorum, erit igitur pax bonorum origo & procreatrix, negetur consecutio; probatio non aliunde clarius constabit, quàm ex isto axiomate: Contrariorum contraria sunt consequentia.

Loci differentiæ axiomatum memoriam iuuant: cùm enim axiomata pænè sint infinita, eorum autem differētiæ non ita multæ; fit vt per harum paucitatem, illorum diffusa multitudo faciliùs memoria comprehendatur.

Quomodo diuiditur locus differentia axiomatis dialectici?

Locus qui est differentia axiomatis dialectici, diuiditur in locum { Internum, Externum, & Medium.

Quid est locus internus?

Locus internus est, qui argumenta subministrat, vel ad naturam rei de qua quæritur, vel ad ea quæ ipsam comitātur, pertinētia.

Recita diuisionem loci interni.

Locus internus subdiuiditur in { Locum à substantia, & A comitantibus substantiam.

Quid est locus à substantia?

Locus à substantia dicitur, qui argumenta ad rei controuersæ substantiam vel naturam pertinentia complectitur.

Quid est locus à comitantibus substantiam?

Locus à comitantibus substantiam dicitur, qui cōtinet argumenta, quæ non sumuntur ab ipsa rei, de qua quæritur, substantia,

sed

ſed ab aliquo, quod eius ſubſtantiam ſeu naturam comitatur.

Quid eſt locus externus?

Locus externus eſt, qui continet argumenta, quæ ſunt omnino ſeparata à natura rei, de qua quæritur.

Quid eſt locus medius?

Locus medius eſt, qui continet argumenta, quæ partim conueniunt cum re, de qua quæſtio eſt, & partim ab ea differunt.

Quis eſt vſus iſtius diuiſionis loci?

Quę de hac diuiſione dicta ſunt, eò ſpectãt omnia, vt perfectius diſtinctiúſque argumentorum ratiocinationúmque vim atq; propriam naturam dialecticæ tirones perſpicere queant: etenim hic commonentur, rationes nonnunquam ex intimis rerũ controuerſarum penetralibus erui, interdum extrinſecus & ab alienis rebus quidem, opportunè tamen & vtiliter aſſumi; nonnunquam verò ex mediis quibuſdam rebus, nec omnino ſeiunctis, nec penitus coniũctis accerſi. Quod vt clarius euadat, facilibus & perſpicuis exemplis rem aperiemus: ſit exempli cauſſa iſta quęſtio diſputãda, Num omnis homo ſit capax diſciplinæ? Ad hanc quæſtionem explicandam argumentum depromere licebit ex definitione, aſſumpta probationis loco, hominis definitione, quam ad ipſius naturam pertinere certum eſt. vnde talis confici poterit argumentatio:

Omne animal rationis particeps eſt capax diſciplinæ; igitur
Omnis homo eſt capax diſciplinæ.

Locus proinde, vnde hoc argumentum depromptum eſt, vocatur internus: adductum enim argumentum ad propoſitæ quæſtionis diſſolutionem ex intimis rei cõtrouerſæ penetralibus depromptum eſt, cùm ſit eius definitio, qua nihil magis internum, magíſve coniunctum rei eſſe poſſet.

Interdum verò argumentũ ſumitur ab eo, quod omnino ſeparatum eſt ab eius rei natura, de qua quæritur: vt ſi proponatur hæc quæſtio, Num auaritia ſit virtus? ad eiusq; diſſolutionẽ argumẽtatio ex contrariorũ loco ducta adhibeatur iſtiuſmodi, Auaritia eſt vitium, non eſt igitur virtus. Quum hîc quæſtio ſit de virtute, recténe an ſecus auaritiæ tribuatur, & ad partẽ negantẽ probandam, medij & argumenti loco adhibeatur vitij nomen, palam eſt, ab eo quod penitus à re controuerſa diſcrepat, ſumptũ eſſe argumentum.

Nonnunquã argumentum ducitur ab eo, quod partim cõuenit cùm eo, de quo eſt quęſtio, & partim ab eo diſcrepat: vt ſi quęratur, Num iuſtitia ſit bona? & ad iſtius quæſtionis diſſolutionẽ proferatur hæc argumentatio, Qui iuſtus eſt, bonus eſt; igitur iuſtitia eſt bona: à iuſto ad iuſtitiam argumentũ ducetur: inter iuſtitiã autem & iuſtum, eſt aliquid differentiæ, & aliquid cõuenientiæ: differunt

enim in extrema terminatione, atque in minus principali significatione; conueniunt autem in significatione præcipua; vnam enim eandémque rem concretum & abstractum primaria significatione declarant.

Vt reliqua huius tractatus explicatio facilior clariorq́; reddatur, omnes locos, de quibus in præsentia agendum est, congruo ordine in vnum schema collectos recita.



De locis a svbstantia, et primum de definitione.

Quid est definitio?

Definitio est, quæ rei inuolutæ notionem atque naturam essentialium eius partium explicatione aperit.

Quot modis ducuntur argumenta ex loco definitionis?

Quatuor modis, videlicet

- Affirmando duobus,
  - Ex parte subiecti: vt, Omne animal rationis particeps est disciplinæ capax: ergo omnis homo est disciplinæ capax.
  - Ex parte prædicati seu attributi: vt, Concha est corpus animatum sentiens: ergo, Concha est animal.
- Negando duobus,
  - Ex parte subiecti: vt, Nullum animal rationis expers est disciplinæ capax; ergo nulla bestia est disciplinæ capax.
  - Ex parte prædicati seu attributi: vt, Simia non est animal rationis particeps; ergo Simia non est homo.

Recita axiomata quibus nituntur illæ argumentationes, quarum argumentum siue probatio ex loco definitionis depromitur.

Quicquid dicitur de definitione, dicitur item de definito.

De quocunque dicitur definitio, de eodem & definitum.

Quicquid remouetur à definitione, idem etiam à definito remouetur.

A quocunque remouetur definitio, ab eodem etiam definitum remouetur.

De definito.

Quid est definitum?

Definitum est id, cuius natura & propria ratio definitione explicatur.

Quot modis ducuntur argumenta ex loco definiti?

Quatuor modis, videlicet

- Affirmando duobus,
  - Ex parte subiecti: vt, Homo est albus; ergo animal rationis particeps est album.
  - Ex parte attributi: vt, Concha est animal, ergo concha est corpus animatum sensu præditum.
- Negando duobus,
  - Ex parte subiecti: vt, Homo non est bestia: ergo animal rationis particeps non est bestia.
  - Ex parte attributi: vt, Simia non est homo; ergo simia non est animal rationis particeps.

Recita

Recita axiomata, à quibus hoc genus argumentandi, à definito argumentum mutuans, vim habet.

Quicquid dicitur de definito, dicitur etiam de definitione.

De quocunque dicitur definitum, de eodem & definitio.

Quicquid remouetur à definito, idē & à definitione remouetur.

A quocunque remouetur definitum, ab eodem etiam definitio remouetur.

DE DESCRIPTIONE ET INTERPRETATIONE.

Quid est descriptio?

Descriptio est oratio, quid res sit declarans, proprietatum ipsius rei vel accidentium commemoratione.

Quibus modis ducuntur argumenta à descriptione?

Iisdem modis quibus à definitione, affirmando nimirū & negando: item ex parte subiecti & ex parte attributi; sunt enim istæ argumentationes ratæ atque legitimæ, Animal, cui à natura humanarum diuinarúmque rerum percipiendarū insita est facultas, suo creatori maximo obstrictum est beneficio; igitur homo suo creatori maximo obstrictus est beneficio. Item, Animal cui disciplinarum percipiendarum facultatem natura concessit, nullam habet suæ ignorantiæ excusationem; igitur homo nullā habet suæ ignorantiæ excusationem. permutato quoque terminorum ordine, eandem vim atque firmitudinem retinebit argumentatio.

Quid est descriptum?

Descriptum est ea res, cuius proprietates fortuitæ aut naturales descriptione explicantur: vt est homo respectu huius descriptionis, Animal, cui à natura humanarum diuinarumque rerum percipiendarum insita est facultas.

Quomodo ducenda sunt argumenta ex loco descripti?

Eodem planè modo, quo ex loco definiti: vt vitium à quibusdam laudatur; ergo res detestanda, & Deo omnibúsque bonis inuisa, à quibusdam laudatur.

Quid est interpretatio?

Interpretatio est non rei definitio, sed nominis etymologica explanatio.

Quomodo ducuntur argumenta ab interpretatione?

Eodem modo, quo à definitione, si modò par & æqualis sit interpretatio ei nomini, cuius declarationem continet; alioqui enim infirma esset ex hoc loco ducta argumentatio.

Recita aliquod exemplum argumentationis ex hoc loco desumptæ?

Seruatorem animarum nostrarum decebat peccatores suscipere, ergo Iesum decebat id facere.

Quid est interpretatione declaratum?

Interpretatione declaratum, est id nomen, cuius etymologica explana-

explanatio profertur: vt philosophia respectu huius etymologicæ explanationis, sapientiæ studium.

Quomodo ducenda sunt ex hoc loco argumenta?

Eodẽ modo quo ex definito; videlicet affirmando, negando, subiiciendo, & de altero enuntiando, quod interpretatione declaratur.

Quæ sunt axiomata, quibus confirmantur ratiocinationes à descriptione vel interpretatione, & aliis duobus his respondentibus locis argumentum mutuantes?

Quemadmodũ est idem modus argumentandi in his locis, qui fuit in definitione & definito commonstratus; ita quoque axiomatum in his & illis locis tãta est inter se similitudo, vt ex illis ea, quæ ad hos locos pertinent, facilè quiuis intelligere & conficere possit.

Cùm sæpè ducantur argumenta à differentia, à proprio & synonymo, cur ista in catalogo locorum non ponuntur?

Quia sub tribus iam dictis locis tres isti comprehenduntur: Sub loco enim à definitione, comprehenditur locus à differentia ad speciem constitutam: vt,

Concha est sensu prædita; ergo concha est animal.

Sub loco à descriptione, locus à proprio: vt,

Modestia est per se laudabilis: Igitur est virtus.

Sub loco ab interpretatione, locus à synonymis: vt,

Regibus diuina ordinatione ad coërcendos malos gladius datus est; ergo regibus diuina ordinatione ad coërcendos malos ensis datus est. *Recita canones horum locorum.*

Quemadmodum modus argumentandi hîc & in definitione est idem, ita quoque canonum loci definitionis & horum locorum eadem planè est ratio: Itaque hos ex illis petendos atque contexendos consultò reliquimus, ne re sua facilitate omnibus obuia, nimis fusè declaranda gnauum lectorem tædio vel molestia afficeremus.

DE MATERIA ET MATERIATO.

Quid est materia?

Materia est, ex qua aliquid fit: vt lapis, materia est statuæ lapideæ.

Quid est materiatum seu materia effectus?

Materiatum est, id quod ex materia constat: vt statua lapidea, respectu lapidis ex quo constat.

Quotuplex est materia?

Duplex: Permanens, quæ in re effecta permanet suam naturã retinens atque nomen: vt lapides & ligna sunt materia domus. Transiens, quæ non manet in effecta re; sed mutatur, & formam accipit aliam: sic farina & aqua sunt materia panis.

Quomodo ducenda sunt argumenta ex istis materiæ generibus eiusq; effectu, & quibus axiomatis nituntur?

Ex vtraque materia consimili modo affirmando videlicet ducimus

cimus argumentum; nam vtrobique posita materia rectè concludimus effectum existere posse: vt, Ligna & lapides & calx adsunt; potest igitur domus haberi, videlicet ex parte materiæ: Aqua & farina sunt, potest igitur fieri panis.

Axioma.

Posita materia potest effectus esse, quantum videlicet ad materiam attinet.

Negando autem non similiter ab vtrisque ducitur argumētum; licet enim ex materiæ permanentis absentia effectus eius absentia rectè consequatur (firma siquidem est ista concludendi ratio, Ferrum non adest, igitur arma ferrea non adsunt) non tamen similiter ex absentia materiæ transeuntis, eius effectus absentia consequeretur, vitiosa namque esset ista ratiocinatio, Deest hic farina; ergo panis quoque deest.

Canon.

Remota materia permanente, remouetur effectus.

A negatione verò materiæ transeuntis non sequitur, nisi per præteritum tempus argumentemur hoc modo: Farina non fuit, igitur non est panis.

A materiato ad materiam affirmando solùm argumentamur; & in permanente quidem caussa, ab esse ad esse; in transeunte, ab esse ad fuisse: vt, Arma ferrea sunt, igitur ferrum est:

Panis est, igitur farina fuit.

Canon de materiato cuius materia permanet.

Posito materiato, ponitur simul & materia.

Canon de materiato cuius materia transiit.

Posito materiato, necesse est ipsius materiam antecessisse.

Negando autem, non rectè ex isto loco duceretur argumentum, vitiosa siquidem est ista ratiocinatio, Arma ferrea nulla sunt; igitur ferrum non est.

Ducuntur insuper argumenta ex his locis per adiectionem attributorum, bonum & malum: vt, Farina mala fuit, igitur panis non est bonus: Panis bonus est, igitur farina fuit bona.

Canones.

Materiæ bonitas & vitium in effectum transfunduntur: Materiati bonitas arguit bonitatem materiæ.

De forma.

Quid est forma?

Forma est, quæ dat esse rei, & à qua formatum suum nomen accipit, certumq́, ac definitum in rerum creatarum multitudine locum ordinemq́, obtinet.

Sic animus forma est hominis, scientia scientis.

Quid est formatum?

Formatum est, id quod à forma esse, & nomen accipit: & definitum in rerum creatarum numero locum habet.

Vt homo, formatum seu res formata est respectu animi, à quo, & quòd hominis nomine vocetur, & quòd maximam inter Dei creaturas obtineat dignitatem, habet.

Recita diuisionem formæ.

Formarum alia
- Essentialis, quæ est rei cuiusque pars præcipua; & est vel
  - Mortalis: vt forma equi.
  - Immortalis: vt, animus hominis.
- Aduenticia, quæ merum accidens est.

Quomodo est argumentandum ex his formis & earum effectis?

Ex omnibus his formis argumentamur dupliciter,
- Affirmando: vt,
  - Albedo est, igitur album est:
  - Scientia est, igitur sciens est:
  - Anima bestiæ est, igitur bestia est.
- Aduertendum tamen est in anima rationis participe, non ex eo quòd sit, sed ex eo quòd insit, eius effectum existere, sequi. non enim sequitur:
- Anima rationis particeps est, igitur homo est: sed sequitur: Anima rationis particeps inest corpori, igitur homo est.
- Negando sic argumentamur: Si non adest albedo, neque album aderit.

Ab effectu seu formato ad formam: vt bestia est, ergo anima bestiæ est: bestia non est, igitur nec anima bestiæ. •

Recita canones, ad quos diriguntur argumentationes ex his locis ducta.

Posita forma, ponitur effectus, & contrà.

Sublata forma, tollitur effectus, & contrà.

Illud tamen sciendum, hos canones in anima rationis participe propter peculiarem eius conditionē non habere locum: cùm enim sola inter formas sit immortales, sola separata ab effectu existit, atque ita neque ex eo quòd ipsa superfit, rectè concluditur effectum superesse; vt paulo antè diximus: neque ab effectus negatione valet ratiocinatio ad probandum eius interitum. falsa enim & impia esset eiusmodi argumentatio: Petrus integer (corpore nimirum eius & animo naturali nexu inter se coniunctis) non est in cælo; igitur anima Petri non est in cælo.

Estne alia argumentandi ratio à forma quàm qua eius effectum existere vel non existere inferimus?

Est: nam Aristoteles docet etiam ab inexistentia formæ ad subiecti denominationem rectè argumentum duci: vt,

Cygno

Cygno ineſt albedo, ergo ipſe eſt albus.

Animæ ineſt ſcientia, ergo eſt ſciens.

Ad ſimilem modum in formis eſſentialibus ſequitur: Huic corpori animato ineſt anima rationis particeps; ergo eſt homo.

Cuius argumentandi generis hic eſt canon.

Vnumquodque ſubiectum à forma, quam ſibi inhærentem habet, rectè denominatur.

DE GENERE ET EIVS SPECIE.

Quid eſt genus?

Genus hoc loco nihil aliud eſt, niſi verbum aliquod latè patens, cum eo, quod minus latè patet, collatum: cuiuſmodi eſt genus in prędicabilium tractatu definitū cum formis ei ſubiectis collatum; item ſpecies ſi cum ſuis indiuiduis comparetur.

Quot modis ducuntur argumenta ex genere?

Quatuor modis, videlicet
- Affirmando duobus,
  - Subiiciendo genus: vt, Omnis virtus eſt expetenda; ergo iuſtitia eſt expetenda.
  - Enuntiando de altero: vt, Hoc animal omni ſenſu præditum eſt; ergo & olfactū habet.
- Negando duobus,
  - Subiiciendo genus: vt, Nullum vitium laudandum eſt; ergo nec ebrietas.
  - Remouendo ab altero: vt, Lapis non habet ſenſum; ergo nec viſum.

Recita axiomata quibus nituntur argumentationes ex iſto loco generis deprompta.

Cum quo conuenit genus vniuersè ſumptum, cum eodem conuenit ſpecies.

A quo vniuersè remouetur genus, ab eodē quoque & eius ſpeciem remoueri neceſſe eſt.

DE PARTE SVBIECTA SEV SPECIE.

Quid eſt pars ſubiecta?

Pars ſubiecta nihil aliud eſt, niſi minus commune, ſeu vocabulum, quod cum altero collatum minus latè quàm illud patet.

Quot modis licet argumentari à parte ſubiecta ad genus?

Quatuor,
- Affirmando duobus,
  - Subiiciendo partem ſubiectam: vt, Concha vel vnicum vel duos tantùm ſenſus habet, igitur aliquod animal vel vnicum vel duos tantùm ſenſus habet.
  - Enuntiando de altero: vt, Concha tactum habet; ergo concha ſenſum habet.
- Negando totidem,
  - Subiiciendo partem ſubiectam: vt, Lapis non eſt pręditus ſenſu; ergo aliquod corpus non eſt præditum ſenſu.
  - Enuntiando de altero: vt, Talpa non habet viſum; ergo non habet omnem ſenſum.

Recita

Recita canones ad quos diriguntur argumentationes ex hoc loco desumptæ.

Quicquid parti subiectæ conuenit, conuenit & generi speciatim sumpto.

Cuicunque tribuitur pars subiecta, ei quoque genus speciatim sumptum tribuitur.

Quod remouetur à parte subiecta, remouetur & à genere speciatim sumpto.

A quo remouetur pars subiecta, remouetur & genus speciatim sumptum.

Quæ conditiones sunt obseruandæ, vt firma sit ea argumentatio, quæ à genere aut parte subiecta argumentum mutuatur?

Quando à genere ducitur argumentum, diligenter obseruari debet, vt ipsum genus vniuersè accipiatur, nisi velis ad omnes partes disiunctè enumeratas procedere, hoc pacto:

Aliquod animal est rationis expers,
Ergo vel homo rationis expers est, vel bestia.

E diuerso à parte ad genus speciatim acceptum semper progrediendum est, nisi partes omnes copulatè, vt in inductione perfecta fit, enumerentur.

Tradunt nonnulli, cùm à genere ad speciem affirmatè proceditur, ratam non esse argumẽtationem, nisi positum sit priùs partem eam, de qua futura est conclusio, existere: idémque faciendum censent, cùm à parte subiecta seu specie ad genus negatè proceditur. Doctiores tamen putant id non magni esse momenti; nam eiusmodi cautio licet expressa non sit, facilè tamen intelligitur ex ea enuntiatione, qua accedente, argumentatio enthymematica perfecti syllogismi accipit formam. Si quis tamen velit istiusmodi argutias inter argumentandum obseruare, per nos licet.

ADMONITIO GENERALIS.

Circa singulos pænè locos solent plures adduci vitiosæ argumentationes, potissimùm enthymematicæ: cui malo vna eâque perfacili ratione occurri posse arbitramur, hac nimirum, si dicamus eatenus valere argumentationem enthymematicam ex locis desumptam, quatenus ex antecedentis parte expressa cum ea enuntiatione quæ mente tenetur, legitimus confici potest syllogismus, vel categoricus, vel vt minimum hypotheticus: Vbi verò id fieri non poterit, vitiosum esse enthymema. exempli gratia, hæc argumentatio sumpta à specie non valet: Auis volat, igitur omne animal volat; quoniam adiecta enuntiatione, quæ intelligitur, hic efficitur vitiosus syllogismus: Auis volat, & omnis auis est animal, igitur omne animal volat.

Similiter illud enthymema, Animal currit, igitur homo currit,

vitiosum est; quia syllogismus, ad quem reducitur, est vitiosus, iste videlicet: Animal currit, & omnis homo est animal, igitur homo currit. Propositione enim particulari in prima figura, nihil sequitur. Ad hanc normam examinare licebit & redarguere, quamuis sophisticam & captiosam argumentationem ex locis contra eorum canones, desumptam.

Qui loci continentur sub genere, & qui sub specie, siue parte generi subiecta?

Sub genere continentur quatuor loci, qui vulgò appellantur { Totum in quantitate, Totum in modo, Totum in loco, Totum in tempore.

Et sub specie totidem respondentes; videlicet, { Pars in quantitate, Pars in modo, Pars in loco, Pars in tempore.

DE TOTO IN QVANTITATE.

Quid est totum in quantitate?

Totum in quantitate est vocabulum commune vniuersè sumptum, quod à genere in eo tãtummodo differt, quòd hoc non semper, illud verò semper, vniuersale signum annexũ habere debeat; ob idque à genere & à toto in quantitate eadem est argumentandi ratio: ita enim hîc argumentamur,

Omnis planta viuit; ergo
Omnis arbor viuit.

Quæ sunt axiomata quibus istius loci argumentationes nituntur?

Quicquid toti in quantitate cõuenit, idem & cuilibet eius parti conuenire necesse est:

Quicquid à toto in quantitate remouetur, idem & à qualibet eius parte remoueri consequitur.

DE PARTE TOTIVS IN QVANTITATE.

Quid est pars totius in quantitate?

Pars totius in quantitate nihil aliud est, nisi vocabulum minus commune, quatenus ad aliud magis commune vniuersè sumptum refertur.

Quomodo argumentandum est à parte totius in quantitate?

Ab omnibus partibus copulatè enumeratis ad totum in quantitate, siue affirmando, siue negando, siue ex subiecti, siue ex attributi parte, legitima ratiocinatione proceditur.

Quæ sunt regulæ quibus diriguntur argumentationes, suum medium à parte totius in quantitate mutuantes?

Cum quocunque cohærent vniuersæ partes totius in quantitate, cum eodem quoque cohæret totum.

A quo-

A quocunque separantur vniuersæ partes totius in quantitate, ab eodem quoque totum separari est necesse.

De toto in modo.

Quid est totum in modo?

Totum in modo est vocabulum commune, aliqua restringente particula, quæ eius parti in modo adiuncta sit, non contractum:

Vt, animal totum in modo est, si ad animal candidum referatur: similiter animal candidum totum in modo est, animalis candidi bipedis respectu.

Quam hoc loco appellas restringentem particulam?

Restringentem particulam eam appello, quę v[illegible]i cuipiam communi adiuncta, significationem eius non tollit neque alienat, sed contrahit, & angustiorē quàm erat antè, reddit: vt, albus niger, doctus indoctus; particulæ sunt restringentes hominis nomini adiunctæ, non autem pictus aut mortuus: istæ enim postremæ non contrahunt, sed penitus tollunt vocis [homo] significationem.

Quæ quidem particularum aliis vocibus adhærentium varietas latissimè in nostro Prodidagmatum libello, sub titulo, De restrictione logica, explicatur.

Quot modis argumentari licet à toto in modo?

Quatuor modis:

- Ex parte subiecti duobus,
  - Affirmando: vt, Omnes homines sunt capaces disciplinæ; ergo & homines rudes sunt capaces disciplinæ.
  - Negando: vt, Nulli homines sunt odio habēdi, ergo nec homines mali.
- Ex parte prædicati totidem,
  - Affirmando: vt, Deus fecit omnia animalia, ergo etiam animalia reptilia.
  - Negando: vt, Deus nullos homines vult perire; ergo nec homines peccatores.

Quæ sunt axiomata quibus nituntur argumentationes ex hoc loco desumptæ?

Cum quo conuenit totum in modo vniuersè sumptum, cum eodem & pars eius conuenit.

A quocunque in vniuersum remouetur totum in modo, ab eodem eius quoque partem remoueri est necesse.

De parte in modo.

Quid est pars in modo?

Pars in modo est vocabulum commune, aliqua restringente particula, quæ toti in modo respondenti addita non est, affectum.

Vt homo probus, homo improbus, si conferantur cum hoc nomine, homo.

Quot modis licet argumentari à parte in modo?

Quatuor modis:
- Ex parte subiecti duobus,
  - Affirmando: vt, Homines frugi sunt laudandi, ergo homines sunt laudandi.
  - Negando: vt, Homines impij non donantur æterna felicitate; ergo aliqui homines non donantur æterna felicitate.
- Ex parte prædicati totidem modis:
  - Affirmando: vt, Pater amat bonos filios, ergo amat filios.
  - Negando: vt, Politioris litteraturæ candidatis in lectione barbarorum simulq; inanium scriptorum, tempus non est conterendum; igitur Politioris litteraturæ candidatis in aliquorum scriptorum lectione tempus non est conterendum.

Recita canones loci partis in modo.

Cum quo conuenit pars in modo, cum eodem & totum in modo conuenit.

Cum quo non conuenit pars in modo, cum eodem neque totum in modo speciatim sumptum conuenit.

ADMONITIO.

Quandoquidem hîc eadem est argumentandi ratio à toto in modo quæ est à genere, & à parte in modo, eadem quæ est à specie conditiones legitimæ argumentationis quæ ibi traditæ sunt, ad hunc quoque locum pertinere existimandum est.

DE TOTO IN LOCO ET TEMPORE.

Quid est totum in loco?

Totum in loco est vocabulum, quod omnem locum significat.

Vt, vbique, nusquam.

Quid est totum in tempore?

Totum in tempore est vocabulũ, vniuersè tempus comprehẽdens.

Vt, semper, nunquam.

Quomodo sumuntur argumenta ab istis locis?

Sumuntur argumenta
- Affirmando: vt, Vbique sunt boni; ergo & Romæ.
- Negando: vt, Nusquam desunt mali, ergo nec Romæ.

A TOTO IN TEMPORE SIMILITER.

Semper Christus verum dixit; ergo
Etiam tunc, quando dixit, De omni verbo otioso reddendam esse rationem.

Nunquam mentita est veritas; ergo
Nec tunc, quando esse difficile dixit, diuitem ingredi in regnum cælorum.

Recita axiomata à quibus suum robur habent hæ argumentationes.

Quemadmodum isti loci re vera continentur sub generis loco, ita quoque argumentationũ, quæ ex ipsis depromptæ sunt, vim & firmitudinem in illius loci axiomatis contineri existimandum est.

DE PARTE IN LOCO ET PARTE IN TEMPORE.

Quid est pars in loco?

Pars in loco est vocabulum speciatim locum denotans.

Vt, hîc, in foro, alicubi.

Quid est pars in tempore?

Pars in tempore est vox speciatim tempus significans.

Vt, hodie, cras, aliquando.

Quomodo argumentandum est à parte in loco, & à parte in tempore?

A parte in loco aut tempore, negando duntaxat argumentari licet: vt,

Romæ non est vsus cereuisiæ; ergo
Non est vbique cereuisiæ vsus.
Mercatus diebus festis non est habendus;
Non semper igitur mercatus est habendus.

Quæ sunt regulæ ad quas dirigi debent istæ argumentationes?

Quemadmodum (vti antè dictum est) totum in tempore & in loco, sub generis loco continentur; ita quoque partem in tempore, & partem in loco sub loco speciei comprehẽdi planum est: ex quo consequitur, horum locorum argumentationes ex illius loci axiomatis vim suam habere, & ad illorum normam dirigendas esse.

Affirmando ab vna parte vitiosa est argumentatio; ab omnibus simul sumptis legitima: vt, Si Deus est in cælo, & in terra, & in mari, &c. Deus vbique est.

DE TOTO, QVOD VVLGO TOTVM integrale appellatur.

Quid est totum integrale?

Totum integrale est, quod ex partibus quantitatem habentibus, vel simul aggregatis conflatur.

Quomodo ducenda sunt argumenta ex loco totius integralis?

Ex loco totius integralis ducuntur argumenta ad singulas partes

principales, idque tantùm affirmando: vt,

Domus est, ergo
Fundamentum est, & parietes, & tectum.

Nititúrque eiusmodi argumentatio hoc axiomate:

Posito toto integrali, poni necesse est & quamlibet partem eius principalem.

Ad partes autem minus principales infirma esset progressio, nisi perfectione totius in antecedente posita stabiliretur: vt,

Domus omnino perfecta est, ergo
Focus est, & penu, & fenestræ, &c.

A toto integrali negato, ad singularum partiũ negationem non rectè progreditur argumentatio; fallax enim & vitiosum est istud argumentandi genus:

Domus non est, ergo fundamentũ non est, aut parietes non sunt.

Ad omnes verò partes simul sumptas, sub disiunctione legitimã est progressio: si enim domus non est, vel fundamentum, vel parietes, vel tectum deest. Cuius argumentationis robur situm est in hoc axiomate:

Si totum non est, aliquam eius partem deesse consequitur.

De parte qvae integralis vulgò appellatur.

Quid est pars integralis?

Pars integralis est, quæ cum aliis partibus quantitatem vel aggregationem totius efficit.

Quotuplex est pars integralis?

Duplex, videlicet { Principalis, sine qua totum esse nequit: vt, caput, venter.
Minus principalis, qua sublata totum nihilominus consistere potest: vt, pes, manus, digitus. }

Quomodo est ab huiusmodi parte argumentandum?

Ex negatione partis totum vel funditus tollendo, aut perfectionem illi adimendo: vt si dirutum ædificium, tectum non habet, non est domus: præterea, si focum non habet aut penu, non est domus perfecta. quod argumentandi genus his canonibus dirigitur.

Ablata parte aliqua principali, totum esse non potest.

Si desit pars minus principalis, totum non est perfectum.

An nulla ratione licet à partibus integralibus argumentari affirmando?

A partibus sigillatim sumptis non ducitur argumentum affirmando, ab omnibus tamen coniunctim rectè ducitur: si enim fundamentum, parietes, & tectum existãt, aptéque inter se cohæreant, domus est. cuius argumentationis hic est canon:

Positis omnibus partibus aptè inter se cohærentibus, necessariò ponitur totum.

Est'ne præterea ratio alia ex loco à toto integrali & eius parte argumentum ducendi quàm per eas enuntiationes, quæ sunt, vt loquuntur, ex verbo (est) secundo adiacente?

Est alia: sæpè enim scriptores ex eo quòd aliquid conuenit toti, idem eius quoque parti conuenire concludunt, & è contrario. Sic Boëtius concludit res humanas prouidentia regi; quia mundus (cuius res humanæ partes sunt) prouidentia regitur.

Similiter magica ars rectè probatur mala, ex partium eius peruersitate: quòd enim consultatio & pactum cum cacodæmone, (quæ sunt magiæ partes) mala sint, rectè consequitur ipsam quoque magicam artem malam esse.

Item ista argumentatio: Plebs Romana optimè de Milone sentit, & equester ordo, & senatus; totus ergo populus Romanus optimè sentit de Milone; ad locum partis integralis referri debet.

Sic quoque ostenditur passio Domini nostri Iesu Christi maximè esse miseranda, singularium partium ipsius passionis indignitate explicata ad hunc modum:

Ecce Deus & homo Christus, qui singula corporis sui membra hominum obsequiis dedicauerat; cuius caput, os, guttur, lingua, in docendis ignorantibus plurimum laborarunt; cuius aures quemuis admiserunt; cuius oculi multa semper cum miseratione pauperes respexerunt; cuius manus plurimos sanarunt; cuius pedes terram docendi gratia, multo cum labore perambularunt; cuius genua in oratione pro nobis sæpè, multum & diu terræ affixa, hæserunt; cuius cor multa pro nobis solicitudine frequenter anxium fuit: cuius intestina omnia pro nobis subinde exhausta fuere laboribus; denique qui totum sese, quantus quantus erat, hominum obsequiis consecrauerat: ecce hic modò ab ingratissimis hominibus à capite ad pedes vsque affligitur, & leproso comparatur: caput corona spinea pungitur, & arundine cæditur: cerebrum & oculi vigiliis deficiunt: aures cum barba vellicantur crudeliter: humeri ligno graui onerantur: manus diris stringuntur vinculis; palmæ & volæ horridis perfodiuntur clauis: lingua felle vexatur & aceto: denique membra vniuersa flagellis atteruntur, & perfusa sanguine madent. Quis in tanta non exhorrescat immanitate? quod est cor tam adamantinum, quod tam funesti & cruenti spectaculi consideratione non molliatur, vel potius frangatur?

Sic hominis possumus vilitatem ostendere ex singularum eius partium consideratione.

Quæso te, quid homine, si corpus eius respicias, vilius? quid caluitis vertex, nisi testa quædam fictilis? quid cerebrum intus recon-

 ditum

ditum, nisi lacteus quidam concretus humor? quid oculi, nisi humor glaciei instar constrictus? quid nares, nisi meatus immundæ putredinis? quid aures, & ipsæ suas profundentes sordes? quid denique venter, intestina omnia, denique totus ipse homo, nisi vas quoddam fictile, & saccus stercoraceus, sordibus & fœtore scatens? quid igitur superbis terra & cinis atque fœtidum sterquilinium, à cuius pudenda spurcitie & oculi & nares, immò aures ipsę abhorrent?

Eodem modo & singularum virtutum, item & scientiarum atque artium omnium præstantiam vtilitatémque partium, ex quibus constant, commemoratione ostendere licebit.

De generatione.

Quid est generatio?

Generatio nihil aliud est, quàm rei cuiuspiam ortus, quo res primùm exoritur, & esse incipit.

Vt est hominis ortus, plantæ germinatio, domus ædificatio.

Quomodo argumentandum est à generatione?

Hoc modo: Scipionem Africanum natum fuisse, ciuitati Romanæ bonum fuit; igitur Scipio Africanus bonus fuit.

Contrà: Catilinam natum esse, ciuitati Romanæ malum fuit; igitur Catilina illi fuit malus & noxius.

Christum nasci fuit optimum, Christus igitur optimus fuit.

Recita canones ad quos diriguntur hæ argumentandi rationes.

Quarum rerum ortus & origo per se est in bonis, eas bonas esse consequitur.

Quarum autem origo per se mala est, ipsas quoque ad malorum genus pertinere, necesse est.

De generato.

Quid est generatum?

Generatum est id, quod per generationem exoritur, & primùm in rerum naturam prodit.

Vt homo natus, planta iam exorta, domus ædificata.

Quomodo duci debent argumenta ex generato ad generationem?

Ad hunc modum: Catilina perniciosus fuit Reipubl. Romanæ: ergo Catilinæ ortus perniciosus fuit Reipubl. Romanæ. Cicero multum profuit ciuitati Romanæ; igitur eius generatio vtilis fuit Romanis.

Quod est axioma quo nituntur eiusmodi argumentationes?

Quale est id quod generatum est, talem quoque eius generationem esse consequitur.

Quod

Quod quidem axioma de bonitate & pernicie tantummodo est intelligendum: sicut etiam ipsa exempla declarant.

DE CORRVPTIONE.

Quid est corruptio?

Corruptio nihil aliud est, quàm rei cuiuspiam interitus.

Quomodo argumentandum est à corruptione?

A laude vnius ad vituperationem alterius, & è diuerso: ad hunc modum: Seditiosos homines supplicio afficere, reipublicæ bonum est; igitur ipsi homines seditiosi mali sunt, & noxij reipublicæ.

Virgilij mors præmatura, rei litterariæ mala fuit (alioqui limatiora adhuc & tersiora haberentur eius opera) igitur Virgilius rei litterariæ, dum viueret, vtilis fuit.

Recita canones ad quos diriguntur argumentationes ex hoc loco deprompta.

Quarum rerum interitus per se laudabilis est atque optabilis, ipsas vituperandas & perniciosas esse necesse est.

Quarum rerum interitus per se malus est atque luctuosus, ipsas bonas & optabiles esse censendum est.

DE CORRVPTO.

Quid est corruptum?

Corruptum est id quod interiit, & in rerum natura esse desiit.

Quomodo argumentandum est à corrupto?

Argumentamur ex eo, quòd res quæ interiit, bona fuit, eius interitum & corruptionem perniciosam fuisse: & contrà, si id quod interiit, malum fuerit, eius interitum & corruptionem vtilem fuisse. hoc modo: Cicero Romanis erat vtilis, ergo eius interitus Romanis fuit luctuosus. Catilina perniciosus fuit Romanis, igitur eius interitus illis fuit vtilis.

Recita canones.

Rei bonæ priuatio per se est noxia & lugenda:
Rei malæ priuatio per se est vtilis & expetenda.

Quid obseruandum est in his locis corruptionis & rei corrupta?

Hic obseruandum est, vt accipiantur ea, quæ per se bona vel mala sunt: nam in iis quæ per accidens, siue alterius rei comitantis gratia bona vtiliáque habentur, vim nullam habet argumentatio.

Non enim sequitur: Mors Christi bona fuit, ergo ipse malus fuit cùm viueret; nam bona fuit per aliud duntaxat, eò quòd eam nostra salus sit secuta; per se autem adeò bona non fuit, vt etiam inanimata, sol, terra, petræ, tam crudelem innocentissimi agni mortem exhorruerint.

De vsv.

Quid est vsus?

Vsus est rei cuiusque ad suum finem accommodatio.

Vt vsus cibi & potus, est sanitatem & vires corporis conseruare: Vsus vini, est languentem stomachum excitare, & animum mœrore fractum recreare.

Quomodo oportet argumentari ab vsu?

Hoc modo: Bonus est vini vsus (nempe cor hominis exhilarare, mærentes & deiectos erigere, stomachum debilem confirmare) ergo vinum est bonum.

Vsus artis magicæ malus est; ergo ars magica est mala.

Recita axiomata

Cuius vsus bonus est; ipsum quoque bonum est:
Cuius vsus malus est; ipsum quoque malum est.

Quot sunt obseruanda in argumentationibus huius loci?

Duo sunt obseruanda:
- Prius est, vt inter argumentandum eum sumamus vsum, qui rebus per se, non per accidens conuenit.
- Alterum est, ne pro vero rei vsu sumatur abusus.

Nam si quis argumentum ducat ex bono vsu qui rei non per se, sed tantùm per accidens conuenit, non indè rei ipsius bonitatem aut præstantiam, sed eius qui re mala bene vtitur, dexteritatem excellentiámque arguet.

Similiter si quis ab abusu argumentum sumat, non indè vitium aut prauitatem rei, sed eius qui re bona malè vtitur, flagitium & peruersitatem ostendet.

Quæ est vtilitas istorum trium locorum?

Locorum à Generatione, Corruptione, & à rerum Vsu, maxima est vtilitas ad genuinam rerum bonitatem prauitatémque demonstrandam.

De commvniter accidentibvs.

Quæ vocas communiter accidentia?

Communiter accidentia voco res, tali inter se colligatas vinculo, vt altera alteri, vel antecedendo, vel post sequendo, vel simul comitando, aut semper aut plurimùm cohæreat.

Vt sunt concipere & parere, florere & fructum proferre.

Quo-

Quotuplicia sunt communiter accidentia?

Triplicia,

Antecedentia, quæ bifariam diuiduntur:

- Quædam sunt eiusmodi, vt semper secundùm naturalem rerum cursum antecedant rem illam consequentẽ quam respiciunt, vt in pyro & pomo, frondere antecedens est respectu florum productionis; & florum productio antecedens est, respectu frũctuum productionis.
- Quædam sunt eiusmodi, vt licet nõ semper, attamen frequenter & communiter, eam rem quam respiciunt, consequentem habeant: cuiusmodi est, Bacchanalia celebrari, respectu inebriationis multorum, & aliquorum vulnerationis.

Comitantia, quę item sunt duplicia:

- Semper secũndùm naturalem rerum cursum inter se cohærentia, vt morbus & corporis debilitas.
- Non semper, sed admodum frequenter simul existentia, vt morbus & pallor.

Consequentiá, quæ similiter sunt duplicia:

- Semper secũdùm naturalem rerum cursum, illam rem quam respiciunt, antegredientem habentia.
- Non quidem semper, sed communiter sequentia illam rem quam respiciunt; quorum exempla in prima istius diuisionis parte videre licet.

Quomodo ducuntur argumenta ex iis communiter accidentibus, quæ necessario vinculo secundùm naturalem rerum dispositionem inter se connexa sunt?

Ex isto genere communiter accidentium ducuntur argumenta necessaria { Affirmando & Negando.

Affirmando quidem per posterius, ad hunc modum: Pomus floret, ergo fronduit: Item, fructum habet, ergo & flores & frondes habuit. Mulier ista peperit, ergo concepit.

Negando verò argumentamur per prius, ad hũnc modum, Mulier hæc non concepit, non igitur peperit.

Recita axiomata, quibus eiusmodi argumentationes nituntur.

Communiter accidentium,quæ necessario vinculo inter se connexa sunt, si posterius est,prius fuisse necesse est: &, si prius non fuerit, nec posterius erit.

Ex necessariò concomitantibus,si vnum adest, alterum quoque adesse consequitur: &, si vnum abest, alterum quoque abesse consequitur.

Quomodo ducuntur argumenta ex iis communiter accidentibus; quæ nullo necessario vinculo, sed tantùm communi rerum euentu inter se connexa sunt?

Ex isto communiter accidentium genere ducuntur argumenta, non quidem necessaria, sed probabilia duntaxat,hoc modo: Bacchanalia hodie celebrantur; igitur multi inebriabuntur, aliqui vulnerabuntur.

Hic homo molitur quippiam magnæ industriæ; igitur subibit hominum inuidiam, secundùm illud Ecclesiastæ: Omnes labores hominum & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi.

Huius generis sunt argumenta, quæ à naturalibus signis & physiognomicis sumuntur: vt, Manè rubet cælum, non erit igitur hodie aura serena.

Hic homo crispos habet capillos, ergo acuti est ingenij.

Argumenta quoque à prodigiis,monstris aut portentis sumpta, licet nihil certitudinis & probabilitatis non multum habeant, huc tamen referri solent: quale est, cùm argumentamur ex cometa aut alio aliquo portento magnum malum aliquod vel patriæ vel principi imminere.

Quibus axiomatibus nituntur argumentationes ex communiter accidentibus istius secundi generis desumptæ?

Istis:

Ex communiter accidentibus, quæ non necessariò inter se sunt deuincta,si id, quod posterius est, fit; verisimile est, id quod prius est, antecessisse.

Ex communiter accidentibus, quæ non habent necessariam inter se colligationem, si prius est, alterum postea consecuturum est probabile.

Ex comitantibus, quæ nullo necessario vinculo inter se connexa sunt, si vnum adest, alterum quoque adesse probabiliter consequitur.

Quid obseruandum est in ducendis argumentis ex isto loco communiter accidentium?

Hic obseruandum est, ne argumentum ducamus ex eis, quæ nec semper,nec plerunque, sed vel rarius consequuntur, vel ex eorum genere sunt, quæ Græci ἀδιάφορα, nos indifferentia vocamus: hinc

hinc enim suspiciones duntaxat fallaces & odiosæ proficiscuntur. vt, comptus est, ergo adulter: hæc formosa est, igitur & impudica. sunt hæ argumentationes sophisticæ, non dialecticæ, suspiciosi hominis, non viri prudentis.

Quis est vsus istius loci?

Loci à communiter accidentibus vsus latissimè patet: confert inprimis non parum in genere iudiciali, ad factum probandum.

In genere demonstratiuo ad laudandum & vituperandum: in deliberatiuo ad hortandum, dehortandum, consulendum, & coniecturas omnis generis acutè prudentérque colligendas.

Ad hæc in rebus naturalibus, ex monstris, ex ostentis, ex solis lunæque defectu, ex stellæ crinitæ aut caudatæ conspectu, populorum aut principum futuras clades, diuinandi artis periti augurari solent: &, vt paucis complectar, tota astrologica, chiromantica, & physiognomica ars (si modò ars sit vocanda) rationibus & argumentis ex hoc loco petitis nititur & constat.

DE LOCIS EXTERNIS, ET PRIMVM
De caussa efficiente eiusque effectu.

Quid est caussa efficiens?

Efficiens caussa est, a qua primò fit motus, vt aliquid fiat.

Quid est effectus caussæ efficientis?

Est id, quod efficientis caussæ vi & operatione procreatur.

Quomodo diuiditur caussa efficiens?

Caussarum efficientium alia

- Necessaria, sine qua effectus, cum quo indissolubilem habet connexionem, existere nequit: vt Solis præsentia super horizontem, est caussa necessaria diei.
- Sufficiens tantùm, quæ cùm non sit necessaria, sufficit tamen ad effectum procreandum: vt, iugulatio caussa sufficiens est mortis. non necessaria tamen, cùm etiam ex infinitis aliis caussis mors accidere soleat.

Quomodo argumentandum est à caussa efficiente necessaria, & ab eo, qui ipsi respondet, effectu?

A caussis & effectibus necessariis ducuntur argumēta tam aientia quàm negantia, ad hunc modum:

Sol à nobis abscedit, igitur Aduesperascit.
Sol nondum exortus erat, cùm Troia deuastaretur;
Non est igitur interdiu Troia deuastata.

Ab effectibus: vt, Dies fit, igitur sol oritur.
Luna hoc anno non patietur eclipsin, igitur
Non erit hoc anno interpositio terræ inter solem & lunam.

Quibus axiomatibus nituntur eiusmodi argumentationes?

Posita caussa efficiente necessaria, ponitur effectus eius.

Ablata

Ablata caussa efficiente necessaria, eius effectum quoque tolli necesse est.

Posito effectu, ponitur & illius necessaria caussa:
Ablato effectu, aufertur & eius caussa necessaria.

Quomodo ducuntur argumēta à caussis sufficientibus & earū effectis?

A sufficientibus caussis tantummodo aientia; ab earum effectis verò negantia tantùm argumenta ducuntur: legitimæ siquidem sunt istiusmodi argumentationes:

Si iugulatus est, interiit:
Si non interiit, non est iugulatus.
non autem istæ,
Si non est iugulatus, non interiit:
Si interiit, est iugulatus.

Sunt'ne præterea alia caussarum efficientium genera, in quibus peculiaris reperitur argumentandi modus?

Sunt; videlicet caussa { Quæ exprimitur voce facultatem vel habitum denotante: vt pistor, ædificator. / Quę exprimitur voce denotante actum: vt pingens, ædificans. }

Quomodo argumentandum est ab his generibus caussarum & earum effectis?

Ex caussa, quæ exprimitur voce facultatem aut habitum denotante, rectè concludimus eius effectum esse posse, hoc modo: Si ædificator est, ædes esse possunt, nisi videlicet aliunde sit defectus. Item, ædificator est bonus, igitur ædes possunt esse bonæ.

Ex caussa, quæ nomine actum denotante effertur, aut fore aut fieri effectum probè concluditur: vt, ędificans est, igitur ædes fiunt: aut sic, igitur ædes erunt, subaudi, si pergat artifex.

Ex eo autem quòd effectus existat, fuisse aliquando caussam firma ratiocinatione concludimus: vt, domus est, ergo ædificans seu ædificator fuit: item, domus est bona, igitur bonus fuit ædificator. Insuper ex hoc quòd effectus fiat, rectè infertur caussam efficientem existere; si enim domus fit, necesse est ædificantem esse.

Recita axiomata quibus nituntur argumentationes, quæ suum argumentum seu medium ab his generibus caussarum efficientium & effectuum sunt mutuatæ.

Axiomata quæ ad efficientes caussas pertinent, sunt ista:

Præsente caussa, quæ vim aliquid efficiendi habet, effectus eius (quantum ad effectricem pertinet partem) esse potest; operante verò caussa efficiente, eius effectum fieri necesse est.

Qualis est facultas & vis in efficiente caussa, talem quoque esse eius effectum probabiliter concluditur.

Quod quidem axioma non modò in his, sed etiam in superioribus

ribus caussæ efficientis generibus locum habet.

Axiomata ad earum effectus pertinentia sunt hæc:

Si sit effectus, caussam efficientem fuisse necesse est.

Si fit effectus, efficientem eius caussam existere necessariò consequitur.

Qualia sunt quæ ab efficiente caussa proficiscuntur, talem quoque esse vim effectricem eorum probabiliter existimatur.

De fine.

Quid est finis?

Finis est, cuius gratia aliquid fit.

Quomodo ducenda sunt argumenta ex fine?

Ex finis laude aut vituperatione, eius, quod ad finem destinatum est, laudem aut vituperationem rectè concludimus, ad hunc modum: Si beatitudo est bona, igitur virtus est bona; virtus enim refertur ad beatitudinem consequendam tanquam ad finem.

Sanitas bona est, igitur amaræ potionis sumptio bona est: deambulatio quoque ante cœnam, & alia huiusmodi, quæ ad sanitatem tanquam ad optatum finem destinantur.

Quæ sunt axiomata, quibus veluti basi cuidam firmæ innituntur argumentationes ex hoc loco sumptæ?

Cuius finis bonus est, ipsum quoque bonum est; nisi sit ex eorum genere, quæ per se mala sunt.

Cuius finis malus est, ipsum quoque malum est.

Quid est effectus finis, seu destinatum ad finem?

Est id quod ad finem aliquem destinatur.

Vt deambulatio, quæ caussa sanitatis suscipitur, effectus est sanitatis.

Quomodo argumentandum est ab effectu finis?

Ab effectu finis ad finem ita argumentamur:

Omnia ad iurisprudentiam necessaria ab homine comparari possunt; igitur iurisprudētia ab homine comparari potest: Omnia ad domus ædificationem necessaria haberi possunt; igitur domus extrui potest.

Recita istius loci canonem.

Quandocūque omnia ad finem aliquem necessariò destinata haberi possunt, ipsum quoque finem obtineri posse iudicandum est.

Quis est vsus locorum caussæ efficientis & finis, effectorumq́ illis respondentium?

Horum locorum varius est & multiplex vsus; nam ad deliberationes plurimùm valent, cùm in deliberatiuo genere duo præcipuè quærantur: Alterum quidem, sitne vtile id de quo deliberatur: alterum verò, an fieri possit: quorum illud ex fine, hoc verò ex efficiente

ciente caussa potissimùm iudicari debet: nam quicquid vtile est, ad aliquod bonum consequendum aptum esse & conducere debet.

Et si quid fieri posse contendamus, aptissima erunt ad id demonstrandum, ex facultate caussæ efficientis, eiúsque effectis ducta argumenta.

Item in demonstratiuo genere, cùm laudare aut vituperare volumus, aptissima ad id rectè laudabiliterque præstandum ex effectis atque fine depromuntur argumenta.

Denique in genere iudiciali, cùm de facto & voluntate dubitatur, opportunè argumenta ex fine sumuntur; vt copiosissimè docet Ludouicus Viues, in eo libro quem De instrumento probabilitatis inscripsit.

Certè in omni genere dicendi non modò efficiens caussa & finis, verumetiam reliquæ duæ caussæ superiùs tractatæ, plurimum valebunt. atque ob id Boëtius omni caussarum generi hunc tribuit canonem: Vnaquæque res ex caussa spectari debet.

Hoc est, qualis sit cuiusque rei natura, ex eius caussis & inquiri & statui debet.

Omitto non contemnendam omnium caussarum ad definitiones conficiendas vtilitatem, de qua abundè superius egimus, cùm libro secundo rationem definiendi traderemus.

De oppositis.

Quomodo definiuntur opposita?

Opposita (vt in proximo post categorias tractatu diximus) sunt voces ita inter se repugnantes, vt neutra earum cum alia similem habeat repugnantiam: cuiusmodi sunt pater & filius, videns & cæcus, albus & niger, homo & non homo.

Quot sunt genera oppositorum?

Quatuor: videlicet { Relata, Contraria, Priuantia, Contradicentia.

De relatis.

Quomodo ducuntur argumenta à relatis?

Ab affirmatione vnius ad alterius negationem, hoc modo: Augustus fuit Octauij filius, ergo non fuit pater eiusdem.

Quid obseruari debet, quando ducimus argumentum à relatis?

Diligenter in hoc argumentorum genere obseruandum est, vt ad idem & in eadem re comparatio fiat. quibus conditionibus omissis, vitiosa & captiosa est ex isto loco ducta argumentatio; cuiusmodi sunt istæ: Hic est pater, ergo non est filius: hic homo est illo homine superior, ergo non est eodem inferior: qui enim in

vno superior est, in altero inferior esse potest. qua de re iucunda est concertatio patris & filij apud Gellium in noctibus Atticis.

Estne alia ratio argumentandi à relatis?

Est; argumentamur enim & hoc modo: Pater est, ergo filius est. item, seruus non est; ergo dominus non est.

Recita canones ad quos dirigenda sunt argumentationes ex hoc loco relatorum sumpta.

Vnus est canon communis omnium oppositorum; videlicet iste: Cuicunque rei tribuitur vnum oppositorum, ab eadem separatur alterum.

Alter huic loco peculiaris est; videlicet;

Vno relatorum posito, alterum poni necesse est; & vno sublato, alterum quoque sublatum esse, rectè concluditur.

DE CONTRARIIS.

Quotuplicia sunt contraria?

Duplicia: { Medium habentia,
Nullum medium habentia.

Quæ autem contraria medium habere dicantur, & quæ nullum habere medium, suprà declaratum est in calce libri secundi sub titulo, De oppositis.

Quomodo ducuntur argumenta ab isto duplici genere contrariorum?

In iis, quæ medium habent, ab affirmatione tantum proceditur ad negationem: vt, Liberalis est, non est igitur auarus.

In iis verò quæ nullum medium habent, sumpto tali subiecto, quod ad ea suscipienda sit idoneum, bifariam argumentari licet: videlicet { Affirmando: vt, Hoc animal est sanũ, non est igitur ægrum. Negando: vt, Hoc animal non est sanum, igitur est ægrum.

Quæ sunt regulæ ad quas diriguntur huius loci argumentationes?

Quando ab affirmatione vnius contrarij, ad negationẽ alterius proceditur, eiusmodi argumentatio vim suam accipit à communi oppositorum canone iam recitato.

Alterum verò argumentãdi genus, à negatione videlicet vnius contrarij medium non habentis, ad affirmationem alterius, hoc nititur axiomate.

Ex iis contrariis, quæ nullum habent medium, si alterum ab aliquo subiecto, quod ad ipsius susceptionem est idoneum, absit, ei subiecto alterum inesse est necessarium.

DE PRIVANTIBVS.

Quot modis argumenta ducere licet ab iis oppositis, quæ priuantia nominantur?

Duobus: Prior est omnium oppositorum communis, videlicet ab affirmatione vnius istorum oppositorũ ad negationem alterius: vt, Homo cæcus est, igitur non videt.

Alter est non omnium oppositorum communis: nimirum à negatione vnius ad alterius affirmationem procedens: hîc tamen notandum est infirmam esse argumentationem, nisi accipiatur subiectum idoneum, & tempus à natura definitum: vt, Puer iste non potest loqui, & tempus transiit à natura constitutum, quo solet loquela donari; igitur mutus est.

Recita canones argumentationum istius loci.

Prior argumentandi ratio fit secundùm communem omnium oppositorum canonē, superiùs in relatorum tractatione positum.

Alter hac regula dirigitur: Priuantium si vnum subiecto idoneo ad ipsius susceptionem non inest, tempore à natura definito, necesse est alterum inesse.

DE CONTRADICENTIBVS.

Quomodo argumentandum est à contradicentibus?

A contradicentibus, quæ Cicero aientia & negantia vocat, affirmando argumentamur & negando, ad hunc modum:

Paulus est sincerus, ergo
Paulus non est non sincerus.

Item: Equus non est homo, igitur
Est non homo.

Huius generis consecutiones suprà latiùs perfectiúsque tractatæ sunt, initio secundæ partis libri tertij.

Quæ est regula istiusmodi argumentationum?

De quolibet est affirmatio vel negatio vera, de nullo verò simul.

Rata quoque effici potest argumentatio per cōtradicentes enuntiationes, hoc modo: si hæc vera est,

Milo est absolutus; istam necesse est falsam esse,

Milo non est absolutus: sed hæc argumentandi ratio non huius loci, sed legis contradicentium est propria; quæ habet:

Contradicentes enuntiationes nunquam simul aut veras aut falsas esse posse.

Est'ne alia ratio argumenta ex oppositis ducendi, quàm quæ modò exposita est?

Aristoteles quendam indicat argumentandi modum in quatuor oppositorum generibus, quem vulgò appellant consequentiam è contrario & in ipso.

E contrario consequentia est, quando non idem oppositorum ordo tenetur in consequente qui est in antecedente, sed ita permutatur, vt subiectum cōsequentis, prædicato antecedentis, & prædicatū consequentis subiecto antecedentis sit oppositum: vt, Omnis homo est animal; ergo omne non animal est non homo. Item, Si homo est, animal est; ergo si non animal est, erit & non homo.

Consequentia in ipso appellatur, quando in consequente idem

oppositorum ordo tenetur, qui est in antecedente, vt subiectum videlicet consequentis, subiecto antecedentis, & prædicatum prædicato opponatur:

Vt, Omnis prudentia est virtus; igitur omnis imprudentia est vitium.

Si quis est prudens, idem est virtute præditus; ergo si quis est imprudens, idem est vitiosus.

Porrò interdum fit permistio oppositorum diuersi generis inter se; vt, Si lumen visum oblectat, tenebræ contristant: Iusti in perpetuum viuent; ergo iniusti in perpetuum morientur.

Huiusmodi exempla sexcenta quælibet ex libris cùm profanis tum sacris colligere poterit, quæ contrariorum inter se contentione & veluti conflictione, mirum dictu, quantam vim habeant ad affectus commouendos. vnde vsum harum argumentandi formularum facilè quiuis maximum esse intelligit.

DE DISPARATIS SEV DIFFERENTIBVS.

Quæ dicuntur disparata?

Disparata dicuntur voces inter se ita repugnantes, vt singula cum aliis quoq; similem habere repugnantiam inueniantur.

Vt sunt homo & equus, lapis & planta.

Quomodo sunt argumenta ducenda ex disparatis?

Ex his ducimus argumenta, quemadmodum ex omnibus oppositis, ab affirmatione vnius ad negationem alterius procedendo: vt, Hæc fera est leo, igitur non est simia.

Referuntur quoque ad hunc locum istiusmodi argumentationes: In foro est, ergo non est ruri: Illo tempore factum est; igitur non hoc tempore: Id Romæ contigit, igitur falsò asseris Neapoli contigisse.

A negatione verò ad affirmationem nulla est hîc argumentatio.

Quæ est regula argumentationum istius loci?

Cuicunque conuenit vnum disparatorum, de eodem rectè negatur alterum.

Quæ conditiones sunt obseruandæ, dum ab oppositis vel disparatis argumenta ducuntur?

In omnibus his oppositorum & disparatorum locis communiter obseruandum est, vt opposita seu disparata sint vel prædicata, vel certè prædicatorum partes præcipuæ: nam si collocentur opposita ex parte subiecti, non erit firma argumentatio: non enim sequitur,

Album est, igitur nigrum non est:
Album est coloratum, igitur nigrum non est coloratum.
Pater est homo, igitur filius eius non est homo.

Item, si opposita vel disparata sumantur tantùm vt partes minus principales prædicati, vitiosa similiter erit argumentatio. vt non sequitur,

Video album, igitur non video nigrum:
Possideo asinum, non igitur possideo bouem.

Veruntamen si opposità sumantur vt partes principales prædicatorum, legitima efficietur argumentatio: rectè enim sequitur à contrariis,

Hic est homo albus, igitur non est homo niger:
Hoc est animal sanum, igitur non est animal ægrum.

Tertio, in hoc argumentationum genere quando in antecedente verbalis copula præteriti aut futuri est temporis, diligens adhibenda est cautio, vt vitetur, ne ratione temporis, quod in omni enuntiatione vel tacitè vel expreßè continetur, progressus fiat à voce generali speciatim in antecedente sumpta, ad eandem in consequente vniuersè acceptam: vitiosa est enim hæc argumentatio: Beatus Iob fuit diues, ergò non fuit pauper. Perinde enim se habet ista argumentatio, ac si manifestius diceretur: Beatus Iob fuit aliquo tempore diues, ergo Beatus Iob nullo tempore fuit pauper. in qua argumentatione vitium, quod modò diximus in isto argumentandi genere vitandum esse, manifestè conspicitur. vitabitur autem & in hac & simili argumentatione istud vitium, si curetur vt tempus vel vniuersè in antecedente, vel speciatim in consequente ponatur, ad eum qui sequitur modum: B. Iob semper fuit diues, ergo non fuit pauper.

Vel sic:
B. Iob fuit diues; ergo, aliquo tempore non fuit pauper.
Vel sic:
B. Iob fuit diues; ergo eodem tempore non fuit pauper.

De maiore.

Quid est maius?

Maius est, quod suæ coniunctionis cum aliquo maiorem habet probabilitatem, quàm alterum cum eodem, aut cum alio comparatum.

Vt, Hector maius est respectu Aeneæ, si vtrunque cum defensione Troiæ conferamus. Similiter vir maius est comparatione pueri, si vterque cum gestatione magni oneris conferatur: probabilius enim est eam gestationem viro quàm puero conuenire. item puer maius est comparatione viri, si vterque cum teneritudine aut flendi procliuitate conferatur.

Quo-

Quomodo ducitur argumentum à maiore?

Ducitur negando tantũ, idque tribus modis,

- *Ratione subiecti tantùm*: vt, Hector non poterat Troiam defendere, neque igitur Aeneas potuisset. Puer non est imbecillis ad ferendos studij labores, neque igitur vir.
- *Ratione prædicati tantùm*: vt, Exercitus hic non sufficit ad expugnandam arcem parum munitam, non igitur expugnabit munitissimam vrbem.
- *Ratione vtriusque simul*: vt, Vir robustus nequit ferre saxum centum pondo, ergo puer non gestabit saxum mille pondo.

Quod est axioma, quo continentur argumentationes medium habentes ex loco maioris desumptum?

Hoc vno axiomate omnes confirmantur:

Si id quod magis videtur, non est verum; neque id quod minus videtur, verum erit.

Aristoteles verò singulis modis singula tribuit axiomata, hæc videlicet:

„ Vno de duobus dicto: si cui magis videtur inesse, non inest; nec „ cui minus videtur inesse, inerit.

„ Duobus de vno dictis: si quod magis videtur inesse, non inest; „ nec quod minus videtur inesse, inerit.

„ Duobus de duobus dictis: si quod alteri magis videtur inesse, „ non inest; nec reliquum reliquo inerit.

De minori.

Quid est minus?

Minus est, quod suæ cõiunctionis cum aliquo minorem habet probabilitatem, quàm alterũ cum eodem, aut cum alio collatum.

Vt, Aeneas minus est respectu Hectoris, si vterque cum fortitudine aut protectione Troiæ comparetur.

Quot modis argumenta ducuntur ex minori?

Totidem modis quot ex maiori, sed affirmando tantùm:

Tribus videlicet modis,

- *Ratione subiecti tantum*: vt, Solus Hungariæ rex potuit Turcam reprimere; multò igitur magis poterunt reprimere Turcam omnium Christianorum coniunctæ copiæ.
- *Ratione prædicati tantùm*: vt, Lex permittit Sabbatis liberare bouem; ergo & hominem.
- *Vtriusque simul*: vt, Christus pro nobis grauissima pertulit supplicia; nos igitur modica, propter eius amorem ferre debemus.

Quod est axioma, in quo situm est robur eiusmodi argumentationum?

Omnes isti modi hoc confirmantur axiomate:

Si minus probabile verum est, quod probabilius est, verum quoque erit.

Secundùm Aristotelem verò tribus diuersis modis res distinctæ attribuuntur regulæ, hæ videlicet:

„ Vno de duobus dicto: si cui minus videtur inesse, inest; etiam „ illi, cui magis videtur inesse, inerit.

„ Duobus de vno dictis: si id quod minus videtur inesse, inest; „ etiam id quod magis videtur inesse, inerit.

„ Duobus de duobus dictis: si quod alteri minus videtur inesse, „ inest; & reliquum reliquo inerit.

DE SIMILIBVS.

Quæ dicuntur similia?

Similia dicuntur, quæ cum aliquo tertio collata, similiter ad ipsum affecta sunt.

Hoc est, Pare cum eo vel cognationis vel alienationis rationem habent: vt corpus hominis & iumentum inter se sunt similia, si cum laboribus tolerandis conferantur; nam vtrunque facilè & sine detrectatione labores perfert, si accedat consuetudo; si verò non accedat consuetudo, vehementer ab illis ferendis vtrunque abhorret.

Quomodo sunt argumenta à similibus ducenda?

Ducuntur ab his argumenta
- *Affirmando*: vt, Iumentum accedente consuetudine sine detrectatione, tolerat labores; igitur & corpus humanum, si longa consuetudine cōdocefiat, libenter tolerabit labores.
- *Negando*: vt, Niniuitæ non perierunt, quia pœnitentiam egerunt; neque igitur nos peribimus, si illorum pœnitentiam imitemur.

Quod est axioma, quo nituntur argumentationes ex loco similium deprompta?

De similibus idem est iudicium.

Firmáne est ista argumentandi ratio à simili?

Similia plus ad illustrandam probationem, quàm ad stabiliendam prosunt: nam infirma ferè argumenta ab illis ducuntur, cùm nulla sit tanta similitudo, quę per omnia extendatur. Itaque quemadmodum inter omnes locos nullus est ad cogendum renitentem aduersarium, similitudine infirmior; ita nullus est ad obsequentem auditorem docendum ducendúmque accommodatior: aperit enim rem si rectè adhibeatur, eiúsque imaginem quandam animo repræsentat; & licet assentiri non cogat, affert tamen quendam dissentiendi pudorem.

DE PARI.

Quod est discrimen inter locum similium & parium?

Inter locum parium & locum similiũ aut nullum, aut certè pertenue esse discrimen, vel hinc intelligi potest, quòd istud exemplum, Parricida secundùm legem in profluentem deiici meretur, ergo etiam matricida, ob par & ęquale facinus, paris & æqualis pœnæ secundùm legem est reus; quòd hoc, inquam, exemplum communi dialecticorum consensu ad locum parium pertinens, rectè etiam ad locum similium referri posse videatur.

Quæ est vtilitas loci eorum similium quæ à Dialecticis paria nominantur?

Huius loci magna est vtilitas, cùm per hunc locum, quod in vno est expressum, in pari quoque statuisse leges intelligantur: sic in Theologicis controuersiis, & aliis cuiusuis generis disceptationibus, casus scripto vel præcepto non expressi, ex eorum qui scripto, aut manifesto præcepto expressi sunt, æstimari atque diiudicari debent.

DE DISSIMILI.

Quæ dicuntur hic dissimilia?

Dissimilia (vt hoc loco considerari debent) sunt, quæ cum re aliqua comparata non similiter ad eam affecta sunt.

Vt, Anima hominis & anima bestiæ dissimiles sunt, si cum immortalitate conferantur; quia immortalitas cognata est animæ hominis, non autem animæ bestiæ: Præterea, Eadem immortalitas aliena est ab anima bestiæ, non autem ab anima hominis.

Quomodo instituenda est argumentatio ex hoc dissimilium loco argumentum assumens?

Ad hunc modum: Dissimiles sunt vox præceptoris & cœna patrisfamilias; non debet igitur mirum videri, præceptoris vocem perinde multis, vt paucis sufficere, licet id de cœna dici non possit.

Quod est axioma, quo nituntur argumentationes ex isto loco desumptæ?

Dissimilium ratio est dissimilis.

ADMONITIO.

Aduertendum est, non tam crebrum esse dissimilitudinis vsum, quàm similitudinis; profuerit tamen ex bonis auctoribus similia dissimiliáque excerpere: nam & ad probationem, quæ aliis argumentis facta est, illustrandam, & ad orationem exornandam & locupletandam plurimùm conducunt.

DE PROPORTIONE.

Quid est proportio?

Proportio est rationum seu comparationum similitudo.

Profer exemplum argumentationis ex hoc loco desumptæ.

Quemadmodum se habet nauarchus ad nauem, ita præfectus reipublicæ ad ipsam rempublicam: Sed nauarchus, non quiuis forte, sed peritissimus rei naualis, diligenti adhibita deliberatione est deligendus: ergo reipub. gubernaculis admouendus est, non quem sors dederit, sed qui est ad reipub. administrationem aptissimus.

Item in numeris: Vt sex se habent ad quatuor, ita duodecim ad octo; sed ibi est proportio sesquialtera, ergo & hîc.

Quo axiomate nituntur istiusmodi argumentationes?

De iis quæ eandem habent proportionem, idem est iudicium.

Quam affert vtilitatem huius loci cognitio?

Multus & creber istius loci vsus est in præmiis atque suppliciis ex æquo & bono, seu ad æquitatis (de qua Aristoteles in 5. Ethicorum libro copiosè & doctè differit) normam constituendis atque moderandis. Deinde apud Rhetores parabolæ, apologi, fabulæ, exempla historica, & complura alia amplificandi instrumenta, tractantur vberiùs ex loco proportionis: vt Erasmus docet in copia rerum, & alij complures inter amplificandi præcepta tradunt.

DE PERMVTATA PROPORTIONE.

Quid est permutata proportio?

Permutata proportio est, quando duarum similium rationum fundamenta inter se, & termini inter se, permiscentur.

Profer exemplum argumentationis ex isto loco deprompt æ.

Sicut se habent octo ad quatuor, ita se habent duodecim ad sex, scilicet proportione dupla; ergo vt se habent duodecim ad octo, ita se habent sex ad quatuor, nimirum proportione sesquialtera. Cuius exempli intelligentiam istud schema sub aspectū subiicit;

Fundamenta	Termini
8	4
12	6

Item, Quemadmodum sese habent nouem ad tria, ita sese habent duodecim ad quatuor, nimirum proportione tripla; ergo quemadmodum sese habent nouem ad duodecim, ita sese habent tria ad quatuor, nimirum proportione subsesquitertia.

Cuius exempli hoc est schema;

Fundamenta	Termini
9	3
112	4

Quæ ſunt regulæ iſtiuſmodi argumentationum?

Si primi ad ſecundum, & tertij ad quartum, eadem eſt ratio; erit & tertij ad primum, & quarti ad ſecundum ratio eadem.

Rurſus, Si primi ad ſecundum, & tertij ad quartum, eſt ratio eadem; certè primi ad tertium, & ſecundi ad quartum, erit eadem ratio. quæ regulæ etiam extra numeros locum habent; veluti in hoc exemplo:

Quam rationem habet ignis ad aërem, eandem habet aqua ad terram; ergo ſicut ſe habet ignis ad aquã, ita ſe habet aër ad terram; vel, ergo ſicut ſe habet aqua ad ignem, ita ſe habet terra ad aërem.

Cuius exempli ocularis demonſtratio ſequitur.

	Fundamenta	Termini	
1m	Ignis,	Aër,	2m
3m	Aqua,	Terra,	4m

DE AVCTORITATE.

Quid eſt auctoritas?

Auctoritas nihil aliud eſt, niſi teſtimonium fide dignum.

Quomodo ducitur argumentum ab auctoritate?

Tantùm affirmando: vt, Natura duce tradunt philoſophi morales, Niſi animus fuerit ſanatus, nullum vnquam fore miſeriarum finem; igitur hoc verum eſt. Rurſus dicit Propheta, Non eſt pax impiis: item, Impij quaſi mare feruens, quod quieſcere non poteſt; ergo ita ſe res habet.

Quod eſt axioma. quo nituntur huius loci argumentationes?

Vnicuique erudito in ſua ſcientia credendum eſt.

Item: Quod omnibus vel pluribus vel maximè ſapientibus videtur, ita ſe rem habere probabile eſt, nec ſine graui cauſſa ab eorum iudicio eſt recedendum.

Recense auctoritatum genera, & ex quibus firmæ, ex quibus probabiles, & ex quibus captiosæ ducantur argumentationes, breuiter expone.

- Auctoritatum duo sunt genera: videlicet,
  - Auctoritas diuina: quæ, teste Dionys. Areopag. Epiphanio, Basilio Magno, & in primis Apostolo Paulo, est bipartita, videlicet,
    - Ἔγγραφος, id est, in aliquo sacræ scripturæ libro expresse posita.
    - Ἄγραφος, id est, In nullo quidem sacræ scripturæ libro expressè & syllabatim posita; diuinitùs tamé hominibus per aliam viam (nimirũ per viuam Christi vel Apostolorũ vocem) tradita.
    - Hinc ductæ argumentationes sunt
      - Firmæ & legitimæ, Si ipsa auctoritas fideliter & sinceré proferatur, eóq. sensu, quem Spiritus sanctus in ipsa dictanda vel suggerenda spectauit, accipiatur.
      - Infirmæ & captiosæ,
        - Si ipsa auctoritas sit vitiata
          - Additione
            - Vnius verbi aut pluriũ,
            - Syllabæ,
            - Litteræ.
          - Subtractione
            - Vnius verbi aut pluriũ,
            - Syllabæ,
            - Litteræ.
          - Mutatione
            - Vnius verbi aut plurium,
            - Syllabæ,
            - Litteræ,
            - Diphthongi,
            - Aspirationis,
            - Diæresis,
            - Synæresis.
        - Vel si ipsa auctoritas illæsa manens, non eo sensu, quem in ea dictanda vel inspiranda Spiritus sanctus respexit, sed quem deprauatus hominis animus suggessit, accipiatur.
  - Auctoritas humana: quæ est tripartita, videlicet,
    - Scripta, vt sunt
      - Chirographũ
        - Obligans,
        - Obligationem tollens.
      - Plebiscitum,
      - Senatusconsultum,
      - Lex,
      - Tabulæ.
    - Voce pronunciata
      - Libera,
        - Rumor,
        - Sententia viri prudentis.
      - Coacta,
        - Religione iurisiurandi extorta,
        - Tormentorum dolore expressa.
    - Vsu seu consuetudine populi confirmata.
    - Vnde ducitur argumentatio
      - Probabilis, Si genuina & nulla ex parte vitiata proferatur auctoritas.
      - Fallax, Si vel adulterina loco genuinæ, vel genuina quidé, sed aliqua ex parte vitiata, aut ad alienum sensum detorta, producatur auctoritas.

Apostoli

Apostoli Pauli verba, quibus auctoritatem diuinam ad eum modum, quo eam partiti sumus, diuidendam esse insinuat, sunt ista:

Ἄρα οὖν, ἀδελφοί, στήκετε, καὶ κρατεῖτε τὰς παραδόσεις ἃς ἐδιδάχθητε, εἴτε διὰ λόγου, εἴτε δι᾽ ἐπιστολῆς ἡμῶν.

Id est: Itaque, fratres, state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.

2. epist. ad Thess. cap. 2.

Dionysij Areopagitæ verba, quibus eadem diuisio approbatur, sic habent:

Οὐσία γὰρ τῆς καθ᾽ ἡμᾶς ἱεραρχίας ἐστὶ τὰ θεοπαράδοτα λόγια· σεπτότατα δὲ λόγια ταῦτά φαμεν, ὅσα πρὸς τῶν ἐνθέων ἡμῶν ἱεροτελεστῶν ἐν ἁγιογράφοις ἡμῖν καὶ θεολογικαῖς δεδώρηται δέλτοις· καὶ μὴν ὅσα πρὸς τῶν αὐτῶν ἱερῶν ἀνδρῶν ἀϋλοτέρᾳ μυήσει, καὶ γείτονί πως ἤδη τῆς οὐρανίας ἱεραρχίας ἐκ νοὸς εἰς νοῦν διὰ μέσου λόγου, σωματικοῦ μὲν ἀϋλοτέρου δὲ ὅμως, γραφῆς ἐκτὸς, οἱ καθηγεμόνες ἡμῶν ἐμυήθησαν.

Eccles. Hierarch cap. 1.

Id est: Nostræ enim Hierarchiæ ecclesiasticæ substantia tota in verbis à Deo traditis collocata est. Hæc porrò veneranda Dei verba dicimus, quæcunque ab iis, qui nos sacris initiarunt, in hagiographis theologicisque nobis prodita sunt libris: ac præterea quæcunque ab iisdem sanctis viris purgatiori doctrina, & vicina quodammodo cælesti illi hierarchiæ, ex mente in mentem medio sermone (corporali quidem purgatiori tamen) sine scripto duces nostri edocti sunt.

Epiphanij eôdem pertinentia verba sunt hæc:

Δεῖ δὲ καὶ παραδόσει κεχρῆσθαι, οὐ γὰρ πάντα ἀπὸ τῆς θείας γραφῆς δύναται λαμβάνεσθαι, διὸ τὰ μὲν ἐν γραφαῖς, τὰ δὲ ἐν παραδόσει παρέδωκαν οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι.

Lib. 2. Hæres 71.

Id est: Oportet autem & traditione vti: non enim omnia à sacra scriptura accipi possunt. quapropter aliqua in scripturis, aliqua in traditione sancti Apostoli tradiderunt.

Hac eadem de re luculentum Basilij Magni testimonium continent illa ipsius verba, quibus ait:

Τῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πεφυλαγμένων δογμάτων καὶ κηρυγμάτων, τὰ μὲν ἐκ τῆς ἐγγράφου διδασκαλίας ἔχομεν, τὰ δὲ ἐκ τῆς τῶν ἀποστόλων παραδόσεως, διαδοθέντα ἡμῖν ἐν μυστηρίῳ παρεδεξάμεθα, ἅπερ ἀμφότερα τὴν αὐτὴν ἰσχὺν ἔχει πρὸς τὴν εὐσέβειαν.

De Spiritu sancto, cap. 27.

Id est: Eorum, quæ in ecclesia conseruata & prædicata sunt, dogmatum quædam ex scripta habemus doctrina, alia ex Apostolorum traditione, nobis in mysterio tradita, suscepimus; quæ vtraque ad religionem Christianam, eandem vim habent.

Cur

Cur vno consensu affirmant veteres, vt Aristoteles, Cicero & Quintilianus, auctoritatis locum ab arte remotum esse, cùm non minoris artis sit aptum ex isto loco argumentum, quàm ex aliis depromere?

Aristoteles, Cicero, &, qui eos secutus est, Quinctilianus, consuetudinem respexerunt iudiciorum, in quibus ea probatio, quæ testibus fit, ad patroni vel oratoris artem non pertinet, quippe quæ ipso tacente peragitur: Nihilominus tamen rectè ad artem iste locus non minus quàm cæteri, referri potest, quatenus orator ad suæ sententiæ confirmationem, idoneum aliquod siue humanum siue diuinum producit testimonium, & illustrium scriptorum dictis aut scriptis, suæ orationi pondus, grauitatem atque fidem comparare nititur.

Quis est vsus huius loci ab auctoritate?

Multiplex & varius est huius loci vsus: Primùm in humanis disciplinis, cùm aliquis instituendus est, is (vt Aurelij Augustini & verbis & sententia vtar) duplici via ducitur, auctoritate & iudicio seu ratione: & tempore quidem auctoritas, natura verò ratio prior est. Itaque quamuis imperitis adhuc auctoritas videatur esse accommodatior (credere enim, vt Aristoteles in reprehensionibus ait, & indubitatam fidem habere eum oportet, qui discere aliquid velit) ratio tamen aptior est eruditis. Auctoritas igitur imperitis adhuc ianuam quodammodo aperit doctrinarum, & discentem ducit: ratio autem eundem iam eruditum pressis vestigiis hærere facit, & sua luce reconditos scientiarum recessus collustrans, omnia apertiùs distinctiúsque demonstrat.

Præterea, cùm in artibus omnibus, tum maximè in grammaticis & theologicis disputationibus, in quibus ferè sola auctoritate pro ratione vtimur, plurimus est huius loci vsus.

Iis quoque omnibus, qui in iudiciis & caussis ciuilibus versantur, vtilissimus est iste locus; nam iudiciales loci à testibus, legibus, institutis maiorum, & consuetudine, omnes ad auctoritatis pertinent locum.

De translatione.

Quid est translatio?

Translatio est verbi à propria significatione ad impropriam, propter rerum significatarum similitudinem, accommodatio.

Quæ argumentatio dicitur esse sumpta ex translatione?

Ex translatione propriè argumentamur, cùm nomen aliquod per metaphoram transfertur, & deinde ex re, non quam eo in loco,

loco, sed quam propriè significat, ducitur argumentum. cuiusmodi est ista Paridis cum Helena argumentatio,

—— Quis enim celauerit ignem,
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Ibi ignis pro amore ponitur; sed non ab amore, verùm à natura ignis, ducitur argumentum; cùm dicit, Lumine qui semper proditur ipse suo; tanquam de vero igne loquatur.

Item ista: Diabolus est metuendus; quis enim rugientem leonem, & quærentem quem deuoret, non metuat?

Quid est translatio generatim accepta?

Est cùm verbum aliquod à propria & genuina significatione ad alienam, vel ornatus, vel necessitatis, vel alia de caussa transfertur.

Quomodo argumentari oportet à loco translationis generatim accepta?

Firma & legitima ex hoc loco est argumentatio, quæ à translato nomine ad proprium, vel contrà, progreditur:

Vt si quis talem conficiat argumentationem, Cæcus est amor; igitur qui amant, iudicãdi vim impeditam & obscuratam habent.

Quibus regulis huius loci argumentationes diriguntur?

Quod cuipiam conuenit sub nomine translaticio, idem conuenit sub nomine proprio; & contrà.

Quis est vsus translationis?

Translationis generatim acceptæ vsus tam latè patet, quàm tropi rhetorici extendũtur, præcipuè metaphora & allegoria; quas figuras in litteris sacris esse constat creberrimas. In exornanda verò Rhetorum flosculis, elocutionisque schematibus oratione quodcunque genus caussæ tractetur, primas translationem tenere, nemo est doctorum hominum, qui neget: quapropter magnopere expedit, iuuentutem in hac excolenda diligenter exerceri.

DE LOCIS MEDIIS, ET PRIMVM de coniugatis & casibus.

Quæ sunt coniugata?

Coniugata sunt abstractum & alia vox eiusdem significationis ab eo deriuata & deducta.

Cur hæc dicuntur coniugata?

Quia eidem quasi iugo astricta tenentur, quòd eandem habeant principalem significationem: vt, Sapientia, sapiens, & sapienter.

Quomodo definiuntur casus?

Casus sunt plures voces eiusdem principalis significationis ab eodem abstracto deriuatæ.

Cur istæ voces appellantur casus?

Quia per quandam deflexionem cadunt ab eodem abstracto: vt, iustus & iustè, à iustitia.

Quæ differentia sæpenumero tamen confunditur: vt apud Ciceronem, qui locum à casibus non distinguit à coniugatorum loco, sed illum sub hoc comprehendit.

Quomodo argumenta ducuntur à coniugatis & casibus?

A coniugatis & casibus bifariam ducuntur argumenta, tum aientia, tum negantia, per prædicata laudem aut vituperium significantia; interdum per alia:

Videlicet,

Subiecti ratione tantùm: vt,
Iustitia est laudanda, ergo
Iustus est laudandus.
Iustitia non est vituperanda, ergo
Iustus non est vituperandus.
Obedientia sancta est, igitur
Sanctum est obedire.

Subiecti & prædicati ratione simul, idque à duobus concretis ad duo abstracta; vel à duobus abstractis ad duo concreta affirmando & negando:

vt, Currens mouetur, ergo cursus est motus.
Item, Album est coloratum, ergo albedo est color.
Et contrà, Cursus est motus, ergo currens mouetur:
Albedo est color, ergo album est coloratum.

Quæ conditiones sunt in hoc genere argumentandi obseruandæ?

Hîc obseruandum est, vt euitentur prædicationes per accidens; non enim sequitur,

Album est dulce, ergo albedo est dulcedo: Nec contrà,
Albedo non est dulcedo, ergo album non est dulce.

A casibus similiter ducimus argumenta: vt,
Currere est moueri, ergo currens mouetur.

Recita axiomata, quibus nituntur argumentationes ex his locis coniugatorum & casuum desumptæ.

Quod vni conuenit coniugatorum, & alteri conuenit.

Si duo diuersa abstracta, vel concreta, inter se conueniant; respondentia quoque illis coniugata inter se conuenient.

Item: Coniugatorum in eo quòd coniugata sunt, vna est eademque natura.

Casuum in eo quòd casus sunt, eadem est natura.

DE DIVISIONE.

Quid est diuisio?

De diuisione, quid sit, & quid in ea sit obseruandum, quas partes & quem vsum habeat, suprà dictum est, cùm ageretur de ratione diuidendi.

Quomodo à diuisione ducuntur argumenta?

A diuisione ducuntur argumenta,

Primò, à negatione vnius membri aut plurium, sed non omnium, ad affirmationem membri non negati. Cùm enim diuisum de quopiam verè dicitur, & ab eodem omnia diuidentia membra, vno excepto, remouentur, legitima ratiocinatione infertur illud membrū, quod exceptum erat, eidem cui diuisum tribuebatur, conuenire: vt, Omne animal aut est sanum aut ægrum; Paulus est animal, & non est æger, ergo est sanus.

Secundò, ab affirmatione vnius membrorum diuidentium ad negationem alterius vel aliorum: vt, Animalium aliud sanum, aliud ægrum; sed Paulus est sanus, ergo non est æger.

Quæ sunt axiomata eiusmodi argumentationum?

Cum quo conuenit diuisum, cum illo necesse est aliquod membrorum diuidentium conuenire.

Legitimæ diuisionis membra ita distincta sunt, vt neque de se mutuo, neque de eodem tertio, saltem eiusdem respectu, & eadem ratione, dici queant. Quorum axiomatum rationem & latiorem explicationem videre licet in eo tractatu, de modo definiēdi atque diuidendi, quem ad calcem secundi libri suprà adiecimus.

APPENDIX QVORVNDAM locorum ex Aristotele.

Solent iis locis, quos hactenus explicuimus, alios quosdam ex Aristotelis doctrina adiungere, quorum primus est à comparatiuo ad positiuum, qui vulgò dicitur Locus à magis ad simpliciter, & contrà: Alius, à binis positiuis ad binos comparatiuos & superlatiuos, & contrà: Tertius denique, ab appositione: de quibus omnibus, vt eorum postulat facilitas, breuissimè agemus.

Quomodo argumentari oportet à comparatiuo ad positiuum?

A comparatiuo ad positiuum solùm affirmando argumentamur.

Vt, Virgilius doctior poëta est Horatio, ergo
Virgilius est doctus poëta.
Mel dulcius est lacte, igitur
Mel dulce est.

Quæ est regula huius generis argumentationum?

De quo comparatiuus propriè acceptus verè dicitur, de eo & positiuum dici necesse est.

Diximus autem [propriè acceptus] quòd ex comparatiuo impropriè sumpto positiuum inferre non liceat: vt ex ista vitiosa ratiocinatione liquet: Mare Caspium (teste Q. Curtio) dulcius est cæteris maribus; igitur mare Caspium est dulce; in qua [dulcius] non propriè, sed pro minus amaro accipitur.

Quomodo argumentandum est à positiuo ad comparatiuum?

A positiuo ad comparatiuum argumentamur solùm negando.

Vt, Zoilus non fuit doctus poëta,
Ergo non fuit doctior poëta Homero.

Quæ est norma huiusmodi argumentationum?

De quo positiuus non dicitur, nec comparatiuus.

Habent ne isti loci cum aliquibus superioribus affinitatem?

Habent, eámque maximam: Prior cum loco à parte in modo ad totum, siue à specie ad genus: alter contrà, cum loco à toto ad partem. Nam re vera comparatiuus cum positiuo collatus species quædam est, seu vox minus communis; idque magis apparet, si comparatiuus per aduerbium (magis) efferatur.

Quomodo duci debent argumenta à binis positiuis ad binos comparatiuos & superlatiuos?

Hoc modo: Quod bonum est, iusta ratione diligitur; ergo quod melius est, ratione iustiori diligitur; & quod optimum est, iustissima diligitur ratione.

Obedire sanctum est; ergo magis obedire sanctius est; & maximè obedire, sanctissimum est.

Recita exemplum aliquod argumentationis in qua proceditur à duplici comparatiuo ad duplicem positiuum respondentem.

Vt, Quod est honestius, laudabilius est; igitur quod est honestum, laudabile est.

Profer exemplum argumentationis à duplici superlatiuo ad duplicem positiuum progredientis.

Vt, quod est turpissimum, maxima vituperatione dignum est; ergo quod est turpe, magna vituperatione dignum erit.

Quæ sunt conditiones hic obseruandæ?

In locis iam expositis vtendum est eiusmodi enuntiationibus, quarum subiecta & prædicata naturalem & necessariam inter se habeant connexionem: nec enim sequitur, Qui doctus est, probus est; ergo qui doctior, magis est probus; & doctissimus, maximè probus erit.

Quæ

Quo axiomate nituntur eiusmodi argumentationes?

Quæ inter se cohærent in positiuis, eandem quoque cohærentiam in comparatiuis & superlatiuis retinent; & contrà.

Est'ne alia ex positiuis ad comparatiuos superlatiuosq́; probandos, & contrà, ex comparatiuis superlatiuisq́;, ad positiuos inferendos, argumenta ducendi ratio?

Est: nam positiuus ad comparatiuum & superlatiuum relatus, totius in modo; & viciſſim comparatiuus & superlatiuus ad positiuum relatus, partis in modo, vim naturámque obtinet. Proinde ſicut ex toto in modo ad eius partem probandam, ita ex positiuo ad comparatiuum superlatiuúmque ſtatuendum argumenta ducuntur. Et viciſſim, quemadmodum ex parte in modo ad eius totum, ita ex comparatiuo & superlatiuo ad eorum positiuum, ratiocinatio eſt inſtituenda: firma enim eſt iſta argumentatio, Omnes docti cenſent voluptati honeſtatem eſſe præferendam; igitur etiam doctiſſimi quique idem iudicant.

Item iſta: Sapientiſſimi quique aſſerunt ſolem multis partibus terra eſſe maiorem; igitur aliqui ſapientes idem exiſtimant.

DE APPOSITIONE SEV ADIECTIONE.

Profer huius loci exemplum.

Ignis admotus aquæ, ipſam calefacit; ergo
Ipſe calidus eſt.

Item in moralibus:

Theophraſtus ex conuictu & conſuetudine Ariſtotelis, factus eſt probus & eruditus philoſophus; ergo Ariſtoteles probus & eruditus philoſophus erat.

Ad quem canonem diriguntur huius generis argumentationes?

Quam ſibi qualitatem contrahit res vna ex alterius commercio & coniunctione, eandem quoque in altera re fuiſſe, conſequitur.

Quis eſt communis omnium locorum vſus?

Maximus eſt vſus, maximáque vtilitas locorum; idque vel hinc facilè coniici poteſt, quòd pari cura atque diligentia à Dialecticis & Rhetoribus de locis præcepta tradita eſſe videamus, neceſſitate vtroſque ad id faciendum cōpellente: orationis enim & argumentationis, quæ duo propria ſunt eorum opera (in quibus perficiendis atque limandis vniuerſa eorum ars & induſtria verſatur) tota vis & præcipua laus ex rationum momentis, quæ ex locis commodiſſimè ſumuntur, pendet.

Quocirca non immeritò Antonius in ſecundo libro de Oratore, cenſet dandam eſſe operam; vt quemadmodum ſcribentibus vltrò ſe figuræ ingerunt litterarum, ita oculis ſe offerant loci,

nec procul nec diu quæsiti; statimque ostendant, quid in medium proferri maximè conueniat.

Vix enim vlla res paulò copiosiùs tractari, vix vllius eruditi viri scriptum penitius inspici potest, nisi referat se animus ad hos locos, eosque tanquam certos quæsitæ rationis indices sequatur: nam sicut piscator, venator, & auceps, certos quosdam definitósque locos habent, in quibus, etsi non semper, sæpè tamen quæsitam feram inueniunt; ita Dialecticus superiùs declaratos locos cognitos habeat oportet, è quibus, tanquam è latibulis quibusdam, argumenta in rem omnem & ipse eruere, & ab aliis eruta agnoscere possit.

De isto eodem locorum vsu eximiáque vtilitate copiosè simul & eruditè disserit Rodolphus Agricola libri primi De inuentione Dialectica cap. 1. his verbis:

„ Cùm nulli dubiæ rei queat ex se constare fides, sed ex aliis „ quibusdam notioribus atque magis exploratis, de vnoquoque „ certitudinem colligamus necesse est: iámque cùm alij mentis „ acumine freti, vberius expeditiúsque argumentum ad fa- „ ciendam fidem excogitent; alij contrà, hebetiore mentis vi „ ad rerum obtutum caligent, & vel nihil, vel seró, quid qua- „ que de re dici possit, inuenire queant; vtilissimum videntur „ fecisse, qui sedes quasdam argumentorum (quos locos dixe- „ runt) excogitauere, quorum admonitu velut signis quibusdam „ circunferremus per ipsas res animum, & quid esset in vnaqua- „ que re probabile aptúmque instituto orationis nostræ perspi- „ ceremus. vtilem autem esse hanc locorum rationem apparet „ tum magnæ parti humanorum studiorum; quandoquidem „ pleraque in ambiguo hærent; & differentium certaminibus „ sunt exposita: tum verò eis præcipuè confert, qui tractant il- „ la, quorum nullæ traditæ sunt artes: dico, qui consilio rem- „ publicam gubernant, quos de pace, bello, cæterisque ciuitatis „ negotiis in rem præsentem, sæpe senatui, sæpe populo, fidem „ facere oportet; quique in iudiciis item accusare, defendere, „ petere, abnuere, quique populum docere iustitiam, religio- „ nem, pietatem, in professo habent. Et paulò pòst:

„ Nec instruere, inquit, solùm os facultas ista, & tantùm di- „ cendi copiam subministrare, sed prouidentiam animi, & rectè „ consulendi quoque viam aperire videtur. Quando non alia re „ prudentiam constare apparet, quàm perspicere, quid in quaque „ re sit positum, & consentanea repugnantiáque, & quò quidque „ ducat, quid ve euenire possit, colligere. Hoc autem ipsum con- „ firmat statim subiecto exemplo de Cicerone & Demosthene, „ quibus prudentiæ consilijque laus vel ab æmulis est concessa;

„ quòd quæ dicebant in ſenatu, in foro anteà prudenter (admini-
„ culo ſcilicet locorum) cogitaſſent: nam dicere (inquit) pruden-
„ ter, niſi qui prudenter cogitarit, non poteſt.

Conſtat igitur, hanc locorum dialecticorum facultatem philoſopho, oratori, dialectico, & omnibus inſuper, qui vel oratione diſſerunt, vel tacita meditatione in quęſtióne aliqua tractanda verſantur, non vtilem modò, ſed planè neceſſariam eſſe. Diligenter ob id in hanc Dialecticę partem omnibus, qui ad præſtantiſſimos iucundiſſimóſque Dialecticæ fructus percipiendos aſpirant, incumbendum eſt, & aſſiduo vſu atque exercitatione huius partis confirmanda cognitio. Ad quam conſequendam plurimùm etiam profuerit diligentem nauaſſe operam in argumentationibus probatorum ſcriptorum ad ſuos locos reuocandis.

Quod quomodo ſit faciendum, tradit Rodolphus ſecundi libri capite decimonono.

Nec minus vtile fuerit, ſecundùm eiuſdem conſilium & doctrinam, locis probè cognitis, plurimas res, de quibus fortè aliquando dicturi ſumus, per ſuos deducere locos, & quid ex ſingulis locis de iis dici queat, ſtudioſè diligentérque expendere. vt autem rem aliquam ita deſcribere rectè quis poſſit, prius omnem eius naturam proprietatémque ex penitioribus artium penetralibus perſpectam habeat oportet: Reliquæ enim artes materiam inuentioni præbent; Dialectica verò inueniendi docet rationem. De quibus omnibus copioſè agit idem Rodolphus libri iam citati capite vicesimo.

Porrò, vt non modò verbis, ſed etiam re ipſa locorum commendemus vtilitatem, quantum proſint loci tum ad rationum firmitatem inueniendam, tum ad orationis copiam efficiendam, vnius thematis fuſiori explicatione variis ex locis collecta oſtendere nitemur. In qua thema ipſum, non quidem iiſdem verbis, quibus propoſitum fuerit, ieiunè & ſuperſtitioſè repetemus; ſed probatorum ſcriptorum more, ſententia eius fideliter conſeruata, varia & multiplici concludendi ratione, tædio lectoris occurrere ſtudebimus. Nec etiam vſitatioribus & frequentioribus (qui à nobis antè expoſiti ſunt) argumentorum ex locis ducendorum modis, ita erimus alligati, quin alios quoque non ſpernendos, ſi noſtro ſeruiant propoſito, amplectamur: quod vbi ſit factum, haud difficulter attentus ſenſerit lector. Sit igitur exempli cauſſa iſtud thema,

Homo diligenter virtutem colere debet.

In aliqua oratione, concione aut epiſtola latiùs explicandum.

1 Primùm ea argumenta, quæ ſubiecti conſideratione à locis ſuppeditantur, erunt colligenda.

2 Deinde ad eas probationes, quæ attributi respectu ab iisdem locis subministrantur, progredi debebit oratio.

3 Et postremò ad eas rationes, quæ ex locis, vtriusque & subiecti & attributi respectu eliciuntur, veniendum erit, ad eum, qui sequitur, modum:

PRIMO:

Consideratione subiecti, argumenta proposito themati probando idonea ex locis colligere licebit ad hunc modum:

EX DEFINITIONE.

Homo animal est nobilissimum, rationis atque cōsilij particeps, & ad diuini numinis similitudinem creatum: maximè igitur decet, vt eius vita in omnibus suis partibus virtute atque probitate, quæ ad amussim cum recta ratione conueniunt, sit exornata.

Eadem argumentatio simpliciter & scholarum more sic efferretur:

Animal rationis particeps decet studium virtutis; igitur hominem decet studium virtutis.

EX INTERPRETATIONE, seu etymologia.

Creaturam ex humo, id est, ex limo terræ creatam, maximè decet supercilio demisso, atque omni fastu, inaniq́ue arrogantiæ tumore deposito, præceptis Dei creatoris sui obtemperare, & eius legem studiosè atque religiosè seruãdo, virtutem colere; Hominem igitur hoc vili humiliq́ue principio ortum, maximè decet omni fastu, & inani arrogantiæ tumore abdicato, ad diuinam legem seruandam, virtutémque colendam, omnem suam operam atque studium conferre.

Simpliciter verò & scholarum more sic eadem argumentatio efferretur:

Animal ex humo, seu limo terræ creatum, debet præceptis creatoris sui parêre; igitur homo debet pręceptis sui creatoris parêre.

EX MATERIA.

Homo instar mutorum & stupidorum omniq́ue sensu vacantium corporum, ex quatuor constat elementis; vt omnes medicinæ & naturalis philosophiæ asserunt magistri, quapropter non superbè, non arroganter, sed modestè, submisse, humanitérque in omnibus suæ vitæ partibus sese homo suæ conditionis memor gerere debet.

Simpliciter & scholarum more sic efferretur:

Homo conflatus est ex vili & communi cum inanimis corporibus

ribus materia; ergo animi summissio, & obedientiæ virtus maximè illum decet.

EX FORMA.

Quandoquidem inter omnes constat, & omnium indè ab initio mundi seculorum fide atque consensu firmata sententia est, hominem immortali & æternæ felicitatis capaci animo, diuina bonitate atque ordinatione præditum esse: cæcus sit oportet, qui non videat, omnes labores atque conatus homiuis, ad virtutes comparandas, quibus ad cælestem vitam æternámque beatitudinem peruenitur, esse referendos.

Simpliciter verò & scholarum more sic efferretur:

Homo constat ex animo æternę felicitatis capaci; igitur virtuti, qua ad illam felicitatem peruenitur, diligenter studere debet.

EX GENERE.

Generi animalium omni est à natura tributum, vt se saluum & quàm optimè affectum esse velit: homini ergo studium virtutis, qua vna & optimè affectus in præsenti vita esse, & in sequenti ęternæ salutis pręmium consequi potest, non modò decens atque conueniens est, verumetiam naturale.

Simpliciter verò & scholarum more sic efferretur:

Omne animal quærere debet quod suæ naturæ conueniens est; igitur homo quærere debet virtutem, quæ ipsius naturæ maximè conuenit.

EX SPECIE.

Et diuites & pauperes, & iuuenes atque senes, viri item atque mulieres, cuiuscunque sint ordinis aut conditionis, ad rectè laudabilitérque vitam instituendam, virtutis adminiculo opus habent; vniuersis igitur hominibus ad rectè piéque viuendum virtus est necessaria, eiusque studium sollicitè diligentérque amplectendum.

Simpliciter verò & scholarum more sic efferretur eadem ratiocinatio:

Diuites & pauperes debent studere virtuti, ergo homines debent studere virtuti.

EX COMMVNITER ACCIDENTIBVS.

Absoluto vitæ præsentis breui curriculo, omnium dictorum, factorum, atque cogitatorum ante tribunal summi iudicis Dei rationem quilibet homo reddere debet, accepturus pro rectè factis quidem amplissimam mercedem, pro peccatis verò digna supplicia; igitur homini dum viuit, declinatis vitiis, omni studio virtutes, vnde rectè facta promanant, amplectendæ sunt atque colendæ.

Simpliciter verò & scholarum more sic efferretur:

Reddenda est aliquando acerrima ratio totius anteactæ vitæ, & pro ea, siue rectè siue perperam acta, merces digna recipienda; ergo vitatio peccatorum & virtutis studium meritò illud tempus antecedere deberent.

EX CAVSSA EFFICIENTE.

Quandoquidem à summo Deo, omnis bonitatis, excellentiæ, atque virtutis auctore, & exemplari perfectissimo, creatus est homo, ita vt etiam ad eius imaginem sit formatus, summoperè decet hominem sui creatoris excellentiam, quatenus potest, imitari, & eius speciem aliquam atque similitudinem, in sua vita piè, sanctè, laudabilitérque instituenda, virtutibusque exornanda, repræsentare.

Simpliciter verò & scholarum more sic efferretur:

Deus est optimus; igitur homini, qui est eius effectus, maximè conuenit bonitas.

EX FINE.

Eius beatitudinis, ad quam humanum genus conditum esse & prophetica & apostolica passim testatur scriptura, tanta est magnitudo & excellentia, vt eam nemo in ista mortali vita, non modò verbis explicare, sed ne cogitatione quidem comprehendere possit; homini ergo ad eiusmodi ineffabilem beatitudinem creato, studium virtutis qua vna ad istius beatitudinis gloriam peruenitur, vel in primis est necessarium.

Simpliciter verò & scholarum more sic efferretur:

Aeterna beatitudo res est longè optima; ergo homo, cuius talis est finis, bonus esse debet.

SECVNDO:

Attributi respectu ad propositum thema probandum ex locis ad eum, qui sequitur, modum argumenta depromere licebit.

EX DEFINITIONE.

Magnam diligentémque operam meritò homines ponere debent in eo habitu sibi comparando, qui honestas, laudabiles, Deóque gratas actiones reddit, iucundas, faciles, atque stabiles; magnam igitur diligentémque operam in virtute (vnde tam præstantes nascuntur fructus) comparanda atque colenda meritò homines ponere debent.

Simpliciter verò & scholarum more ita eadem ratiocinatio efferretur:

Homo debet studere tali habitui, vnde honestæ, iucundę, & stabiles profluunt actiones: ergo virtuti homo studere debet.

EX DESCRIPTIONE.

Eam rem summa diligentia omniq́ue conatu sectari decet homines, quæ sibi non vanam neque breuem, sed veram sempiternámque & apud homines & apud Deum parit gloriam; ad virtutem igitur, quæ istud præstat, comparandam omni studio atque vigilantia homines contendere debent.

Simpliciter & scholarum more sic efferretur eadem argumentatio:

Ea res, quæ homini gloriam sempiternam parit, apud Deum & apud homines est studio digna; igitur virtus est studio digna.

EX INTERPRETATIONE, seu etymologia.

Cùm nihil aliud sit virtus, si nominis origo atque ratio diligentiùs inspiciatur, quàm eximia quædam animi affectio, atque excellentia viro digna; dubitandum non est, quin grauissimè peccent, totóque cęlo aberrent, qui re tam illustri & homini vsque adeò decora prætermissa, in diuitiis aut voluptatibus corporis vndequaque conquirendis omne suum studium & operam ponunt.

Simpliciter verò & scholarum more idem ad hunc modum diceretur:

Hominem decet excellentia viro digna; ergo hominem decet virtus.

EX GENERE.

Perspicuum est, homini ad eas res omnes, quibus humana natura excolitur atque perficitur, consequendas studiosè incumbendum esse: constat quoque in eiusmodi rebus principatum tenere virtutem; quippe qua & mens ad veritatem cernendam illustratur, & voluntas ad honestatem amplectendam inducitur; planum igitur est, omni ope, omni conatu atque diligentia ad virtutem comparandam homini enitendum esse.

Simpliciter verò & scholarum more idem sic efferretur:

Homo eniti debet, vt eas res omnes sibi comparet, quibus sua natura perficitur; igitur homo eniti debet, vt sibi virtutẽ comparet.

EX SPECIE.

Fortitudinis atque temperantiæ studium omnibus ex æquo conuenit, imò necessarium est; quòd hæc à cupiditatum impetu, illa verò à mortis terrore hominem vindicet, quódque sine hac, vita honesta, sine illa verò, mors laudabilis esse non possit: vnde perspicuè liquet, quanta necessitas virtutis parandæ atque

colendæ hominibus incumbat; quippe quæ & vitam ipsorum decoram atque laudabilem, & mortem præclaram gloriosamque reddit.

Simpliciter verò & scholarum more idem argumentum sic explicaretur:

Homo diligenter colere debet fortitudinem & temperantiam, igitur homo diligenter virtutem colere debet.

EX CORRVPTIONE SEV INTERITV.

Virtutis extinctio plurimorum maximorúmque est caussa malorum, etenim virtutis luce extincta, maximis continuò tenebris animus circunfunditur, ita vt neque quid honestum, neque quid vtile aut noxium sit, cernere queat: qua ratione fit vt erret, allucinetur, & in fœdissima prolabatur vitia, quæ sua lue ita totam infelicis hominis vitam inquinant, vt eam Deo hominibúsque abominabilem reddant: Ex quo facilè quiuis intelligat, quàm præclara res sit virtus, quantóque studio sit omnibus colenda.

Simpliciter verò & scholarum more idem sic efferretur:

Virtutis extinctio est mala, igitur virtus est bona, studióque digna.

EX VSV.

Virtutis munus est, vt per eam homines vitam degant laudabilem, sanctam, gloriosam, & Deo cælitibusque omnibus acceptam, qua nihil in præsenti seculo mortali creaturæ maius optabiliúsve accidere posset: vnde palam est, virtutem rem esse longè præstantissimam, & talem in quam omnes suas curas, cogitationes atque conatus homines conferre debeant.

Simpliciter verò & scholarum more idem sic efferretur:

Virtutis vsus (videlicet laudabilis moderatio vitæ humanæ) bonus est, ergo virtus est bona.

EX COMMVNITER ACCIDENTIBVS.

Serenitatem atque tranquillitatem suæ conscientiæ, amœnúmque & placidum animi statum omnes vehementer optant, nec immeritò: qui enim intra se tumultuantium cupiditatum, & in contrarias partes rapientium cogitationum fluctibus iactatur, næ ille luctuosissimam infelicissimámque vitã degit: quapropter nullum laborem, nullam molestiam recusare deberent mortales, quo virtutem morúmq; integritatem, cuius serenus ille, amœnus & placidus animi status comes est indiuiduus, adipisci possent.

Simpliciter verò & scholarum more sic idem argumentum explicandum foret:

Tranquillitas conscientiæ optanda est homini; igitur virtus, quam illa tranquillitas comitatur, est optanda homini.

EX CAVSSA EFFICIENTE.

Cùm ea sit natura atque ratio virtutis, vt ad eam vel assequendam vel exercendam humanæ vires sint infirmæ, nec angelicum sufficiat auxilium, sed Deo ipso vel auctore vel adiutore sit opus; admiranda sit oportet virtutis dignitas & excellentia, dignissimáque, ad quam adipiscendam toto pectore, totáque mente homines incumbant.

Simpliciter verò & scholarum more sic eadem ratiocinatio efferretur:

Deus omnis excellentiæ & perfectionis fons vberrimus, est caussa virtutis; ergo virtus à tali caussa profecta, res est eximia, studióque digna.

EX EFFECTV.

Honorem & gloriam semper mortales summopere sunt admirati, nec immeritò; sunt enim res amplissimæ maximiq́ue momenti, præsertim si non modò humano, sed etiam diuino tribuantur iudicio; virtus igitur, vnde tam præclari fructus percipiuntur, maximè ab omnibus studiosissiméque coli debet.

Simpliciter verò & scholarum more sic idem explicaretur argumentum:

Virtutis effectus (scilicet honor verus & solida gloria) bonus est & expetendus; igitur virtus bona est & expetenda.

EX FINE.

Cùm neque præstabilius neque optabilius aut dici aut cogitari quicquam possit summa sempiternáque felicitate, omnibus desideratis cumulata bonis, & nullis odiosis permista malis; quis dubitet quin virtus, cui talis felicitas finis & præmij loco proposita est, inter præsentis vitæ bona principatum obtineat, dignissimáque sit, in qua cæteris rebus postpositis, omnes hominis curæ, vigiliæ, atque conatus elaborent?

Simpliciter & scholarum more sic eadem ratiocinatio efferretur:

Finis virtutis (videlicet æterna felicitas) est bonus & optabilis, ergo virtus bona est & optabilis.

TERTIO ET POSTREMO.

Subiecti & attributi simul consideratione ad propositi thematis probationem conficiendam, ex locis deprompta sunt quæ sequuntur argumenta.

EX MINORI.

Videmus passim homines, vt suum corpus tueantur, & omnia ab eo nocumenta, imprimisq́ue morbos, & mortem repellant,

maximam adhibere diligentiam, nullos detrectare labores, nullisque parcere sumptibus; quanto igitur magis in comparandis virtutibus, in quibus animi sanitas, & hominis vera valetudo atque vita posita est, mortalium curæ atque cogitationes euigilare debent.

Simpliciter verò & scholarum more ita eiusdem argumenti vis explicaretur:

Homines sanitatem sui corporis diligenter curare debent; ergo homines sanitatem animi sui, quæ in virtute posita est, diligenter curare debent.

EX SIMILI.

Quemadmodum corporis pulchritudo hominum oculis corpus commendat; ita morum probitas atque virtutum decus oculis diuinæ Maiestatis animum hominis reddit acceptum: sicut igitur illi, qui hominibus placere student, in corpore ornando maximam ponunt diligentiam; ita illos, qui Deo grati esse desiderant (omnes autem desiderare debent) in animo excolendo, virtutibúsque decorando, quàm diligentissimè elaborare oportet.

Simpliciter verò & scholarum more sic idem efferretur:

Homines, si hominibus placere velint, corporis ornandi curam habere debent; igitur homines, si Deo placere velint, animi virtutibus ornandi curam habere debent.

EX AVCTORITATE.

Diuerte à malo (inquit regius propheta Dauid Psal. 34.) & fac bonum: Michæas quoque propheta in eandem scribens sententiam, ait cap. 6. Indicabo tibi, ô homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat à te; vtique facere iudicium, & diligere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo: Quibus verbis nihil aliud volunt diuini prophetæ, nisi omne virtutum genus, cæteris omnibus rebus postpositis, & vitiis sollicitè declinatis, omni diligentia atque vigilantia hominibus esse colendum: si ergo homines ad sanctę & diuinitùs per prophetas traditæ doctrinæ normam suos mores dirigere atque conformare velint (nolle autem sine grandi scelere non possunt) ad virtutes comparandas exercendásque toto pectore, omníque studio incumbere debent.

Simpliciter verò & scholarum more sic eiusdem argumenti vis efferretur:

Deus per Dauidem & Michæam prophetam dicit, virtutes hominibus esse colendas; ergo virtutes hominibus sunt colendæ.

Orationis dilatandæ atque amplificandæ, & thematis cuiuslibet

copiosè atque eruditè explicandi viam demonstrauimus. superest nunc, vt qui hanc præclarissimam & litteratis hominibus maximè conducentem locupletandæ & suis laudibus explendę orationis facultatem adipisci volunt (omnes autem, qui ad alicuius disciplinæ excellentiam aspirant, velle debent) multùm acritérque sese in variis thematibus, ad nostri exempli, vel alterius, si quod melius fuerint nacti, similitudinem tractandis, exerceant; & quod nos in morali fecimus, idem in naturali atque legali materia facere conentur.

GENERALIS EORVM OMNIVM COMPREHENSIO, quæ in quinto libro sunt explicata.



LOGI-

LOGICES LIBER VI.

DE ELENCHIS SOPHISTICIS, ET RATIONE DISSOLVENDI VITIOSA ARGVMENTATIONVM GENERA.



ETVS & vulgare dictum est, Cōtrariorum eandem esse disciplinam: sunt enim ferè de contrariis contraria præcepta. Quare tradita iam legitimas argumentationes conficiendi ratione, ad vitiosas fucosásque argumentationes discernendas atque diiudicandas sufficere vtcunque potuisset hæc vnica admonitio.

Oblatas quaslibet argumentationes ad regulas suprà de syllogismo aliisque ratiocinationum generibus traditas diligenter esse exigendas, & quę cum iis regulis congruunt, veras atque legitimas; quæ verò ab iis deflectunt, adulterinas atque vitiosas argumentationes esse iudicandas: atque legitimas quidem argumentationes esse suscipiendas; vitiosas autem, vitiis earum proditis atque detectis, refellendas atque repudiandas esse.

Quia tamen Aristoteles aliique plerique eruditi viri animaduertentes promptam expeditámque captiosas argumentationes dissoluendi rationem, non modò dialectico, sed etiam cuiuis homini vel in litterarum studiis, vel in communis vitæ negotiis versanti maximè esse necessariam, non contenti hac breui & simplici admonitione, huius loci doctrinam latiùs planiúsque explicādam censuerunt: nos eorum vestigiis ingredientes, quod tum apud Aristotelem, tum apud alios celebres dialecticæ scriptores hac de re scitu necessarium extat, planè & distinctè, breuiter tamen exponendum duximus.


Neque est quòd quenquam hoc loco vel labor vel difficultas deterreat; tum quòd huius tractatus præcepta plana sint atque breuia; tum etiam quòd maximam vberrimámque in omni studiorum genere afferant vtilitatem: hac enim dialecticæ parte augetur prudentia, acuuntur discentium ingenia, vt celeriùs certiúsque fallacium argumentationum vitia perspicere, perspectáque patefacere queant. deinde in omni vita, in omni sermone atque colloquio, amorem veritatis, odium falsitatis, & omnis cauillationis detestationem hæc exercitatio affert. Vnde liquet, huius loci scientiam, ad sophistarum, hæreticorum, & sycophantarum omnium (qui in ecclesia, in foro, & familiaribus congressibus, sub veritatis specie fucosos suos errores disseminare, & falsis perniciosisque opinio-

opinionibus animos hominum inficere ſtudent; vnde diſcordiæ, ſeditiones, & funeſtiſſima bella oriuntur) technas atque præſtigias detegendas plurimum valere. Vt igitur his ita breuiter præmiſſis, ad iſtius longè vtiliſſimam dialecticę ſcientiæ partem noſtro more exponendam veniamus:

Quotuplex eſt ſolutio vitioſarum argumentationum?

Duplex: { Perſonæ accommodata,
Rei accommodata.

Vt ſubiectum ſchema latiùs explicat:



DE SOLVTIONE FALLACIVM ARGVMENTATIONUM perſonæ accommodata.

Solutio perſona accommodata quid eſt?

Solutio perſona accommodata eſt, in qua reſponſio non ad rem, de qua contentio eſt, ſed ad hominem qui contendit, eſt accommodata: & propterea vocari conſueuit ſolutio ad hominem.

Quot

Quot modis fit solutio personæ accommodata?

Fit tribus modis, vt nunc dictum est, { Eleuando, Regerendo, Digrediendo.

Expone latiùs singulos istos modos:

Eleuamus bifariam: { Ἐξουθενισμῷ, id est, vt rei nullius momenti contemptione: Ὑποκρίσει, seu actione, hoc est, vultu, gestu, atque vocis sono.

Eleuamus ἐξουθενισμῷ, quando contemnimus seu nihili facimus & irridemus aduersariorum dicta.

Sic ferè totam Cœlij accusationem Cicero voluit videri magis iras & iurgia dissidentium in amore, querelásque amantium, quàm vera crimina.

Eleuamus autem ὑποκρίσει, quando gestu & pronuntiatione aduersarios abiicimus & spernimus: vt Menalcas Virgilianus,

Cantando tu illum? aut vnquam tibi fistula cera-
Iuncta fuit? ——

Regerimus quoque bifariam, { Ἐπιπλήξει, seu increpatione personæ: Ἀντεγκλήσει, seu compensatione alterius rei.

Ἐπιπλήξει, seu increpatione regerimus, cùm omissa re, qualiscunque ea sit, contendimus non decere aduersarium hoc nobis obiicere: vt Dametas apud Virgilium,

Parcius ista viris tamen obiicienda memento.

Fit quoque, quando conuicium pro conuicio rependitur: sicut Menalcas Virgilianus Dametę obiicit furtum lactis, absente hero; regerit hic & obiicit multò grauius crimen.

Ἀντεγκλήσει, seu compensatione, cùm afferimus rem vel parem, vel grauiorem ea, quæ ad dissoluendum erat proposita: vt Dametæ ita quærenti,

Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat cæli spatium non amplius vlnas?

Menalcas respõsionis loco aliam æquè difficilem aut difficiliorem mouens quæstionem,

Dic, inquit, *quibus in terris inscripti nomina regum*
Nascantur flores, & Phyllida solus habeto.

Duobus itidem modis digredimur: { Παρεκβάσει, seu excursu: Ἀποπλανήσει, seu deductione.

Παρεκβάσει, seu excursu, disputantem à scopo abducimus, quando argumentantem vnum aientem, ad aliud cogitandum auocamus, vt prætermissa obiectio auditoribus dissoluta videatur: sic Cicero

Cicero pro Cœlio, cùm nihil respondisset de veneno domi parato, cuius culpa in seruo reperiebatur; mox digreditur ad Q. Metelli mortem, & seruum veneno sublatum fuisse per scelus Clodiæ subiicit. Quam sanè digrediendi astutiam & in ipso Demosthene quoque Aeschines notauit.

Ἀπαγωγῇ, seu deductione, disputantem vel iudicem à re nobis contraria deducimus, quando promittimus de eo, quod obiectum est, nos alio loco esse dicturos; & ita sensim elabimur, auditorúmque animos ab eo quod nos premebat, ad aliarum rerum nostræ caussæ vtilium considerationem auocamus.

Quis est abusus eius solutionis quæ personæ est accommodata?

Magnus sanè abusus est, quando in seria disputatione rebus neglectis, personæ tantùm ratio habetur. Eluditur hac calliditate nonnunquam grauissimum & firmissimum argumentum, tanquam non suo loco ab oppugnante propositum, vel tanquam prius dissolutum, vel alio loco dissoluẽdum, vel indignum de quo verba fiant; non sine magna veritatis iactura.

Quapropter omnes, quibus veritas sinceritásque cordi est, ab eiusmodi dissoluendi ratione quatenus res patietur, abstinebunt, & huius loci doctrina ad se aduersus sophistarum imposturas muniendos vtentur.

Quis est laudabilis vsus solutionis quæ personæ accommodatur?

Habent huiusmodi solutiones aliquando opportunum vsum; vt declarat solutio sophismatis illius, quod ab Aulo Gellio narratur, propositum Diogeni in hanc sententiam: Quod ego sum, tu non es; homo sum ego, igitur tu non es homo.

In quo paralogismo manifestum est vitium, quoniam proceditur à voce (homo) in antecedẽte non vniuersè accepta, ad eandem in conclusione sumptam vniuersè.

Admodum autem facetè Diogenes Sophistæ illi, qui istud sophisma contexebat, scribitur illusisse veriùs quàm respondisse: Quod infers (inquit) me non esse hominem, falsum est.

Quod si verum velis fieri, incipe à me, & tu eris bestia: videlicet indicare volens, tam facilè se huiusmodi paralogismo aduersus ipsum posse concludere, quàm ille aduersus se concluserat.

Cuiusmodi responsione sophista, teste Aristotele, dignus est, vt qui ad rem non argumentatur, responsionem accipiat rei non congruentem.

DE SOLVTIONE REI ACCOMMODATA.

Quid est solutio rei accommodata?

Est talis solutio, qua ad rem ipsam propositam respondetur.

Quod solutionis genus conuenientissimum est atque laudatissimum:

tissimum; siquidem non tam persona, quàm res ipsa in quæstionibus discutiendis, & disputationibus est consideranda.

Quotuplex est solutio rei accommodata?

Duplex, { Generalis & Specialis.

DE GENERALI SOLVTIONE.

Quæ est generalis solutio?

Generalis solutio est, cùm ostendimus vitium esse in forma, materia, aut vtraque simul.

Quot modis fit generalis ad rem accommodata solutio?

Tribus modis; vt iam dictum est: nimirum,

Ostendendo vitio { Formæ, seu consecutionis, Materiæ, seu antecedentis, Vtriusque, id est, formæ & materiæ simul.

Quomodo dissoluuntur argumentationum genera, quórum vitiosa est forma?

In omni argumentatione prima cura esse debet inspiciendæ & examinandæ consecutionis, an ad formas & regulas argumentandi suprà descriptas quadret. Qua quidem exercitatione nescio an quicquam sit vtilius ad argumentandi artem confirmandam, eiúsque promptitudinem atque facilitatem comparandam: si verò per hanc examinationem argumentatio ab aliqua ex superioribus ratiocinandi formulis recedere fuerit deprehensa, ipsa erit confutanda, vitio eius ob quod à legitima & probata ratiocinandi specie recedit, in medium prolato.

Exempli gratia:

Omnis auarus liberalitatis leges violat,
Et omnis prodigus liberalitatis leges violat; ergo
Omnis prodigus est auarus.

Hæc vitiosa ratiocinatio syllogismi secũdæ figuræ speciem quidem aliquam præ se fert, at vim & perfectionem propterea non habet, quòd à legitimis formulis seu modis in secunda figura præscriptis deflectat; nulla enim ibi est talis argumentandi formula, cuius omnes partes affirmatè enuntientur.

Similiter lupus vitiosa ratiocinatione apud Aesopum accusat ouem:

Bibis (inquit) me bibente,
Turbas igitur mihi aquam.

Quam ratiocinationem rectè confutat ouis, dicendo se inferiore loco bibere.

Dialecticus diceret, Nego consecutionem; quia enthymema non est legitimum, eò quòd syllogismus, ad quem reducitur, videlicet iste;

Quicunque bibit me bibente, turbat mihi aquam,
Tu bibis me bibente, igitur
Tu turbas mihi aquam;

propositionem habeat manifestò falsam.

ADMONITIO.

Tametsi huiusmodi breues responsiones videntur esse ludi pueriles, re vera tamen vtilissimæ sunt, summámque laudem suo loco adhibitæ merentur: nam in grauibus intricatisque disputationibus sæpenumero plurimum lucis afferunt, certissimúmque acuminis ingenij præbent indicium; nec enim potest, nisi à perspicaci animo, insidiosa & abdita vitiosæ connexionis prauitas (qualis in sophistarum & hæreticorum captionibus latet) statim animaduerti. vnde Irenæus hæreticos dicit nectere funiculos ex arena, id est, connectere membra non cohærentia: vt in multis eorum erroribus videre licet: & quotidiana lectio vitáque communis plurima huius rei suppeditat exempla.

Quomodo dissoluuntur argumentationum genera, quorum materia est vitiosa?

Antecedens { Negando, vel Distinguendo.

Exempli gratia, ista captiosa argumentatio, qua vtitur Picus aduersus Hermolaum Barbarum,

Non decet fucus philosophos,
Eloquentia est fucus & accersitus ornatus inutilis;
Igitur eloquentia non decet philosophos;

soluenda est per infitiationem antecedentis, hoc modo: Nego assumptionem: nam definitio, quæ in assumptione continetur, falsa est; Eloquentia enim est idoneorum verborum atque sententiarum ad rem inuentam accommodatio; itaque eloquentia non est orationis fucus, sed germana potius atque natiua eius forma.

Similiter ad istam captiosam argumentationem in Phædro Platonis:

Omne quod sese mouet, semper mouetur,
Anima sese mouet; ergo
Semper mouetur;

breuissima responsio est; propositio enim negari debet, quippe

quæ vniuersè asserit, quod in paucis tantùm veritatem obtinet: nam culicis anima se quidem mouet, nec tamen ob id semper mouetur, cùm eius motus eodem, quo corporis vita, interitu finiatur.

De distinctione.

Vulgò aiunt, Omne multiplex parit confusionem, id est, ambigua tenebras offundunt: item, ambigua sunt distinguenda: item, recta distinctio est loco magni commentarij; &, qui bene distinguit, bene docet. Item Socrates apud Platonem, inquit: Si nactus fuerit ducem, qui rectè partiri sciat, se ipsius tanquam Dei vestigia secuturum esse.

Hæc dicta monent, vt & ipsi tum loquendo familiariter, tum disputando grauiores quæstiones, ambigua diligenter fugiamus, & ab aliis ambiguè posita, vel repudiemus, vel conuenienti adhibita interpretatione, ad certam significationem reuocemus.

Quomodo fallax argumentatio per distinctionem soluitur?

Primùm considerandum est, an ambiguitas ex forma sermonis, an verò ex rebus oriatur.

Deinde, si ambiguitas ex forma sermonis oritur, diiudicanda est ex Grammatica & phrasi linguæ: qua in re adsit interpreti non solùm eruditio, sed etiam amor veritatis, odium cauillationis, & candor. Quidam enim hoc pernicioso laborant vitio, vt omnia cauillari pro ludo habeant, & in rectè dictis ad falsam sententiam detorquendis, ingenij laudem aucupentur. cuius vitij Thraces & Lacedæmonios insimulant historici: nam Thraces (vt hi scribunt) cùm essent dierum triginta pactæ induciæ, noctu populati sunt agros; quòd non noctium, sed dierum pactæ essent induciæ: Lacedæmonij verò, Persicos legatos, terram & aquam petentes, in puteum demersos terra obruerunt.

Simile quoque est, quod de quodam legato Romano referunt historiæ; qui cùm pactus fuisset, vt dimidium nauium Antiocho daretur, dissecari naues iussit, & dissectas trabes Antiocho misit.

Tales interpretationes pugnantes cum sententia, quam phrasis vsitatè significat, repudientur in seriis negotiis, & consuetudinem huius ludi scurris relinquamus; qualem apud nos Vlenspieghel fuisse quidam fabulantur.

Si autem ambiguitas ex rebus oritur, vt cùm genus ponitur omissa distinctione specierum, sumenda est distinctio ex ea arte, ad quam controuersia pertinet; & quæ species nomine generis designari soleat, ex ea arte statuendum est.

Exempli

Exempli gratia:

Nullus peccator exauditur à Deo, secundùm illud:
Peccatores non exaudit Deus:
Omnis homo est peccator; ergo
Nullus homo exauditur à Deo.

Respondendum est: Distinguo propositionem; alij enim sunt peccatores agentes pœnitentiam, alij non agentes pœnitentiam: propositio vera est, si intelligatur de non agentibus pœnitentiam; sed est falsa, si intelligatur de agentibus pœnitentiam, seu conuersis ad Deum: & ita mirum non est, falsam inferri conclusionem, cùm & ipsum antecedens sit falsum.

Ad eundem modum poterit & assumptio distingui.

Similiter distinguendo multiplicem vocis (malum) acceptionem, dissoluenda est ista captiosa ratiocinatio:

Omne malum est fugiendum,
Pomum est malum; ergo
Pomum est fugiendum.

Quomodo soluuntur ea fallacium argumentationum genera, quorum simul & materia & forma est vitiosa.

Illis, quæ nunc sunt dicta de ratione dissoluendi fallaces argumentationes, quarum forma tantùm est vitiosa, & quarum materia tantùm est vitiosa, probè cognitis; perfacilè intelligitur quæ sit ratio huius generis argumentationes dissoluendi. Cùm enim in vtroque, tam antecedente videlicet quàm consecutione, sit vitium; vtrumque est negandum: vt si in medium adducatur ista vitiosa argumentatio,

Nulla opposita sunt simul vera,
Quædam subcontraria sunt opposita; ergo
Nulla subcontraria sunt simul vera:

dissoluenda erit per infitiationem antecedentis simul & consecutionis: antecedentis enim prima pars, seu propositio, indubitatę est falsitatis: consecutio verò vitiosa est, quòd conclusio syllogismi sit vniuersalis, antecedentis altera parte existente speciali; quod est contra leges & regulas legitimorum syllogismorum.

DE SPECIALI SOLVTIONE.

Sicut in generali solutione omnia fallacium argumentationum vitia ad tria capita reuocantur, videlicet ad vitium formæ, materiæ, vel vtriusque simul; ita in speciali solutione certi sunt defectus, qui fallaciæ vulgò appellantur, ad quos propria singularum cauillationum vitia referuntur: sunt enim fallaciæ apud Dialecticos nihil aliud, nisi certa quædam eorum defectuum;

qui in captiosis & fallacibus argumentationibus accidere solent, generalia capita. Itaque cùm noueris ad quam fallaciam referenda sit captio, dissolutionis viam habebis patefactam.

Quid est solutio specialis?

Solutio specialis est, quæ argumentationis captiosæ vitium proprio nomine prodit atq; demonstrat.

Veluti cùm homonymiam, amphiboliam, accentus mutationem, aut aliud simile vitium in argumentatione committi nominatim dicimus.

Explica rationem ordinis, quo vtitur Aristoteles in ista speciali solutione tractanda.

Primùm disserit Aristoteles in genere de iis, quæ communiter ad omnem doctorum hominum concertationem pertinent, videlicet, de redargutione, de syllogismo, de disputatione, de metis seu finibus sophistarum: deinde quæ huius loci de solutione speciali propria sunt, persequitur.

Quomodo definit Aristoteles elenchum?

Ἔλεγχος δέ ἐστι συλλογισμὸς μετ' ἀντιφάσεως τοῦ συμπεράσματος.

PER. Reprehensio autem ratiocinatio est cum oratione contraria conclusionis.

COL. Ex versione Grouchij, quam in elenchis Colonienses sequuntur:

Elenchus seu reprehensio, est ratiocinatio, per quam non modò conclusio, sed eius etiam disparatum conficitur.

BOE. Redargutio est syllogismus, cum contradictione conclusionis.

Hoc est, redargutio est ratiocinatio, vim probandi habens, quæ colligit conclusionem contradicentem, aut contrariam assertioni respondentis. vt si defendat quis Medeam non amare prolem, & oppugnans hoc vtatur syllogismo:

Omnis mater prolem amat,
Medea mater est; ergo
Medea prolem amat.

Recita Aristotelis, in hoc tractatu, syllogismi definitionem.

Ὁ μὲν γὰρ συλλογισμὸς ἐκ τινῶν ἐστὶ τεθέντων, ὥς τι συνάγειν ἕτερον ἐξ ἀνάγκης τι τῶν κειμένων, διὰ τῶν κειμένων.

PER. Ratiocinatio enim est ex nonnullis, quibus positis, aliquid aliud præter ea quæ posita sunt, ex his ipsis necessariò efficitur.

COL. *Ratiocinatio est oratio, in qua ex quibusdam positis,*

quippiam

quippiam ab iis quæ posita sunt, diuersum ob id necessariò sequitur, quia illa sunt antè posita.

Bo E. Syllogismus ex quibusdam est positis, vt colligamus aliquid aliud ex necessitate ab iis quæ posita sunt, per ea quæ posita sunt.

Quod est discrimen inter syllogismum qui hic definitur, & eum qui definitus est in primo Priorum?

Nullum est discrimen; sed eiusdem & iisdem fermè verbis definitio hoc loco repetitur, propter occasionem elenchi, qui species est quædam syllogismi; nam omnis elenchus syllogismus est, non autem è diuerso.

DE DISPVTATIONE.

Quid est disputatio?

Disputatio est veritatis indagandæ caussa, vel etiam mutuæ exercitationis gratia, aliquorum de proposito themate inter se disceptatio.

Si quis pleniùs cognoscere cupiat quid sit disputatio, quid thema, quæ disputandi leges, &c. legat libellum nostrum De disputatione dialecticè rectéque instituenda, qui adiunctus est Prodidagmatibus logices, nuper à Christophoro Plantino Antuerpiæ impressis.

Quotuplex est disputatio?

Quadruplex: nam spectat vel
- Scientiam,
- Opinionem probabilem,
- Experimentum doctrinæ alterius,
- Dolum & deceptionem.

Et vulgò appellatur
- Doctrinalis διδασκαλική·
- Dialectica διαλεκτική·
- Tentatiua πειραστική·
- Contentiosa Ἐριστική.

Recita definitionem doctrinalium disputationum.

Καὶ διδασκαλικοὶ μὲν·· λόγοι ·· οἱ ἐκ τῶν οἰκείων ἀρχῶν ἑκάστου μαθήματος, καὶ οὐκ ἐκ τῶν ἀποκρινομένου δοξῶν συλλογιζόμενοι.

PER. Sermones ad docendum comparantur ij, qui ex propriis verisque initiis artium omnium, non ex respondentis arbitrio sententiáque concluduntur.

C O L. *Disputationes quæ ad docendum accommodantur, sunt, quæ constant ex propriis cuiusque disciplinæ principiis, nec*

vim habent ab eo quod respondenti probatur.

B O E. Doctrinales disputationes sunt, quæ ex propriis principiis cuiusque disciplinæ, & non ex iis, quæ videntur respondenti, colligunt.

Vt disputatio in qua quis vtitur hac demonstratione:
Quicquid constat ex materia & forma, est mobile,
Omne autem corpus constat ex materia & forma; ergo
Omne corpus est mobile.

Disputationum dialecticarum definitionem recita.

Διαλεκτικοὶ δὲ ‥ λόγοι ‥ οἱ ἐκ τῶν ἐνδόξων συλλογιστικοὶ ἀντιφάσεως.

P E R. Ad disserendum autem valent ij, qui ex probabilibus aliquid contra quàm dictum est, efficiunt.

C O L. *Dialecticæ disputationes sunt, quibus vtraque pars contradictionis ex probabilibus concluditur.*

B O E. Dialecticæ disputationes sunt, quæ ex probabilibus collectiuæ sunt contradictionum.

Vt disputatio in qua vtimur hoc syllogismo dialectico:
Omnis mater diligit filium,
Medea est mater, ergo
Medea diligit filium.

Cuius conclusionis contradictio potest ex probabilibus similiter inferri: vt,
Nulla mater quæ interficit filium, diligit filium,
Medea est mater, quæ interficit filium; ergo
Medea non diligit filium.

Disputationum tentatiuarum definitionem recita.

Πειραστικοὶ δὲ ‥ λόγοι ‥ οἱ ἐκ τῶν δοκούντων τῷ ἀποκρινομένῳ, καὶ ἀναγκαίων εἰδέναι τῷ προσποιουμένῳ ἔχειν τὴν ἐπιστήμην.

P E R. Tentandi autem, experiendique gratia suscipiuntur ij sermones, qui ex iis concludunt, quæ probat is qui respondet, quæque tenere debet necessariò is, qui sibi artem arrogat.

C O L. *Quæ ad tentandum valent disputationes, sunt quæ ex iis modò vim habent quæ ei probantur, quo cum disputamus, quæq; talia sunt, qualia ignorare non possit, qui sibi alicuius rei scientiam tribuit & arrogat.*

B O E. Tentatiuæ, quæ ex iis colligunt, quæ videntur respondenti, & quæ necessarium est eum scire, qui simulat se habere scientiam.

Vt dis-

Vt disputatio, in qua ad tentandam alicuius scientiam quispiam vtitur huiusmodi syllogismo:

Omnis pars est minor suo toto,
Caput est pars; igitur
Est minus suo toto.

Quo syllogismo vtitur tentans disputatio?

Nullus est syllogismus ex iis, de quibus dictum est, quo non aliquando tentator vti possit, ad faciendum periculum scientiæ aut ignorantiæ respondentis: potissimùm tamen vtitur eo, qui constat ex communibus principiis; si enim communia non norit respondens, conuincitur inde manifestò eius ignorantia.

Quomodo definiuntur contentiosæ disputationes?

Ἐριστικοὶ δὲ οἱ ἐκ τῶν φαινομένων ἐνδόξων συλλογιστικοί.

P E R. Certandi autem studio adhibentur, qui ex iis, quæ probabilia videntur, nec sunt, aliquid concludunt.

C O L. *Contentiosæ disputationes sunt, quæ ex iis, quæ probabilia videntur, nec sunt, aut concludunt necessariò, aut non concludunt, sed modò videntur.*

B O E. Contentiosæ, quæ sunt ex iis, quæ apparent probabilia.

Vt disputatio, in qua sophista ad fallendum vtitur hoc captioso & ridiculo syllogismo:

Quicquid non amisisti, habes;
Cornua non amisisti, igitur
Cornua habes.

Qui syllogismus ab Aristotele Ἐριστικὸς, vulgò litigiosus seu contentiosus appellatur.

MONITIO.

In hac disputationum declaratione ideò fuimus breuiores, quòd maxima eorum, quæ ad hunc locum pertinent, pars antè sit explicata, in posteriori videlicet parte libri quarti, & initio libri quinti, vbi de demonstratione, de syllogismo dialectico, & litigioso fusè dictum est.

Quis est vsus istius disputationum tractatus?

Eò spectat iste disputationum tractatus, vt magis eluceat, quid inter contentiosam seu sophisticam disputationem, quæ præsentis est loci, & cæteras intersit.

Præterea, vt intelligamus ad quem quæque disputatio finem vergat: habent enim istæ disputationes (vt ex ipsarum definitionibus liquet, & nos suprà indicauimus) suum quæque finem:

doctrinalis ad docendum ſcientiámque efficiendam; Dialectica ad probabiliter perſuadendum ; tentatiua ad experimentum de alterius ſcientia ſumendum; & contentioſa ad fallendum reſpondentem , fucatáque ratiocinatione eius oculos perſtringendos, refertur.

De metis sev finibvs diſputantium.

Quot ſunt diſputantium meta, ad quas vbi peruentum eſt, omnis contentio & diſceptatio ad finem perducta eſſe cenſetur?

Sunt quinque:

- Tres præcipuæ:
  - Ἔλεγχος, Redargutio ſeu reprehenſio:
  - Ψεῦδος, Falſum:
  - Παράδοξον, Paradoxon, ſeu communi doctorum virorum ſententiæ contrarium, quod inopinabile vulgus Dialecticorum appellat.
- Duæ minus præcipuæ, & ſophiſtis magis quàm ſerias res tractantibus conuenientes,
  - Σολοικισμός, Solœciſmus:
  - Ἀδολεσχία, Nugatio.

Quid eſt redargutio ſeu reprehenſio?

Eſt prius conceſſi negatio, vel prius negati conceſſio in eadem diſputatione, vi argumentationis extorta.

Vt ſi reſpondens quiſpiam inter diſputandum fortè dixerit, virtutem hominis animum reddere triſtiorem ; & vi huius argumentationis,

> Contrariorum contrarij ſunt effectus,
> Vitij autem proprium eſt, hominis animum contriſtare;
> Virtuti igitur animi humani exhilaratio potius quàm contriſtatio eſt tribuenda;

cogatur negare quod prius aſſeruerat, ad metam reprehenſionis pertractus dicetur : at ſi non in eadem diſputatione , aut nulla vi argumentationis, ſed ſponte propriáque voluntate quis prius negatum conceſſerit, aut negauerit prius conceſſum, non ob id redargui cenſebitur.

Quid

Quid est meta falsi?

Falsi meta nihil aliud est, quàm concessio alicuius manifestè falsi, ad quod concedendum vi argumentationis respondens compulsus est.

Vt si quis cogatur concedere, cæleste sidus latrare posse, hoc syllogismo:

Omnis canis latrare potest,
Sidus cæleste est canis; ergo
Sidus cæleste latrare potest.

Quid est meta paradoxi, seu, vt vulgò loquuntur, inopinabilis?

Est concessio eius, quod contra omnium, vel plurium, vel sapientum, aut eorum, quorum sententiam tutamur, opinionem est vi argumentationis extorta.

Quomodo distinguitur paradoxon à falso?

Paradoxon à falso in eo distinguitur, quòd paradoxon communi hominum doctorum opinioni, falsum verò ipsi veritati repugnet. itaque fieri potest, vt idem sit paradoxon & verum: vt mundum incepisse, Aristoteli paradoxon est; quod tamen certissimum reddit sacrarum litterarum auctoritas: at falsitatem veritati in eodem coniungi pronuntiato, nec ratio nec rerum patitur natura.

Profer exemplum huius metæ paradoxi.

Ad hanc metam deducitur, qui aliquem regem diuitem & felicem confitetur esse miserum & infelicem, hac argumentatione:

Quicunque dura vitiorum seruitute premitur, miser est & infelix,
Aliquis rex diues & felix, premitur dura vitiorum seruitute;
Igitur aliquis rex diues & felix, miser est & infelix.

Quid est meta solœcismi?

Meta solœcismi, est approbatio vitiosæ orationis, vi argumentationis extorta.

Quid est solœcismus?

Solœcismus est vitium in contextu partium orationis, vel in verbo simplici, contra regulam artis grammaticæ commissum.

Videtur enim hoc loco solœcismus etiam barbarismum complecti, qui à Donato describitur,

Vna orationis pars vitiosa in communi sermone.

A Diomede verò, contra Romani sermonis legem, aut scriptum aut pronuntiatum verbum.

Profer exemplum metæ solœcismi.

Vt si quis hanc orationem, Mulier est candidus, cogatur approbare, vi istius syllogismi compulsus:

Omnis homo est candidus,
Et mulier est homo; ergo
Mulier est candidus.

Quid est meta nugationis?

Meta nugationis, est approbatio orationis ineptæ, continentis eiusdem verbi inutilem repetitionem, vi argumentationis extorta.

Quid est nugatio?

Nugatio propriè, est eiusdem verbi in eadem orationis parte inutilis repetitio.

Profer exemplum metæ nugationis.

Vt si quis hanc ineptam orationem approbarit, Plato est doctus homo doctus, hac argumentatione coactus:

Plato est doctus, &
Plato est homo doctus; ergo
Plato est doctus homo doctus.

Cùm ex metis iam commemoratis tres præcipuæ & primæ omnium disputationum sint communes, cur eas Sophistarum metas passim appellant?

Quòd quemadmodum candidè & sincerè disputantibus veritatis confirmatio, & falsitatis refutatio in primis proposita est; ita sophistæ omni studio, dolo atque astutia, ad has metas, præcipuo disputationis fine atque scopo neglecto, respondentem pertrahere nituntur.

Quot sunt redarguendi generales modi?

Duo sunt, teste Aristotele, cuius hæc sunt verba:

Τρόποι δέ εἰσι τοῦ μὲν ἐλέγχειν δύο· οἱ μὲν γάρ εἰσι παρὰ τὴν λέξιν· οἱ δὲ ἔξω τῆς λέξεως.

C o l. *Sunt autem reprehensionum generales duo modi: vnus in verbis, alter in rebus.*

B o e. Modi autem redarguendi sunt duo: nam alij quidem sunt propter dictionem, alij verò extra dictionem.

De fallaciis verborum.

Quid est fallacia verborum seu propter dictionem?

Est quæ fucatæ suæ probabilitatis caussam positam habet in verbo

verbo vel oratione, hoc eſt, ſigno pro arbitrio hominum ſignificante.

Ac proinde facilè intelligitur ab iis, qui Grammaticen rectè didicerunt, & eas linguas intelligunt, ex quibus voces ambiguè ſumuntur: vt filij incredulitatis, Hebraica phraſi increduli appellantur, ſeu dediti incredulitati, ad ſimilem modum & filij contumaciæ, contumaces; filij ebrietatis, ebrioſi ſeu dediti ebrietati, & contumaciæ nominantur: ad eum nimirum modum, quo Latinè diceremus, mancipium incredulitatis, mancipium contumaciæ, mancipium ebrietatis.

Quot ſunt genera fallaciæ verborum?

Sex, de quibus ita Ariſtoteles:

Ἔστι δὲ τὰ μὲν παρὰ τὴν λέξιν ἐμποιοῦντα τὴν φαντασίαν, ἓξ τὸν ἀριθμόν. ταῦτα δ᾽ ἐστὶν ὁμωνυμία, ἀμφιβολία, σύνθεσις, διαίρεσις, προσῳδία, καὶ σχῆμα λέξεως.

C o l. *Atque ille quidem modus, in quo vis captionis ex verbis oritur, in ſex partes diſtribuitur: quæ ſunt, vocabuli multiplicitas, orationis ambiguitas, coniunctio, diuiſio, accentus, & forma dictionis.*

B o e. Sunt autem quidem, quæ propter dictionem faciunt phantaſiam, ſex numero: hæc quidem ſunt, æquiuocatio, amphibolia, compoſitio, diuiſio, accentus, & figura dictionis.

Eſt'ne aliquod genus, quo comprehendi queant omnes ſpecies fallaciarum & captionum, quæ in verbis verſantur?

Eſt, videlicet ambiguum: ſex enim commemoratæ ſpecies, vna generali voce ambigui, ſignificari poſſunt: ſed Ariſtoteles hos ſex modos recitat, vt indicet varietatem ambiguorum: alia enim in ſingulis verbis ſunt, alia in coniunctis. vt ex eorum definitione planum erit.

Sed priuſquam hæc perſequamur, notandum in primis eſt, quòd quemadmodum argumentatio dialectica ex legitima forma & materia firmitatem accipit: ſic ſophiſtica ratiocinatio fucoſam firmitatis ſpeciem ſumit ex earum falſa imitatione: quapropter ad fallaciam ſiue fallacem argumentationem neceſſum eſt duo concurrere:

Quorum

Quorum { Vnum est, Probabilitatis aliqua species, quam caussam apparentiæ vocant; hæc efficit vt argumentatio videatur esse firma, eique audiens assentiatur.
Alterum est, Caussa defectus, seu argumentationis vitium; quod ipsam argumentationem deprauat & infirmam reddit. }

Ex his igitur duobus euenit, vt quis fallatur, & iudicet tale aliquid esse, quale prima facie videtur, & re vera non est.

Insuper aduertendum est, nomen fallaciæ variè accipi; vulgò quidem pro argumentatione fallaci, vt fallacia sit nihil aliud quàm instrumentum idoneum ad decipiendum incautos, & illos eò deducendum, vt credant vel id quod est verum, esse falsum, vel quod falsum est, esse verum; vel quod probandi vim non habet, efficax esse ad probandum: idque propter aliquam probabilitatis speciem.

Propriè verò fallacia est ipsa deceptio seu error, præsertim quo specie aliqua veri circumuentus auditor ducitur: Caussam autem falsitatis seu defectus indicant nomina, quibus ab Aristotele fallaciarum genera appellantur atque distinguuntur: vt postea ex declaratione eorum & exemplis facilè intelligi poterit.

Porrò siue hoc, siue priori modo sumatur fallacia, rectè diuiditur fallacia in rerum atque verborum fallaciam: item, verborum fallacia in fallaciam homonymiæ, in fallaciam amphiboliæ, & reliquas quatuor species antè commemoratas.

DE HOMONYMIA, QVAM æquiuocationem vocant.

Quid est homonymia fallacia?

Homonymiæ fallacia est captiosa argumentatio, in qua deceptio fit ambiguitate vnius vocis.

Cur homonymia & alia quæuis ambiguitas vitiosam efficit argumentationem?

Quia cùm vox ambigua significet res diuersas, fit vt sint quatuor termini in syllogismo; sunt igitur scopæ dissolutæ, nec vinculum est vllum antecedentis cum conclusione; quo fit vt falsam conclusionem ex vero antecedente inferri non sit mirum, cùm antecedens & conclusio nullo vinculo inter se sint colligata: quapropter in eiusmodi sophismatibus neganda est consecutio, & rationis loco dicendum, quia committitur homonymiæ fallacia, aut quia syllogismus, ad quem reuocatur eiusmodi argumentatio, quatuor habet terminos. *Exempli gratia*:

Quicquid habet brachium, habet corpus ex carne, ossibus, sanguine, venis, arteriis, & neruis compositum;

Deus habet brachium; ergo
Deus habet corpus, &c.

Reſpondendum: Nego conſecutionem, & ratio eſt, quia committitur fallacia homonymiæ. nam in propoſitione, brachium, propriè accipitur, ſignificans brachium quale eſt humanum; in aſſumptione verò metaphoricè ſignificat potentiam, ſeu imperandi auctoritatem.

ADMONITIO.

Quoniam quotidiana vita plurima huius generis exempla ſuppeditat, ſatis eſt locum monſtraſſe & monuiſſe, vt in argumentationibus conſideretur, num aliqua vox ſit ambigua: cuiuſmodi vox ſi deprehenſa fuerit, communi diſputantium conſenſu, qua ſignificatione talis vox inter diſputandum ſumenda ſit, conſtituendum erit, alioquin enim & à proprio ſcopo diſputationem aberrare, & ad vanam moleſtámque contentionem delabi frequenter continget: nam, vt habet vetus & vulgaris verſiculus;

Erroris mater fuit æquiuocatio ſemper.

Ideo & propriè loqui ipſi, & aliorum ambiguè dicta dextrè interpretari debemus.

DE AMPHIBOLIA.

In quo differt amphibolia ab homonymia?

Amphibolia in eo ab homonymia differt, quòd in homonymia, ex ſimplici vocabulo; in amphibolia verò, ex tota oratione oriatur ambiguitas, vnde poſteà promanat error: vt, amphibolia eſt in iſta oratione vulgò Apollini tributa,

Aio te Aeacida Romanos vincere poſſe.

Cuius ambiguitas indè naſcitur, quòd accuſatiuus (te) vt etiam (Romanos) nunc à tergo, nunc à fronte verbi (vincere) conſtrui queat; atque ità incertum relinquitur, an Aeacides, hoc eſt, Pyrrhus Romanos vincere poſſit, an contrà, Romani Aeaciden.

Huiuſmodi exempla multa ſunt in prouerbiis, & commentitiorum deorum reſponſis.

Quid eſt amphibolia?

Amphibolia eſt captioſa argumentatio propter ambiguitatem, quæ non ex vna voce, ſed ex tota oratione naſcitur.

Profer aliquod exemplum amphiboliæ.

Quiſquis arat littus, littus proſcindit aratro,
Aſt operam perdens arat littus;
Ergo operam perdens littus proſcindit aratro.

Huius enim orationis, arat littus, ambiguitas paralogiſmo locum dedit.

Quot modis fit homonymia & amphibolia, secundùm doctrinam Aristotelis? Tribus.

Quorum primus est:

Quando nomē vel oratio amphibologica ex æquo multa significat: vt, Canis vel aquila: item hæc oratio, Liber Aristotelis.

Secundus:

Quando ex vsu loquendi multiplicitas nascitur, hoc est, quando nomen vel oratio ita plura significat, vt vnum sit proprium, aliud verò improprium significatum; vt sanum: item, arare littus, laterem lauare. *Tertius:*

Quando ex verborum syntaxi seu varia inter se constructione, amphibolia seu orationis ambiguitas nascitur, vt in hac oratione [bouem comedere] nam si accusatiuus [bouem] à fronte verbi [comedere] construatur, sensus erit, quòd bos comedat; si verò idem accusatiuus à tergo eiusdem verbi disponatur, sensus erit, quòd aliquis comedat bouem.

DE COMPOSITIONE ET DIVISIONE, seu de coniunctione & distinctione.

Quid est fallacia compositionis?

Fallacia compositionis, est captiosa argumentatio, in qua ex propositione vera, si spectes eius sensum diuisum, & falsa, si spectes compositum, infertur conclusio falsa, ex sensu composito desumpta.

Profer exemplum fallaciæ compositionis.

Vt, Sedentem possibile est stare, ergo fieri potest vt sedens stet: antecedens enim est verum, si diuisum spectes sensum; cùm non aliud secundùm istum sensum significetur, quàm quòd is, qui modò stat, habeat facultatem aliquando sedendi: ex qua propositione sic sumpta non potest inferri consequens iam illatum, sed rectè id concluderetur, si propositio compositum haberet sensum, qui falsus est.

Quid est fallacia diuisionis?

Fallacia diuisionis, est captiosa argumentatio, qua ex propositione vera, si spectes eius sensum compositum, & falsa, si spectes diuisum, infertur conclusio falsa, ex sensu diuiso sumpta.

Producas exemplum fallaciæ diuisionis.

Vt, Impossibile est sedentem stare; ergo
Impossibile est eum, qui nunc sedet, aliquando stare.

Nam antecedentis compositus sensus verus est, diuisus verò falsus; ex quo infertur conclusio falsa, quæ non sequitur ex illo antecedente, nisi quatenus sensum habet diuisum.

Habent

Habent ne istæ fallaciæ compositionis & diuisionis in aliis quoque locum extra enuntiationes modificatas?

Habent, videlicet quando aliqua vox secundùm quod diuersis in oratione coniungitur partibus, varios sensus efficit, alterum verum, alterum falsum: vt compositionis fallacia tum accidat, quando coniunguntur disiungenda, & diuisionis fallacia fiat, quando diuiduntur seu separantur coniungenda.

Quæ igitur est compositio & quæ diuisio in eiusmodi ambiguis enuntiationibus?

Generatim in his compositio & diuisio considerantur secundùm connexionem partium magis debitam vel minus debitam; vt sensus qui ex debita partium connexione sumitur, dicatur sensus compositus; qui autem secundùm minus debitam, dicatur diuisus.

Porrò quæ sit connexio partium magis aut minus debita, pendet partim ex naturali iudicio, partim ex auctoritate illorum, qui faciendæ & construendæ orationis artem profitentur: ad cuius rei pleniorem perfectiorémque notitiam, quidam hac ætate non vulgariter eruditi, hoc loco nonnullas collegerunt regulas, è quibus hæc præcipua est:

Quando vox aliqua inter duas alias, cum quarum vtraque aptè connecti potest, æquali propinquitate collocata est, si ad priorem, compositum; si verò ad sequentem referatur, diuisum plerunque efficit sensum.

Cuius regulæ hanc afferunt rationem, quòd magis in priori, quàm in altera constructione, debita partium orationis connexio conseruari videatur. vt in his orationibus sine distinctione prolatis:

Quicquid viuit semper erit: Si quid viuit semper est:
Vidi imaginem auream vestem habentem:
Feci te seruum existentem liberum.

Si (semper) (auream) (existentem) referantur ad id quod antecedit, sensum esse volunt compositum: sin ad posterius, diuisum.

Cur in regula ponunt dialectici istam particulam, æquali propinquitate?

Quoniam si vox referenda non ex æquo vtrique propinqua fuerit, tunc si propinquiori iungatur, sensum esse dicunt compositum, & magis debitam partium connexionem: vt in hac oratione sine distinctione prolata, Quicunque scit litteras nunc didicit eas, sic distinguendo: Quicunque scit litteras, nunc didicit eas; collocatio partium est magis conueniens, & sensus compositus, sed falsus.

Aliter diſtinguendo: Quicunque ſcit litteras nunc, didicit eas, ſenſus efficitur diuiſus & verus.

Profer exempla captionum compoſitionis & diuiſionis, quæ ex varia eiuſdem vocis connexione oriuntur.

Quicunque ſcit litteras nunc didicit eas,
Atqui Grammaticæ peritus ſcit litteras; igitur
Nunc didicit eas.

Item ex hac oratione: Ἐγώ σε ἔθηκα δοῦλον ὄντα ἐλεύθερον, id eſt, Ego te feci ſeruum exiſtentem liberum; vult Ariſtoteles huius loci captiones fieri, dum participium ὄντα, nunc ad accuſandi caſum ἐλεύθερον, nunc ad δοῦλον refertur.

Fient autem ex ea ſententia Latinè reddita paralogiſmi hoc modo:

Quemcunque ego feci ſeruum exiſtentem liberum, eum in ſeruitutem redegi:
Te à me libertate donatum, feci ſeruum exiſtentem liberum;
Ergo te à me libertate donatum in ſeruitutem redegi.

Item:

Quemcunque ego feci ſeruum exiſtentem liberum, eum libertate donaui:
Te à me in ſeruitutem redactum, feci ſeruum exiſtentem liberum; ergo
Te in ſeruitutem redactum, libertate donaui.

DE ACCENTV.

Quid eſt fallacia accentus?

Eſt argumentatio, quæ fallendi vim habet ex voce, quæ eadem ſecundùm litteras & ſyllabas permanens, plura ſignificat, propter diuerſum efferendi modum.

Quot modis fit accentus fallacia?

Sex modi huius fallaciæ à Dialecticis commemorari ſolent.

Recita eos modos additis ad maiorem declarationem ſingulorum exemplis.

PRIMVS EST:

Quando ſignificatio variatur propter accentum mutatum, qui eſt triplex, acutus, grauis & circumflexus: vt pendêre à pendeo profertur, accentu acuto in penultima: à pendo verò profertur accentu graui; vnde ſophiſma fit huius loci, ad hunc modum:

Quemcunque æquum eſt pendêre, iuſtè ſuſpenditur;
Sed æquum eſt tortorem pendere; ergo
Tortor iuſtè ſuſpenditur.

SECVNDVS:

Quando voces ſimiles (quantitate tamen differentes) pro iiſdem accipiuntur: vt,

Omnis populus eſt arbor,
Multitudo hominum eſt populus; ergo
Hominum multitudo eſt arbor:

Nam populus arbor, primam habet longam, ſed pro hominum multitudine, breuem; ſecundùm vulgatum verſiculum:

Populus eſt arbor, populus collectio gentis.

TERTIVS:

Quando voces ſimiles, ſpiritu tamen, & ob id ſignificatione, diſſidentes, pro iiſdem ſumuntur.

Eſt autem ſpiritus duplex: { Aſper & Lenis.

Aſper apud Latinos notatur per h , Lenis verò non ſignatur: vt , hara & ara: item abeo & habeo; vnde tale contexi poteſt ſophiſma:

Si domum abeo, recedo,
Domum habeo; ergo recedo.

QVARTVS:

Quartus modus eſt, quando vox aliqua nunc diuiditur, nunc integra manet: vt,

Quicquid inuitè fit, coactè fit;
Vinum fit in vite; ergo fit coactè.

QVINTVS:

Huc referunt captiones ex mutatione diphthongi factas: vt,

Qui fouet æquum, iuſtam tuetur cauſſam,
Hic auriga fouet equum; ergo iuſtam tuetur cauſſam.

Sed hoc exemplum etiam ad ſecundum modum pertinet.

SEXTVS:

Quando pronuntiatio mutatur: vt in ironia, in qua tantum valet pronuntiandi ratio, vt ex affirmatione negatio, & contrà, ex negatione affirmatio intelligatur. vnde accentus fallacia ad hunc modum fieri poterit,

Quicunque alteri dicit, Egregiè functus es officio tuo, collaudat illum propter rem bene geſtam;

Is autem qui alterum irridet, ita ſubinde loquitur, cùm nihil etiam minus quàm laudare velit (quemadmodum eſt illud apud Virgilium,

Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis)

Igitur, qui alterum irridet, eundem collaudat.

Cur dicit Aristoteles hanc fallaciam accentus magis habere locum in scriptura quàm in oratione viua voce pronuntiata, præsertim cùm apud Græcos accentuum diuersitas in scriptura diligentissimè notetur, & facillimè cognoscatur?

Aristoteles istud dicit, quia antiquissimos Græcos sine vllis aut spirituum aut accentuum notis scripsisse certum est: docent enim id apertè vetusti quidam, qui etiamnum extant, codices Græci: prætereà etiam marmorea monumenta vetustissima, quæ Romæ adhuc visuntur, nudis solùm characteribus incisa, absque vllis litterarum apicibus; vt liquidò constet, huiusmodi virgularum apicúmque suprascriptiones non esse simul cum lingua Græca natas, sed multo pòst tempore, ad claritatem & maiorem orationis distinctionem fuisse excogitatas.

De figvra dictionis.

Quid est fallacia formæ dicendi, quã figuræ dictionis fallaciã appellãt?

Est argumentatio, quæ fallendi vim habet ex eo, quòd quis alicuius verbi simplicis specie deceptus, putet aliqua inter se eandem habere rationem, in quibus non est eadem ratio.

Quibus verbis describit Aristoteles istam figuræ dictionis fallaciam?

Istis:

Οἱ δὲ τρόποι τοῦ ἐλέγχειν παρὰ τὸ σχῆμα τῆς λέξεως συμβαίνουσιν, ὅταν τὸ μὴ ταυτὸν ὡσαύτως ἑρμηνεύηται· οἷον, τὸ ἄρρεν θῆλυ ἢ τὸ θῆλυ ἄρρεν, ἢ τὸ μεταξὺ, θάτερον τούτων, ἢ πάλιν τὸ ποσὸν ποιὸν, ἢ το ποιὸν ποσὸν, ἢ τὸ ποιοῦν πάσχον, ἢ τὸ διακείμενον ποιεῖν, καὶ τὰ ἄλλα ὡς διῄρηται πρότερον.

Col. *Ex forma autem dicendi tum duci intelliguntur captiones, quando alterius verbi specie falsi, in iis eandem esse rationem interpretantur, in quibus non est eadẽ ratio: veluti cùm masculinum ad femininum genus transferimus; aut contrà, femininum ad masculinum; aut verò, cùm neutrum genus malè accipimus: & cùm ad qualitatem transferimus quantitatem; aut contrà, cùm ex qualitate facimus quantitatem: & cùm id, quod facere significat, in patiẽdi significatione accipimus: deniq; cùm id, quod certam quandam affectionem declarat, pro actione sumitur, eodemq; modo in aliis omnibus categoriis, quo modo superioribus libris à nobis diuisæ sunt.*

Boe. Quæ propter figuram dictionis sunt (inquit) accidunt, quando non idem, vt idẽ interpretatur, vt masculinum femininum, vel femininum masculinũ, vel

quod

quod inter hæc est, alterum horum: vel rursus quale quantum, vel quantum quale, vel faciens patiens, vel dispositum facere: & alia, ceu prius diuisum est.

Expone partes istius descriptionis Aristotelicæ.

Masculinum interpretatur seu concluditur femininum duobus modis: & primo quidem, quando nomen masculini generis concluditur esse feminini generis propter similitudinem quam habet masculinum cum feminino: vt, Musa est feminini generis, ergo & poëta.

Secundo, quando nomini masculini generis in conclusione tribuitur proprietas feminini generis, ex eo, quòd nomen feminini generis habet similitudinem cum nomine masculino: vt, Omnis aqua est humida; Mosa est aqua, ergo Mosa est humida.

Ad eundem modum intelligi debet, quod dicit Aristoteles, femininum interpretari masculinum: item neutrum genus, masculinum vel femininum. Quale esse quantum interpretamur, seu concludimus hoc modo: Numeratum est categoriæ quantitatis; ergo etiam coloratum est categoriæ quantitatis.

Si verò ad hunc modum concludatur, Coloratum est categoriæ qualitatis, ergo numeratum est categoriæ qualitatis; quantum interpretamur quale. Faciens autem patiens concluditur hoc modo: Audire est pati, ergo & ferire. E contrario patiens concluditur esse faciens, si sic instituatur argumentatio, Ferire est agere, ergo & audire; item, Doceo significat actionem, ergo etiam doleo.

ADMONITIO.

Dicunt quidam Neoterici, hunc sophisticum locum generale esse receptaculum, & quasi publicum diuersorium omnium sophisticarum captionum, qualesquales extiterint; quòd omnis sophistica argumentatio speciem suæ fucosæ probabilitatis ex similitudine alicuius solidæ argumentationis, quam falsò imitatur, habeat.

Quam opinionem, non quidem vt omnino absurdam, sed vt Aristotelis sententiæ parum congruentem, reiiciendam censeo: nec enim est verisimile, Aristotelem inter partes fallaciarum recensuisse, quod cæterarum omnium genus esse putaret.

DE FALLACIIS RERVM.

Quid est fallacia rerum seu extra dictionem?

Est quæ fucatæ suæ probabilitatis caussam in rebus non rectè perceptis, positam habet.

Vt, Animal est expers rationis, Homo est animal; igitur homo est expers rationis.

Nam falsa propositionis intelligentia nititur eiusmodi sophistica argumentatio; nimirum quasi in ea sit necessaria & naturalis terminorum inter se connexio, cùm re vera sit tantummodo fortuita & nequaquam necessaria.

Quot sunt genera fallaciarum extra dictionem?

Septem, de quibus sic scribit Aristoteles:

Τῶν δὲ ἔξω τῆς λέξεως παραλογισμῶν εἴδη εἰσὶν ἑπτά· ἓν μὲν παρὰ τὸ συμβεβηκός· δεύτερον δὲ τὸ ἁπλῶς, ἢ μὴ ἁπλῶς, ἀλλὰ πῇ ἢ ποῦ, ἢ ποτὲ, ἢ πρός τι λέγεσθαι· τρίτον δὲ, τὸ παρὰ τὴν τοῦ ἐλέγχου ἄγνοιαν· τέταρτον δὲ, τὸ παρὰ τὸ ἑπόμενον, πέμπτον δὲ, τὸ παρὰ τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν· ἕκτον δὲ, τὸ παρὰ τὸ, τὸ μὴ αἴτιον ὡς αἴτιον τιθέναι· ἕβδομον δὲ, τὸ παρὰ τὸ τὰ πλείω ἐρωτήματα ἓν ποιεῖν.

PER. Rerum autem captiosa sunt genera septem: Vnum ex accidẽte: alterum cùm omnino aut non omnino, sed quodãmodo, aut alicubi, aut aliquando, aut collatum cum aliquo dicitur: tertium ex reprehensionis ignoratione: quartum à consequentibus: quintum ex eius, quod ab initio dictum est, petitione: sextum, cùm pro caussa, id quod non est caussa, ponitur: septimum, cùm rogata plura pro vno proponuntur.

COL. *Sequitur vt de fallacibus conclusionibus, quæ in rebus continentur, dicamus, quarum septem sunt genera: Primum est ex accidente: secundum ex eo, quod simpliciter aliquid dicitur, vel non simpliciter, sed cum aliqua adiectione aut partis, aut loci, aut temporis, aut affectionis ad alterum: tertium est ex ignoratione reprehensionis: quartum ex consequente: quintum ex eo quod sumitur illud ipsum, quod iam inde à principio in quæstione positũ est: sextum ex eo quod pro caussa ponitur, quod minimè est caussa: septimum ex eo, quòd quæ multa sunt interrogationes, pro vna accipiuntur.*

BOET. Earum verò, quæ extra dictionem sunt, captionum species sunt septem: vna quidem propter accidens: secunda autem propter id, quod simpliciter, vel non simpliciter, sed aliquo modo, aut vbi, aut quando, aut ad aliquid dicitur: tertia autem propter redargutionis ignorantiam: quarta verò propter consequens: quinta autem propter id, quod est in principio sumere: sexta propter id quod non est caussa, vt caussam ponere: septima verò propter plures interrogationes vt vnam.

DE

DE FALLACIA ACCIDENTIS.

Quid est fallacia accidentis secundùm Aristotelem?

Fallacia accidentis est, quando idem similiter existimatur rei & accidenti inesse.

Id est, quādo idem attributum prædicatúmve simili modo existimatur conuenire accidenti seu medio in propositione, & rei subiectæ in conclusione, cùm tamen res aliter se habeat. hoc est paucis: Quando non sequitur conclusio ob id quòd medium non habeat eam, quam oporteret, cum extremis coniunctionem:

Vt, Animal est rationis expers, homo est animal; ergo homo est rationis expers: attributum est rationis expers, quia hoc accidenti & rei subiectæ tribuitur: accidēs est animal, homo est res subiecta.

Attributum enim hoc loco est maior extremitas, & res subiecta, minor extremitas: accidens verò accipitur hîc pro eo, quod est extraneum alteri, quatenus ad tertium refertur. secūdùm quam sententiam (quæ est beati Thomæ) non solùm inferius superioris collatione est accidens, sed & superius respectu inferioris: vt in exemplo iam commemorato est manifestum.

Si in genere loquamur de fallacia accidentis, attributi nomine intelligimus vocem communem: per rem subiectam, vocem illatam: per accidens, vocem inferentem. Sic expositis vocibus ista fallacia erit omnium fallaciarum cōmune receptaculum: sed videant studiosi, num istud sit Aristotelis sententiæ consentaneum.

Sicut & illud quod hîc adiiciunt, non esse absurdum, si concedamus huius fallaciæ paralogismos ad figuræ dictionis fallaciam pertinere, etsi alia ratione: nam (inquiunt) quatenus oritur captio ex dictionis similitudine aut affinitate quam habet cum legitima argumentatione, est figuræ dictionis fallacia: at quatenus oritur ex rerum incommoda connexione, accidentis fallacia vocari debet.

DE FALLACIA DICTI NON SIMPLICITER.

Quid est fallacia dicti non simpliciter, seu à dicto ex parte ad dictum omnino ac simpliciter?

Est argumentatio, qua perperam argumentatur sophista à non simpliciter dicto ad dictum simpliciter.

Quid est dictum ex parte aut non simpliciter?

Est vocabulum commune sumptum cum aliqua particula, cum qua non sumitur dictum simpliciter.

Vt, animal album comparatione vocis, animal: item, animal album secundùm dentes, si referatur ad animal album.

Quid est dictum simpliciter?

Dictum simpliciter, est vocabulum commune, non sumptum cum particula suo dicto ex parte annexa.

Vt animal, si cum animali albo conferatur.

Quod est discrimen inter dictum simpliciter, & totum in modo?

Dictum simpliciter magna ex parte congruit cum eo, quod in locis dialecticis totum in modo appellare solent; non est tamen planè idem: nam homo si cum homine picto comparetur, dictum simpliciter quidem erit, non autem totum in modo.

Quot modis hac fallacia dicti ex parte ad dictum simpliciter cõtingit?

Tribus modis: quorum PRIMVS EST:

Quando in antecedente vnicum dictum ex parte reperitur: vt,
Hector est homo pictus; ergo
Est homo.

Huius quoque modi sunt captiones, in quibus locus, tempus, comparatio, aut aliqua ex parte omittitur.

Locus: vt, In templo mercaturam exercere nefas est; ergo
Mercaturam exercere nefas est.

Tempus; vt, Cùm timetur naufragium, expedit merces in mare abiicere: ergo expedit merces in mare abiicere.

Comparatio: Diuitiæ malè vtentibus non sunt bonæ; igitur
Diuitiæ bonæ non sunt.

Aliqua ex parte: vt, Ciconia rostro rufa est; ergo est rufa.

SECVNDVS EST:

Quando in antecedente adhibetur vnum dictum simpliciter, & vnum ex parte: vt, Aethiops est niger, & est albus secundùm dentes; ergo est niger, & est albus.

TERTIVS EST:

Quando in antecedente duo sunt dicta ex parte, ex quibus inferuntur opposita de eodem: vt Fuscum est album comparatum cum nigro, & nigrum cum albo comparatum; ergo fuscum est album & nigrum. item, Aethiops est ex maiori parte niger, & est albus secundùm dentes; ergo Aethiops est albus & niger.

Videntur etiam huc pertinere argumentationes vitiosæ à coniunctis ad diuisa: vt cùm sic argumentamur, Hic homo est bonus musicus, igitur est bonus, & musicus: est optimus artifex, igitur est optimus, & est artifex.

Sub hac fallacia quoque comprehenditur fallacia à dicto simpliciter ad dictum ex parte, quæ ex eo accidit, quòd à dicto simpliciter ad dictum ex parte, perperam ratiocinatio procedat: vt,
Aethiops non est albus; ergo
Non est albus secundùm dentes.

Cuius

Cuius loci dialectici argumentationes imitantur istæ fallaces conclusiunculæ?

Fallaciæ à dicto simpliciter ad dictum ex parte, imitantur argumentationes à toto in modo ad partem in modo, ductas; contrà, à dicto ex parte speciem habēt argumentationum ex parte in modo depromptarum.

De fallacia ignorantiæ elenchi seu redargutionis.

Quomodo describitur fallacia ignorantiæ elenchi?

Fallacia ignorantiæ elenchi speciatim accepta, est captiosa argumentatio, propter omissam aliquam ex posterioribus particulis, quæ in definitione elenchi collocantur, videlicet secundùm idem, ad idem, similiter, & in eodem tempore.

Recita elenchi seu redargutionis definitionem, quam hoc loco habet Aristoteles.

Ελεγχος μὲν γὰρ ἐστιν ἀντίφασις τοῦ αὐτοῦ καὶ ἑνὸς μὴ ὀνόματος, ἀλλὰ πράγματος, καὶ ὀνόματος μὴ συνωνύμου, ἀλλὰ τοῦ αὐτοῦ ἐκ τῶν δοθέντων ἐξ ἀνάγκης, μὴ συναριθμουμένου τοῦ ἐν ἀρχῇ, καὶ κατὰ τὸ αὐτὸ, καὶ πρὸς τὸ αὐτὸ ὡσαύτως, καὶ ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ.

PER. Est enim reprehensio, oratio cõtraria vnius eiusdémque non verbi sed rei, & verbi non synonymi, sed eiusdem; quæ quidem ex iis, quæ data sunt & concessa, efficitur concluditúrque necessariò, non adiuncto eo, quod initio dictum est, quòd eadem ex parte, & in eadem re, eodémque modo, & in eodem tempore dicatur.

COL. *Elenchus seu reprehensio, est contradictio vnius & eiusdem, non nominis, sed rei & nominis, atque adeò eiusdem nominis, vt non synonymum sit, sed idem ipsum: quæ contradictio ex iis quæ sunt posita, ita sequitur necessariò, vt in sumptionibus non sit acceptum illud de quo est instituta disputatio: quæ deniq; ita facta est, vt pars vtraque in eodem, ad idem, eodem modo, & eodem tempore sumatur.*

BOE. Redargutio est cõtradictio vnius & eiusdem, non nominis, sed rei, & nominis non synonymi, sed eiusdem, ex iis quæ data sunt ex necessitate, non connumerato eo quod erat in principio, secundùm idem, & ad idem, & similiter, & in eodem tempore.

Hoc est paucis: Verus elenchus est syllogismus, qui vim probandi habens, infert conclusionem verè contradicentem vel aduersantem themati respondentis.

Quod est discrimen inter hanc redargutionis definitionem, & eam quæ paulò superiùs est declarata?

Si sensus spectetur, nullum est discrimen: si quid sit discriminis, in eo situm est, quòd quæ ibi rectè & breuiter indicata sunt, hîc apertè & distinctè ponantur.

Recita modos quibus fallaciam ignorantiæ elenchi fieri contingit.

Primus est, quando omittitur particula, secūdùm idem: vt, Hoc lignum est æquale illi secūdùm longitudinem, & non est ei æquale secundùm latitudinem; ergo est illi æquale & non æquale.

Secundus est, cùm omittitur particula, ad idem: vt, Decem sunt duplum ad quinque, & non sunt duplum ad sex; ergo sunt duplum & non sunt duplum.

Tertius, cùm omittitur particula, similiter: vt, Plato est sapiens, & non necessariò est sapiens; ergo est sapiens & non est sapiens.

Quartus, quando omittitur particula, in eodem tempore: vt, Democritus hoc tempore ridet, & illo non ridet: ergo ridet & nō ridet.

Fit autem fallacia elenchi in oppositis contradicētibus aut contrariis aut priuantibus, non autem in relatis: hæc enim comparatione diuersorum aut diuersa ratione de eodem possunt verè dici. vnde hîc nulla est fallacia, sed firma est & dialectica argumētatio: Dauid est filius Isai, & est pater Salomonis; ergo est filius & pater.

Item, Paulus est magnus, si eum ad Petrum conferas; & est paruus, si ad Goliath; ergo est magnus & paruus. Firma est argumentatio, vt docet Aristoteles apertè in categoriis, vbi de proprietatibus quantitatis agit.

Quam rationem habet fallacia ignorationis elenchi, seu redargutionis, ad fallaciam dicti ex parte?

Fallacia ignotationis elenchi ad fallaciam dicti ex parte, rationem habet minus communis; nam licet non omnis fallacia dicti ex parte (vt ex exemplis primi modi eius palam est) sit fallacia ignorationis redargutionis; attamen è contrario, omnis ignorationis elenchi fallacia (vt speciatim suprà describitur) videtur esse à dicto ex parte, secundi aut tertij modi, prius à nobis expositi.

Quare in responsione tua addidisti, vt speciatim suprà describitur?

Quia postea Aristoteles latiùs accipit fallaciam ignorationis elenchi, vt sit captiosa argumentatio propter omissionem cuiusuis particulæ in definitione elenchi collocatæ. qua generali significatione cæteras omnes fallacias suo ambitu complectitur. quod hac ratione facilè quiuis intelligere potest: oportet enim (vt inquit Aristoteles) in vero elencho ex iis quæ posita sunt, sequi conclusionem, & ita sequi, vt re vera, non specie tantùm solida sit & rata conclusio.

A qua argumentationis perfectione omnes fallacias, & so-

phiſmata recedere, ob idque ad fallaces elenchos poſſe referri, perſpicuum eſt.

DE FALLACIA PETITIONIS PRINCIPII, SEV quæ propter id, quod in principio erat, accidit.

Quid eſt fallacia petitionis principij?

Fallacia petitionis principij, eſt vitioſa argumentatio, cuius antecedens non eſt notius conſequente, ſed eſt vel ignotius, vel æquè ignotum.

Vt, ſi quis ad iſtius thematis probationem, Homo à natura ridendi facultatem habet, hac vtatur argumentatione: Omnis homo habet à natura ridendi facultatem; igitur aliquis homo habet à natura ridendi facultatem.

Eſt & hîc petitionis principij fallacia: Clodius inſidiatus eſt Miloni; ergo Clodius inſidias Miloni ſtruxit: verberauit, igitur percuſſit. quanquam enim in ſermone conceſſum ſit, eandem ſententiam mutatis verbis efferre, tamen in probando omnino ſunt inutiles ταυτολογίαι, quòd ignota per æquè ignota nec probari, nec vllo modo illuſtrari queant.

DE FALLACIA CONSEQVENTIS, ſeu propter conſequens.

Quid eſt fallacia conſequentis ſecundùm Ariſtotelem?

Fallacia conſequentis, eſt captioſa argumentatio, quæ inde fit, quòd falsò putetur reciprocari conſecutio; hoc eſt, quòd putetur ſicut ex antecedente ſequitur conſequens, ita ex conſequente antecedens ſequi, aut ex oppoſito antecedentis ſequi conſequentis oppoſitum.

Vt ſi quis credat hanc cōſecutionem eſſe legitimam: Hic liquor eſt albus; ergo hic liquor eſt lac: eò quòd è contrario firma ſit iſta argumentatio: Hic liquor eſt lac; igitur hic liquor eſt albus.

Item ſi quis credat hanc eſſe firmam conſecutionem: Nullus homo eſt, ergo nullum animal eſt: eò quòd hæc ſit firma argumentatio: Homo eſt, ergo animal eſt.

DE FALLACIA PROPTER NON cauſſam vt cauſſam.

Quomodo definitur fallacia propter non cauſſam vt cauſſam, ſecundùm Ariſtotelem?

Ad hunc modum:

Fallacia propter non cauſſam vt cauſſam eſt, cùm id quod non eſt cauſſa, aſſumitur tanquam propter illud fiat redargutio.

Hoc est, Est captiosa argumentatio, quæ inde fit, quòd ascita enuntiatio falsò credatur caussa esse falsitatis, quæ in conclusione cernitur, propter aliquam affinitatem quam habet ea ascita enuntiatio, vel cum altera antecedentis parte, vel cum ipsa conclusione.

Vt si quis asserat hanc, Omne animal sentit, & alius ita argumentetur:

Omne animal sentit,
Omne animal videt;
Atqui homo cæcus est animal; ergo
Homo cæcus videt.

Consequens est falsum, ergo aliqua antecedentis pars: sed non illa, Homo cæcus est animal; ergo ista, Omne animal sentit.

Quomodo dissolui debet eiusmodi fallacia?

Negando eam antecedentis partem, ex cuius vitio manat consequentis falsitas: cuiusmodi in proposito exemplo est ipsa propositio; videlicet, omne animal videt: ex ea enim consequentis falsitas suam ducit originem.

Quomodo distinguitur hæc fallacia à vitio syllogismorum, quod vocant, non propter hoc accidere falsum?

Hæc fallacia postulat, vt sit aliqua conuenientia enuntiationis ascitæ cum cõclusione falsa, aut altera antecedentis parte: quę conuenientia in eo consistit, quòd vel idem prædicatum habeant, vel subiectum idem: talis verò conuenientia non est necessaria in eo syllogismorum vitio, quod vulgò appellant, non propter hoc accidere falsum, quia ibi nulla opus est probabilitatis specie, quæ hoc loco prorsus est necessaria.

DE FALLACIA PROPTER ID, QVOD EST plures interrogationes vnam facere.

Describe fallaciam quæ accidit propter id, quod est plures interrogationes vnam facere, ex Aristotelis doctrina.

Fallacia quæ accidit propter id, quod est plures interrogationes vnam facere, secundùm Aristotelem fit, quando ad interrogationes plures perinde ac si vna esset, datur responsio vna.

Vt si quis interrogatus de duobus hominibus, quorum alter videat, alter verò sit cæcus, vtrum cæci sint illi, an non; citra distinctionem respondeat, vel cæcos esse vel non esse cęcos, redargueiur.

Verè quidem, si affirmatè respondeat, eos cæcos esse: nam inde consequetur, videntem quoque cæcum esse.

In speciem verò redarguetur, si eos cæcos esse negauerit: nam inferet sophista, ergo cæcus non est cæcus.

Si autem

Si autem responderit distinctè, hic videt, ille est cæcus; omnem euaserit calumniam.

Qua cautione vtendum est aduersus hoc fallendi genus?

Ea quam indicat Aristoteles in libro περὶ ἑρμηνείας, vbi docet respōsionem interrogationi congruere debere, vt videlicet ad interrogationem vnam, vna quoque detur responsio; ad multiplicem verò seu multas, distinctè respondeatur per multas enuntiationes.

Quis est verus & laudabilis fallaciarum vsus?

In fallaciis multæ recitantur imposturæ, quarum doctrinam tradi putandum est, non vt tenera ætas assuescat sophismatibus, sed vt ea cognoscere, & cognita vitare atque refutare possit.

Sicut enim doctrina de venenis traditur vt vitentur venena, non vt hominum vitæ insidiemur; ita Aristoteles nobis fallacias sophistarum detexit, non vt vtamur, sed ne à sophistis, qui iis vti solent, decipiamur.

Hæc igitur est iam explicati tractatus vtilitas: vt sciamus quomodo sophistæ fucosæ probabilitatis reprehensiones cōficiant quibus fallant imperitos, sapientésque videantur, quod vehementer desiderant: & vt technis variisque artibus sophistarum, quibus illi ad falsitatis patrocinium vtuntur, detectis, falsitas ex hominum verbis & scriptis procul exterminetur: veritatis autem dignitas illibata & inuiolata vbique & apud omnes conseruetur.

Omnium

Omnium eorum, quæ sexto libro de elenchis inscripto continentur, in vnam seriem collectio.

- Vitiosarum argumentationum confutatio siue dissolutio, est duplex:
  - Personæ accommodata, fitq́ue
    - Eleuando
    - Regerendo
    - Digrediendo.
  - Rei accommodata
    - Generalis, quæ fit ostendendo aliquod vitium inesse in
      - Materia
      - Forma
      - Vtraque.
    - Specialis, quæ fit dum ita redarguitur argumentatio capriosa, vt peculiaris aliqua fallacia in ea latere demonstretur; ad cuius explicationem hæc
      - Obiter tractantur
        - Elenchus
        - Syllogismus
        - Disputationes vulgò appellatę
          - Doctrinales
          - Dialecticæ
          - Tentatiuæ
          - Litigiosæ seu cōtentiosæ.
        - Metæ,
          - Tres præcipuæ,
            - Redargutio
            - Falsum
            - Paradoxon.
          - Duæ minus præcipuæ
            - Solœcismus
            - Nugatio.
      - Fusiùs explicantur
        - Fallacia verborum seu propter dictionē, cuius partes sunt,
          - Homonymia
          - Amphibolia
          - Compositionis fallacia
          - Diuisionis fallacia
          - Accentus fallacia
          - Figurę dictionis fallacia.
        - Fallacia rerum seu extra dictionē
          - Accidentis fallacia,
          - Dicti ex parte fallacia,
          - Ignoratio Elenchi;
          - Petitio principij,
          - Consequentis fallacia,
          - Non caussa vt caussa,
          - Interrogationes plures vt vna.

PER-

PERORATIO AD DISCIPVLOS.

HABETIS nunc, studiosi adolescentes, communes logicæ præceptiones, ad quas in lucem edendas maximè vestra me impulit vtilitas, nimirum vt summam dialecticæ artis breuiter comprehensam, & per eam ad Aristotelicæ disciplinæ recessus perlustrandos aditum patefactum haberetis, molestissimoq; scribendi labore, quo olim dialecticæ tirones non sine grauissimo temporis dispendio miserè fatigari solebant, liberaremini, & simul videretis doctrinæ Aristotelicæ maximum, summoperéque omnibus litterarum studiosis necessarium VSVM: Cuius tenuissima (non ausim dicere nullam) apud nostros hactenus inter docendum extitit vel mentio vel cura, in tanto definitionum complendarum præceptionumq; & subtilitatum accumulandarum studio.

Quæ res multis modis nocet discentibus: efficit enim in artibus Labyrinthos, qui ingenia remorantur & implicant inextricabilibus laqueis, torquent inani cura, & à vero artium VSV abducunt: deinde iudicium hebetant, calumniandiq; prauam gignunt consuetudinem, quæ posteà in omni vita odiosissimos molestissimosq; efficit calumniatores.

Quòd si quæ voluimus, etiam præstitimus, Deo Opt. Max. sit gratia, illiq; soli gloria: sin minus, merebitur tamen conatus noster veniam apud omnes humaniorum artium cultores, quos pro sua humanitate in iudicando de hoc immaturo fetu (qui velut abortiuus inter quotidianæ professionis molestias nobis excidit) candorem doctis viris dignum adhibituros confido, probè memores, vt facillimum est aliena otiosè carpere; ita difficillimum esse, quod omni ex parte sit absolutum præstare: probè quoque intelligentes, quæ nos rudibus adhuc adolescẽtibus crassa & pingui (vt aiunt) Minerua tradidimus, ea non ad sophistarum argutias, aut spinosam subtilitatem, sed ad communem potius & popularem scribendi & loquendi consuetudinem fuisse accommodanda.

Quæ


Quæ verò à nobis consultò sunt omissa, viua præceptoris voce suppleri poterunt: denique, si quid excedere ingenia prorsus rudia aut tarda nonnulli forsan iudicabunt, illud vt omittant, per nos licet.

Meminerint præterea eruditiores, & elegantioris litteraturæ studiosi, nos hæc scholis nostris scripsisse, quæ Argyropyli & Boëtij versionibus non magnopere politis vtuntur: quas non modò in definitionibus & diuisionibus adducendis retinere debuimus, sed etiam in iisdem explanandis sæpenumero sequi compulsi sumus.

Quocirca nolumus quempiam, ne discipulum quidem, in nostra verba iurare; neque in ea opinione esse, vt putet ita nostra nobis placere, vt vel ab iis aliquem dissentire, vel melius quippiam politiusq; in medium proferre conari (modò id sincero candidoq; animo, non peruerso dissentiendi studio, fiat) nefas ducamus: nam neque nos ipsi his (licet iam semel atque iterum emendatis) ita astricti tenemur, quin meliora exquisitioraq; sequendi, complurium nostræ ætatis doctissimorum prudentissimorumq; virorum exemplo, liberam retinere velimus potestatem.

Interea pergite adolescentes optimi, qua cœpistis modestia atq; diligentia, & æqui boniq; facite consecratam hanc vestris commoditatibus operam præceptoris, qui vt vos laboribus leuaret, grauissimos ipse vestra caussa subire labores in mediis grauiorum studiorum curis non detrectauit.

ΤΕΛΟΣ.



Η ΔΟΞΑ ΤΩ ΘΕΩ ΜΟΝΩ·

ΕΣΤΩ ΔΕ ΧΡΕΙΑ ΤΟΙΣ ΜΑΘΗΤΑΙΣ.

Soli Deo sit gloria:

Vsúsque sit discentibus.

PRIVILEGII CAESAREI SVMMA.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris semper Augusti publico edicto cautum & sancitum est, ne quis cuiuscunque status, gradus, ordinis aut conditionis fuerit, quacumque sacri Romani Imperij & ditionis eius fines patent, quæcumque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impressa, vel ab aliis quidem impressa, nouis autem deinceps scholiis, annotationibus, aut commẽtariis aucta & illustrata Christophorus Plantinus ciuis & typographus Antuerpiensis primus typis procuderit, intra proximum sexennium à prima cuiusque operis aut voluminis editione vllo pacto eiusdem vel diuersi characteris forma excudat, aut excusa ab aliis intra eiusdem Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, seu quouis modo distrahat manifestè vel occultè, sub pœna decem Marcharum auri puri, quarum dimidia fisco Imperiali fraudis vindici, residua verò pars prænominato Plantino cedat, præter librorum ad imitationem impressorum amissionem, quos idem Plantinus vbicumque locorum nactus fuerit, per se, vel suos, adiumẽto Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vindicare, inque suam potestatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipsi Edicto manu subscripsit, & sigillum apponi iussit Cæsarea maiestas. Datum in ciuitate Viennæ Austriæ, die vigesima prima mensis Februarij; Anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo quinto:

Subsig.

Maximilianus.

Ad mandatum sacræ
Cæs. M. proprium.

Haller.

20
8
16

